


PAVLI IOVINO
VOCOMENSIS EPISCO-
PI NVCERINI

Vitarum
Illustrium aliquot virorum,

TOMVS II.

Quorum nomina sequens pagina ostendet.

*Cum Singulorum veris Imaginibus, ac Indice
copiosissimo.*



B A S I L E A E

Ex

Officina Typographica Petri Per næ: suis & D. Henrici
Petri sumtibus.

CIO IO LXXVII.

VITAE QVAE HOC VOLV-
mine continentur.

Leonis X. } *Pont. Max.*
Hadriani VI. }
Pompeij Columnæ Cardinalis
Ottomanni filij Zichi
Orcannis
Amurathis I.
Baiazetis I.
Celebini siue Cyriscelebis
Mahometis I.
Amurathis II.
Mahometis II.
Baiazetis II.
Selymi
Solymanni

COSMO MEDICI DV- CI FLORENTINORVM

PETRVS VICTORIVS.

S. D.



ST hoc in more positum, consuetudinēque agricolarum, vt, quos primos arbores studio domini satē, fructus ferunt, ad eum deferant: ipsum que antē alios velint sapes pomorum gustare, ac suauitatē illam sentire. Nobis in hoc officio- sam nationem imitari, institutumque diligentium colonorum sequi, visum est. Cum enim tu quoque campum hunc musarum studiosē colueris, stirpesque nobiles multas, ac peregrinas in eo diligentia tua seueris, videntur ad te potissimum primitiæ ipsius pertinere: amplissimoque nomini tuo, ac tuorum, qui agrum hunc pararunt: incultum tamen, spinisque obsitum reliquerunt, consecrari omnino debere. Cū enim (vt aliquando præclari operis principium ordiremur) magnus aceruus librorum sedulo à nobis euolueretur, incidimus in libros Pauli Iouij, quibus Leonis X. Pont. Max. vitam resque gestas se perscripturum professus, omnem familiam vestram mira vbertate ingenij, copiaque verborum ornauit: ac magnis, debitisque laudibus ad cœlum tulit. Vt enim antiquis plurimis, & Græcis, & Latinis scriptoribus bibliotheca referta est, ita etiam monumentis nouorum ingeniorum abundat: nec parua inferioris ætatis auctorum copia illuc congesta est. Quod ab eximia liberalitate vestri generis, summoque amore in literas, cæterasque ingenuas artes, profectum est. Eos igitur placuit primos excusum dare: quod lucem non paruam vestris rebus allaturi sint, quanquam domus tua per se clarissima est: & in summum iam pridem honoris dignitatisque gradum peruenit. Sed eo etiam libentius hoc fecimus, quia Cosmus ille, cuius tu, quemadmodum nomen refers, ita etiam virtutem imitaris: ac Laurentius nepos, qui in his libris valdè celebrantur, fons atque origo huius beneficij, quo tu perpetuò tibi animos studiosorum obligabis, fuerunt: certos enim homines, huic conficiendo idoneos, in Græciam miserunt, atque huc magnam vim optimorum librorum conuexerunt: sed etiam adhibita summa diligentia Latinos multos ex hac nostra terra coegerunt, exscribendosque vbique magnis sum-

ptibus curarunt. Hoc enim quoque ab amatoribus literarum ignorati,
pati que longitudine temporis obscurari, æquum non erat. In hoc vero
opere, ut reliquæ maiorum tuorum singulares virtutes illustrantur, ita
etiam egregia hæc voluntas, opera que erga studia literarum, excellens
que liberalitas in studiosos earum, celebratur. Præterea (quod in omni
negotio primum est) lætum, faustum que initium auspicari volumus,
ut, quemadmodum honesta hæc familia ab his radicibus orta, diu flo-
ruit: semper que magis admirabilibus quibusdam, diuinis que rationi-
bus statum suum auxit: nunc autem in primis viget, ac maiora, præsen-
tiora que bona, virtute præsertim atque prudentia tua hominibus de se
pollicetur, ita etiam ingens hoc beneficium, à maioribus illis tuis na-
tum, studio que eorum, qui sequuti sunt, retentum: à te vero nunc no-
ua hac ratione valdè amplificatum, & in fines omnium terrarum pro-
latum; cotidie magis crescat, utilitates que infinitas cupidis bonarum
artium afferat. Quod & tota mente debemus optare: & cogni-
ta animi tui alacritate, qua rem aggressus es, constan-
tia que in consilijs tuis ad exitum perdu-
cendis, licet sperare.

VALE,

P A V L V S

PAVLVS IOVIVS EPI-
 SCOPVS NVCKERINVS, AD ALE-
 XANDRV M·MEDICEM, REIPVBLICÆ
 Florentinæ Ducem magna-
 nimum,



*Q*UAM vitam Leonis Decimi patrum tui, efflagitante Hippo-
 lyto Cardinale (is enim me ad id munus suscipiendum liberaliter
 inuitarat) ac demum cohortante ipso, & cuncta ordine docente
 Clemente Pontifice, quatuor libris absoluissem, vtrunq; magna
 fortunæ acerbitate hora fatalis eripuit. Itaque orbatus duobus
 longè maximis atque certissimis vitæ studiorumq; meorum præ-
 sidys, me rectè persanctèque facturum existimaui, si eæ vigiliae,
 quæ maiorum tuorum memoriam continerent, sub tutela tui no-
 minis ederentur, quum iure optimo successionis, non modò prin-
 cipatus fortunarumq; omnium, sed etiam veræ gloriæ, cuius Medicea gens avidissima semper
 fuit, hæreditatem sis consecutus. Quando supra opes vetustatemque originis, & domesticam
 disciplinam, qua incomparabili elegantia cum laude maiores tui floruerunt, noua decora &
 augustiora quidem intra penates intuleris, nequaquam parta ludentis fortunæ temeritate, sed
 grauissimis quæsitæ virtutibus. Præbuiisti siquidem vix dum pubescens non ambigua adhuc
 & incerta luce indolis, veram spectatis operibus virilis & viuide virtutis opinionem, quum
 Cæsaris armis recepta Florentia, rempublicam popularium dira ambitione deformatam, ad o-
 ptimatum auctoritatem atque consilium reuocares: promulgareturque subinde illud genero-
 sum & salutare Amnestiæ decretum, & quo nihil afflictæ ciuitati salubrius fuit, expeditis &
 incorruptis iudicijs per singula fora constitutis, æqualem cunctis sinceri constantisque animi
 gratiam & studium pollicereris. Intra enim quatuor tantum indomitæ insaniæ capita, octouira-
 lis gladius lege egerat, ac eo seueritatis & clementiæ temperamento acerbissimis & veteribus
 inimicis urbem repurgasti, eaque animi constantia tulisti patrum pontificis interitum, & dum
 aduersus inquietorum ingenia & externam vim munitissimam arcem erigeres, eam felicitate
 insidiantium vitæ tuæ, propinquorum tela, & machinas euitasti, vt in his asperrimarum rerū
 actionibus, neque absoluta atavi Cosmi prudentia, neque proavi Laurentij à præalto ingenio
 matura celeritas, neque Leonis præclara et ingens animi magnitudo, neque clementia, mode-
 ratio & patientia, quibus Clemens aliquanto clarior quàm felicior fuit, desiderari posse vide-
 ventur. Has nimirum virtutes agnouit Cæsar, filiamq; tibi maturatis nuptijs coniugali in tho-
 ro collocauit. Quo incomparabili facto & Cæsar ipse singularem præstantis iudicij eximiæque
 liberalitatis, et incōcussæ fidei laudem est adeptus, & opes tuæ aduersus omnem inuidiam fir-
 missimè constitutæ. Tu verò enixè contendes, vt certam harum opum & virtutum possessio-
 nem non solum tueare diligenter, verum etiam promotis finibus fortiter extendas. Dabisque
 subinde operam liberis, vt hic qui in te vno viget, nobilissimæ stirpis sanguis felici Mar-
 garitæ vxoris fecunditate propagetur. Speramus enim te procrea-
 turum liberos Augusto socero, & maioribus tuis
 virtute perfimiles.

VALE.

PAVLI IOVII EPISCOPI

NUCERINI IN VITAM LEONIS DE-
CIMI PONTIFICIS MAXIMI

P R A E F A T I O.

A D

HIPPOLYTVM MEDICEM CARDI-

N A L E M A M P L I S S I M V M.



LAURENTIVM Medicem avum tuum, magnanime Hippolyte, qui domum vestram in hanc, quam iusta religione veneramus, augustissimæ dignitatis amplitudinem felici virtute prouexit, dicere solitum accepimus, nullum ex toto humane vitæ negotio opulentiùs atque præstantius patrimonium liberis relinqui, quàm virtutis & gloriæ; harum alteram diligentè educatione liberalique disciplina, & domesticis maximè exemplis facillè comparari; alteram veluti ab his certissimis seminibus procreatam, enasci sua sponte, & coalescere in immensum. Qua præclara voce, vir ætatis suæ sapientissimus intelligi volebat, opes propè vniuersas, principatus, affluentisquæ Fortunæ caducas & instabiles; egregiæ vero virtutis & laudis possessionem, non modò esse longè firmissimam, verùm etiam in vsum omnis posteritatis maximè diuturnam. Neque id summi viri iudicium hæctenus impotens Fortuna visa est vlla ex parte fefellisse, quum adeo insolenter ac acerbò, ereptis omnibus subsidijs ac ornamentis, familiæ vestræ nomen affligerit, vt nihil omnino relinqueretur, præter ingentium inuidiis animis vestris eximiæ virtutis studium, quo illud penè extinctum reuocari ab interitu, pristinaequæ dignitati restitui, ad non dubiam salutem humani generis sæpe viderimus. Hoc profecto ardentis & rediuiuæ virtutis lumen, Laurentius à Cosmo Petroquæ acceptum per manus, vt in cursu veteres Græci lampada sequentibus dare erant soliti, Leoni Clementiquæ tradidit, vt tibi demum cunctis naturæ fortunæque muneribus ornatissimo, latissima successione traderetur. Itaque quod tibi vni iure optimo debebatur, Leonis patrui tui effigiem veræ similitudinis, quatum fidelistilo præstari potuit, latissimè expressi, in hoc non ineptè (vt arbitror) pictorum morem secutus, à decreto in eadem tabula, ambitiosè vagantium, scilicet vt maiorū quoque tuorum vultus, illam virtutem viuidè spirantes, quam tu feliciter emularis, obiter cōspicerentur. Quibus propositis augustæ virtutis hortatoribus, facillè sperauerim, te ab excelsi flagrantisquæ animi magnitudine non modò æquaturum gentilitias laudes, sed multò altius atque felicius ad gloriam prouolaturum; siquidem in summa indole, primæ ferè lanuginis, quæ singularum virtutum, quæ in maioribus tuis enituère singulos flores, rara felicitate decerpseris, ita studia tua nobilissimarum disciplinarum atque artium spectatis operibus, & incredibili quadam ingenij fecunditate protulisti, vt iam florentissima ingenia, quæ domi liberaliter alis, non plus te vt admirabilis beneficæque naturæ dominum obseruent, quàm ab erudita ingenij subtilitate, magistrum censoremquæ suspiciant. Sed hæc magna & mira fortasse in cæ-
teris

teris senatoribus in te perfecto minora angustioraque sunt illo pernobili militaris animi tui vi-
gore, quo dudum in Pannonia Solymano, trahenti totius Orientis opes & copias armatus oc-
curristi: Quum tam forti quam pio constantis animi decreto, ad non dubiam spem inuifatæ
laudis te ipsum pro Christiani nominis salute deuouisses. Ab hac quidem ardentis ingenij mi-
rifica cupiditate, quando in oculis fortissimarū totius Europæ nationum, ad vberiore[m] victo-
riam sacro digno exercitu spectareris, eam nominis famam prætulisti, vt secundissimo quo-
dam fato in hanc lucem instaurati sæculi productus esse videare ad sacri ordinis am-
plissimum decus, & ad solidam Clementis patru[m] felicitatem, in cuius
tutela omnis iam Italia, diuino eius consilio par-
ta pace, conquiescit.

VALE.

Leo X. Pont. Max.



ANGELI CONSTANTII NEAPOLITANI,

*Fleuit Alexander tumulum quum vidit Achillis:
Et dixit faustos heu nimium ciñeres,
Quorum Meonij testantur sacra poeta
Carmina victrici praelia gesta manu.
Idem vitales si nunc quoque carperet auras,
Diceret ingenti liuidus inuidia:
Saluete ô Decimi felicia busta Leonis,
Quem sic facundus Ionius ore canit.*

VITA LEONIS DE CIMPONT MAXIMI A PAULO IOVIO E- PISCOPO NVCE

vino conscripta.



EDICE Æ gentis nomen, tametsi multis ante annis in Hetruria admodum illustre fuerit, certam tamen ac stabilem magni COSMI virtute claritatem cœpit.

Nam Syluester qui Vicecomitis Insubrum Ducis impetum in Apenninio strenuè retardauit, & Auerardus atque Ioannes quondam opibus ac vrbana gratia florentes, nunquam vel equestris ordinis dignitatem, vel ordinarios liberæ ciuitatis honores, inter multos

æquales patritios excefferunt. Fuit autem COSMVS Leonis X. Pontificis Maximi (cuius vitam scripturi sumus) proauus, eum ab ineunte ætate adeo graui, excelsoque ingenio extitisse ferunt, vt perspicacissimi ciues (quorum ea ætas admodum ferax fuit) iuuenem COSMVM ad omnia summa natum esse iudicarent. Excoluerat enim se pertinaci labore cunctis ijs artibus ac disciplinis, quæ homines vera virtutis gloria per beatos, ac dijs similes efficere consueuerunt. Pietate in primis eximia cum probatissimæ vitæ sacerdotibus certabat; vitæ quoque temperantia, honestate, doctrinaque cum optimis philosophis contendere erat solitus: magnitudine verò animi, magnificentia, ac liberalitate, vel opulentissimis regibus æquabatur. Quibus moribus tametsi singularem ab omnium ordinum hominibus gratiam maturè collegerat, inuidiæ tamen tantarum etiam virtutum subsidio fretus, resistere vix potuit.

Circumuentus enim ab inimicis, & ab ijs qui specie honesti nimiam eius potentiam formidabant, ceu mox obfuturam publicæ libertati, in carcerem est coniectus. Verum in tanti viri capitis discrimine consternata maxima parte ciuitatis, aduersus paucorum potentium crudelitatem pluribus sententijs atque suffragijs est impetratum, vt virtuti ac innocentie parceretur: inde quum exulatum Venetias abisset, tanta animi fortitudine ac industria apud omnes egit, vt non modò famam ac fortunas suas (quas inimici acerbissimo liuore inducti, conturbatas ac penitus conuulsas videre cupiebant) vbiq; terrarum egregiè conseruarit, sed & suis ciuibus, & Venetis longè prudentissimis senatoribus, multo quàm antea sapientior ac admirabilior euaserit. Secuta demùm est non toto vertente anno in Republica Florentina mira tranquillitas æquifimis hominibus in magistratu succedentibus, ita vt COSMVS, qui Reipublicæ turbulentissimorum ciuium vi atque audaciâ commotæ, sæuis fluctibus in alienam terram eiectus fuerat, incredibili studio atque pudore totius ciuitatis in patriam sit reductus. Tum verò renouata constitutaque Republica perniciosos vel suspectis ciuibus senatu amotis aut expulsis probitati, bonisq;

artibus dignissimus locus est patefactus. Ab eo enim tempore Florentini eiusdem diuini hominis consilio sepe pro communi pace, pro patrię libertate, amplitudineque imperij feliciter arma tractarunt, priuatas opes auxerunt, vrbemque suam eximijis cunctarum artium ornamentis illustrarunt. Ipse COSMVS, vt erat incomparabili iudicij grauitate, infinitaque prudentia, supra ceteras res omnes, studiosis egregijsque rerum scriptoribus fauendo, donandoque immortalitatem literarum beneficio gloriosa quadam auiditate concupiuit: quod ciues quibus ipse permulta pecunię, atque honorum beneficia contulisset, vel immemores aliquando futuros, vel omnino interituros diceret. itemque preetoria, villas, templaque ab se regio sumptu ædificata, haud multo post vel temporis vel hominum iniuria labefactari posse, ac absumi penitus arbitraretur. Erat priuatis in rebus suis domesticisque sumptibus natura, & consuetudine minimo contentus, vtpote qui ciuili cultu vixerat, frugali que & munditijs potius referta, quam lauta mensa vteretur. At quum clari hospites, & præsertim aduenæ virtute insignes occurrerent, nullis vel maximis sumptibus parcendum putabat, quin splendidissime excipiendo, largiendoque totum pecunię vsum, facultatesque omnes ad splendorem & gloriam reuocaret. Vixit ad summam propè senectutem integra authoritate ac florenti semper gloria rectè atque feliciter administratæ Reipublicæ, & in ea quoque parte beatus, quod non modo Petrum filium probitati singularique prudentia præstantem, verum & nepotes pueros auita summarum virtutum indole conspicuos relinquebat. Moriens COSMVS PATER PATRIÆ decreto publico est appellatus, idque sempiterni honoris causa marmoreo eius tumulo fuit inscriptum. COSMO vita functo, Petrus filius regendę Reipublicæ gubernacula, quæ pater plurima ex vfu præcipiens de manu tradiderat, cunctis ab initio fauentibus cepit. Sed non multo post in eum intestina occultaque odia è tenebris infensissimorum animorum eruperunt, quæ Mediceorum æmuli authoritate & fortunis admodum potentes, viuente COSMO varia dissimulatione compresserant, quum vim inueteratamque prudentiam cautissimi ac excelsissimi senis pertimerent. Erat enim Petrus recto potius, constantique animo quam acri atque vehementi: ob idque etiam eum opportunum iniuriæ putabant, quod ab diuturnis atque sæuissimis articulorum doloribus seipso hebetior factus, magnam partem innati vigoris amisisse videbatur. Itaque multis rerum nouarum cupidis, aut inexpiabili liuore flagrantibus ad commutandum Reipublicæ statum intentis, duæ veluti per iocum ciuium factiones sunt excitatæ, eorum scilicet qui montana, aut plana vrbis incolerent. Quibus nominibus haud obscure Lucas Pittus paulo antè COSMI emulus, veluti factionis principes iudicabatur. Nam Lucas ad Romanam portam editiore in loco ad effigiem munitæ arcis ingentem domum extruxerat, vt COSMVM magnificentiæ gloria superaret, qui suas eedes trans Arnun amnem plano vrbis loco ex veteris architecturæ præceptis elegantissimas ædificasset. Coniuratum est in Petri caput, quod aliter occupandæ Reipublice negocium transigere posse desperabant. Constitutisq; insidijs locus ad suburbanam ædem diui Antonij, vt redeuntem è Caregia villa illigatum fascijs ac vflu pedum carentem interficerent. Sed dñi ea innocentissimi hominis salutem egregiè sunt tutati. Nam Petrus de insidijs certior factus, diuerso itinere in vrbem

urbem est delatus: detectisque inimicorum consilijs, ut Rempublicam malis ciuibus repurgaret, nouosque subinde senatores deligeret, armatum populum ad concilium aduocauit, cuius studio atque autoritate qui res nouas moliebantur Senatu ac patria exacti sunt. In his fuere viri nobilitate, spiritu atque opibus insignes, Angelus Acciaiolus equestris ordinis, Detefaluis Nero, & Nicolaus Soderinus, qui summum paulo antè in ciuitate gesserat magistratum. Ii cum suis consilijs perculsi atque afflicti Florentia profugissent, adirentque longo errore cunctos Italiae principes sollicitandis tentandisque eorum animis, vndique Petro Medici bellum concitabant: sed ille Galeacio Sfortiae, & Ferdinando Aragonio Arctissimo foedere atque amicitia coniunctus, euocatis ad Hetruriae praesidium eorum copijs, facile inimicorum suorum consilia atque impetum fregit. Eo tamen anno, qui Petri vitae vltimus, & à morte COSMI octauus fuit, illi isdem exules Bartholomeo Coleone in Flaminiam cum veteranis ac ingentibus copijs perducto, magnos belli motus excitarunt. Qui tumultus repente exortus, caeterorum principum animos Mediceorum periculo permotos, ad tuendam communem salutem ac libertatem erexit, quod id bellum aut obscure Venetorum auspicijs geri videretur, qui iam pridem totius Italiae imperium immoderata ac impudenti quadam auiditate concupissent. Quanquam ipsi ad eleuandam turbata pacis infamiam, se Coleonem (qui vetus eorum erat imperator) cum magna parte exercitus dimisisse, ei que imperij militaris titulos abrogasse praedicarent. Galeacius ob eas res traiecto Pado, Coleoni validas copias, ac acerrimos duces opposuit: atque ipse cum vxore, ac ornatissimo comitatu ad tuendam, firmandamque Mediceorum dignitatem Florentiam est profectus. Venientem incredibili alacritate ac pompa ciues ordine obuiam egressi, ipsique Medicei iuuenes Cosmianis in aedibus exceperunt. Interim ad Ricardinam anniculum in Bononiensi collatis signis est dimicatum, & adeo pertinacibus animis, ut quum in noctem vehementissima pugna traheretur, armigeri pueri quietè extra ordines circumfusi, veluti ludicro in spectaculo concurrentibus turmis funalia praeferrerent. Caeterum arte virtuteque Federici Urbinate, qui hostem sub occasum Solis, ab multo diei aestu fessum, positisque armis nihil iam de imminente pugna dubitantem adortus fuerat, & tum, & in posterum Coleonis impetus fortiter est repressus. Nec multo post Borsius Atestinus Ferrariæ princeps, qui se inter dissidentes pacis sequestrum obtulerat, composita omni controuersia Hetruscarum rerum statum pristinae paci quietique restituit. Ab ipso autem Petri excessu Laurentius & Iulianus filij eximio Senatus ac populi fauore munia gerendae Reipublicae susceperunt. Duxerant illi naturae ac studiorum similitudine concordēs à teneris annis vitam humanitate, modestia, literis, ac omni denique ciuili virtute perpolitam. Vbi namque Gentile Aretino praetore longè doctissimo, atque sanctissimo, ab ipsis maiorum suorum vestigijs minimè abscedendum esse didicerant. Plurimum quoque valuerat ad regendam puerorum indolem, ut in lubrica aetate, Lucretiae Tornabonae matris diligentia, quae morum omnium erat moderatrix: ea enim grauitate virilis animi, pudicitia, studioque virtutis cunctas aetatis suae foeminas superabat. Nec in postrema eius laude fuerat, Aloysium Pulcium nobilem poetam i-

ipsius matronæ ingenio ac liberalitate adiutum, Morgantis fabulosi herois admirandas vires Hetrusco, ac immortalis carmine celebraſſe. Accessit quoque togatis ac ciuilibus artibus exornatis armorum, equitandiq; peritia, qua tantum vixdum pubescentes excelluere, vt Iulianus iuuenilis decoris auidus proposito ingenti præmio nobilissimos ac fortissimos quosque equites è tota Italia ad ludicrum certamen inuitarit. Cui spectaculo, apparatu, frequentiaque hominum valde memorabili Petrus pater præfuit, annotatumque est, Iulianum acclamantibus, ac fauentibus cunctis, multo plures quam quisquam alius hastas triplici ferro præpilatas in aduersis concurrentium equitum pectoribus perfregisse: eius gloriosi laboris præmium fuit triumphus Politiani diuini Poetæ carminibus celebratus. Nec multo post Laurentius, vt fraternis laudibus equaretur, nouum spectaculum periculossimè pugne edidit: in quo non singuli equites cataphracti de more intermedia erectarum tabularum linea discreti concurrebant, sed conglobati confertis turmis ad veri certaminis imaginem libero in campo dimicabant. Huius quoque speciosissimi certaminis memoriam Pulcius ipse Politiani emulus, periucundo edito poemate sempiternam fecit. His artibus atque animis cum haud dubiè iuuentutis principes euassissent, tametsi complures illustribus familijs orti gloriæ eorum ac potentie inuidebant: vniuersè tamen ciuitatis consensu digni rerum fastigio, ac principe loco ferebantur. Nam ipsorum domus veræ munificentiae, iucunditatis, elegantiae, virtutumque omnium officina cunctis patebat: superbia, libidine, audacia, simulatione, liuoreque penitus exclusis. Nec multo post Laurentius cum animi, tum consilij magnitudinem veris operibus ostendit, quum forte Volaterrani occiso prætore propter imperij acerbiteriam, & salinarum controuersiam, à Florentinis defecissent. Nam plerisque prudentiae opinione clarissimis senatoribus, proposita venia potius quam vi ad officium reducendos esse iudicantibus, ipse contra magnificè disputando perucit, vt ciuitatem quæ crudeliter atque superbe rebellasset, bello persequerentur: ne quodam inani ac pernicioso clementiae lenitatisque nomine, publicam imperij dignitatem amitterent, quam omnino, & foedè quidem apud cæteras essent amissuri, nisi in reos maiestatis, & nefaria arma tenentes, vim exercerent. Itaque eius ductu bellum Volaterranis illatum. Qui omni belli clade perdomiti, expugnatique tormentis, ac admirandis ingentibusq; ligneis machinis, ad extremum temeritatis atque saeuitiae suæ poenas dederunt: sic vt duplicem Laurentius, cum industriæ militaris, tum ciuilibus clementiae laudem tulerit, quod summa cum dignitate rebellantem urbem recepisset, & hostibus quam sanguinaris & maximè contumacibus vitam & libertatem, ac magnam bonorum partem concessisse videret. Cæterum inopina vis fati humana virtute potentior, eos omni laude florentes repentino seuoque turbine inuoluit, & obruit. Successerat Paulo Secundo Xystus III. Pontifex supra sacrarum literarum notitiam bonis malisque artibus instructus. Is Pontificiam dignitatem augere, imperium armis proferre, Hieronymumq; presertim sororis filium principatu urbium, ac amplissimis fortunis honestare cupiebat, quando iam ceteros affines Petrum & Raphaelem insignibus sacerdotis ditatos, cardinei pilei honore decorasset. His consilijs quominus ad exitum perducerentur, Laurentij ingenium, insignisque authoritas maximè officiebant: quoniam in eius manu consilioque Reip

que Reipublicæ Florentinæ opes sitæ erant, sensusque is habebat à Pontificis cogitationibus penitus alienos: Nam Xystus antea Laurentium pro Iuliano fratre in petitione Cardinalatus omni ope atque industria contendentem, diu ac multum ludificatus, differendo, ac demum negando, animum eius ac existimationem vehementer offenderat. Quamobrem Laurentius, qui tranquillitatis atque ocij studio potentiam principum in Italia exequatam volebat, nec pontificis vires nimio plus crescere patiebatur, aduersarium se libidini eius, immoderatisque consilijs semper ostendit. Vitellios quos Xystus, vt Tiferino patria expelleret, bello persequebatur, pecunia omnibusque auxilijs adiuuerat: & ne Pontifex Imolam Flamininæ urbem coemeret (quam Regulus egestate atque desidia præceps venalem proponebat) interpositis per amicos mensarios rei numariæ difficultatibus impedimentum attulerat: ita vt iam Laurentio cum Pontifice aperte similtates intercedere viderentur. Erat tum in vrbe Franciscus Pactius nobilis trapezita cuius familia Florentie vetustate, viris atque opibus erat insignis, ac ob id Mediceis admodum infensa. Is ingenio peracri & seuo Mediceos fratres, quos rerum dominos ferre non poterat, malignè ac acerbissimè eorum gloriæ obtrectando, Pontifici facillè commisit, operamque suam audacter pollicitus est ad eos interficiendos, si Pontifex Florentinis in libertate educatis, qui graue seruitutis iugum fortiter essent excelsuri, cum ipsa illustri authoritate, qua plurimum posset, tum præsentibus etiam opibus faueret. Xystus ne tam atrox scelestumque consilium sanctis auribus admisisse videretur, rem totam occultè tractandam perficiendamque Hieronymo demandauit, egitque cum Ferdinando Aragonio vt Alfonso eius filius cum exercitu in Hetruriam mitteretur, ea spe, vt sublati aut eiecti Mediceis, Florentinos sibi eo beneficio obstrictos, solenni fœdere consociaret, quorum postea auxilijs nixus, maiore cum dignitate atque potentia summi pontificatus iura tueretur. Asciscuntur inter coniuratos Archiepiscopus Pisanus è nobili Saluatorum familia, qui priuatas cum Laurentio similtates eius sacerdotij nomine conceptas exercebat: itemque Montescicus vir militaris Hieronymo fidus, qui vt erat manu ac ingenio promptus, patrandæ cædis negocium suscepit. Itaque alius alia de causa simulante diuerso tempore Roma profecti, Florentiam perueniunt: eò etiam mittitur Raphael Riaris Cardinalis Hieronymi frater adolescens, vt si qui dubij ac timidiores forent, ob eius præsentiam maiore demum fiducia ad maturandam cædem inducerentur. Proinde omnibus consanguineis atque gentilibus, & amicorum clientumque præcipuis scelerato consilio adhibitis, in templo diuæ Reparatæ longè omnium eius vrbs augustissimo, facinus patrare constituunt. Id verò temporis momentum pro tessera ad stringendas sicas cunctis est datum, quo medijs in sacris Eucharistia populo ostenderetur. Nec mora, Franciscus ipse Pactius, Bernardusque Bandinus Iulianum, quem familiarissimè & comiter fabulando medium tenebant, repente confodiunt. Alij eodem temporis puncto Laurentium adorti, eum supra iugulum in ceruice conuulnerant. Sed ille amicis haud impunè protegentibus, in proximum sacrarium ab ædituis receptus, coniuratis subinde ianua prohibitis, seruatur. In tanta trepidatione ac fuga, omnis ætatis ac sexus hominum longè tumultuosissima, populus incredibili studio ac pietate erga Mediceos arma capit, ac eorum nomen

ingeminat: optimi quippe eo immmani execrabilique scelere permoti, coniuratos persequuntur, alios trucidant, alios viuos ad supplicium in curiam perducunt. Eodem quoque tempore Saluiatus Antistes, qui officij specie cum magno comitatu ad Vexilliferum, Octouirosque Reipublicæ præfectos de more salutandos ascenderat, vt curiam occuparet, audito fremitu discurrentis ad arma populi pauide suis ipse implicitus sermonibus comprehenditur: statimque ipse affinesque eius omnes, comites, vulgata inauditi sceleris atrocitate è fenestris suspensi laqueis præcipitantur. Franciscus etiam Pactius coniurationis princeps, quem populus domi ceperat, ab eadem fenestræ columnella, è qua pendebat Antistes deicitur, cæterique eorum satellites curia inclusi apparitoribus strenuè operam nauantibus iugulantur. Nihil atrocius eo spectaculo fuit: nam quum frequentes Curia fenestræ deligandis capistris non sufficerent, vt sequentium supplicij expeditior locus foret, laquei ante deiectorum, ac morientium præcidebantur, ita vt Magistratus supremæ poenæ loco parricidarum cadauera iratæ multitudini, vncis trahenda, ac in perfluentem Arnun præcipitanda relinquerent. Laurentius in tanta repentini casus acerbitate, de Riarj Cardinalis salute maximè sollicitus, vix impetrauit, vt ei qui ad aram maximam confugerat, parceretur; quod propter adolescentiam, ac ingenij simplicitatem, tantæ rei consilium ei minimè commissum fuisse arbitrabatur, ac simul vt eius beneficij nomine infensissimi Pontificis voluntatem aliquando redimeret. Biduo post pari studio ac diligentia montanorum hominum in summis Apennini iugis ex fuga retracti sunt, Monteficcus & Iacobus Pactius dignitate atque opibus eius familiæ princeps, qui ad quæstionis examen patetacta coniuratione, eandem foedissimi supplicij contumeliarumque omnium fortunam tulit: solus autem Monteficcus, qui ad Laurentij cædem fuerat destinatus, mitiorem supplicij poenam sepulturamque promeruit: quod hominem diuina virtute præditum in conspectu Deorum immortalium ante aras se percussurum omnino pernegasset. Siquidem Laurentius paulò antè Monteficci animam perhumano liberalique sermone molliuerat, adeoque benignè industriam ac opes ei fuerat pollicitus, si quædam in Apennino castella, quæ Monteficcorum fuissent, redimere vellet: vt ille commutata voluntate mirum in modum ei deuinctus abierit. Vnde iam constat, ad præclarum in omni vitæ actione præceptum, nihil in principibus salubrius esse, & ad laudem præstantius, quàm humanioribus responsis, vel infimæ fortunæ homines ab se dimisisse. Iuliani demum funus maximo luctu totius populi, Pactiorum simul ac Saluatorum nomen execrantis est celebratum. Fuit enim in eo iuvene singularis humanitas cum insigni liberalitate coniuncta, qua sibi ab omnium ætatum ac ordinum hominibus incredibilem beneuolentiam compararat. Natus ei est altero circiter atque tricessimo die filius posthumus nomine Iulius, non modò lineamentis oris, sed toto corporis habitu ei simillimus: qui postea accepto Clementis VII nomine mortuo Hadriano, pontificatum maximum est adeptus: ita vt diuinatione atque iustitia potius, quàm villa vi vel iniqua sorte occultioris Fati, mortalium Fortunam dispensari ac regi penitus arbitremur: quando Dij ipsi non eos modò, quos nulla hominum potestas, nulla posteritatis verecun-

dia, nul-

dia, nullus deniq; sacrorum respectus à concepto nefario scelere retardarint; meritas supplicio pœnas dare coegerint: sed ipsorum etiam fratrum, qui stric-
 ctis pugionibus ante aras petebantur, liberos insigni providentia ad supremæ
 dignitatis fastigium nasci voluerint. Nec multò post Laurentius obligato ad-
 huc vulnere, ad ciues longam habuit orationem, qua innocentiam suam com-
 memoratis erga omnes perpetuæ suæ lenitatis, modestiæ, ac liberalitatis of-
 ficijs abundè est testificatus. De inimicorum verò crudelitate atque perfidi-
 dia, tanta animi gravitate moderationeque differuit, vt plerisque lachrymas
 exciuerit, dubios, vel ante infensos ciues traduxerit in partes: ac demum vnus
 iam planè princeps ciuium omnium factus, Rempub. ad arbitrium admi-
 nistrare cœperit. Iam Alfonso cum pontificijs paternisque copijs in Senen-
 sem agrum peruenerat: ab alijsque Pontificis ducibus in Flaminîæ finibus ar-
 ma parabantur: vt quod dolis, perfidia, sceleratisque insidijs patrare nequie-
 rant, id vera vi ac aperto demum bello perficerent. Addit quoque Xystus
 profanis armis terribile religionis telum, ac Florentinos Christianis sacris in-
 terdicat, quòd Saluiatum Archiepiscopum, hominem sacratum indicta causa
 protinus enecassent, quando eius admisi criminis pœna ad ipsius Pontificis
 iudicium omnino pertineret. Porro Laurentius inimicis ferè omnibus
 supplicio affectis, firmissima hominum beneuolentia munitus, pecunias co-
 git, exercitum parat, à Sfortianis iure fœderis auxilia petit, Venetique sena-
 tus fidem implorat, qui liberas ciuitates aduersus vim impotentium princi-
 pum tueri, sociorumque iniurias egregiè defendere consueuisset. Cæterum Al-
 fonsus acri impetu in Florentinum agrum prouectus, priusquam iustus exer-
 citus cogi posset, aliquot castella tormentis cepit, magnas vndique pecoris ac
 hominum prædas egit, totumque eum tractum villarum, colonorumque fre-
 quentia insignem bellico terrore compleuit. Interea Federicus Gonzaga, &
 Hercules Atestinus, in Heturiam cum delectis copijs peruenerunt: condu-
 ctusque est Carolus Montonius, qui veteranos Braccianæ militiæ, itemque
 Perusinos exules sub signis habebat, vt in Umbria Pontificias copias amit-
 tendæ Perusiæ metu distineret. Quibus de rebus vario, sed nullo memora-
 bili euentu bellum pluribus in locis gerebatur. Nam & Robertus Sanseue-
 rinus, qui pontificis Ferdinandi que auspicijs militabat, è Lunensi in Pifa-
 num agrum populabundus excurrerat: & Tifernates à Nicolao Vitellio
 Pontificis hoste, quum patriam armis repeteret, maximè vexabantur. Iam
 multi menses transierant, bellumque maiore aliquanto apparatu, quæstus-
 que Ducum ac militum, quam virtute vel gloria trahebatur, quum ad Tra-
 sinenum lacum Pontificis copiæ à Florentinis ducibus sunt profligatæ, &
 Sanseuerinus in Lunensem agrum fortiter est repulsus. In castris autem ad Po-
 gium imperialem seditio militaris admodum cruenta inter Gonzagæ Atesti-
 ni que equites exarsit: quæ res sicuti exercitum in partes diduxerat, ita postea
 Alfonso Federicoque Urbinati pugnæ feliciter committendæ occasionem
 præbuit. Eorum enim repentino aduentu perturbatæ Florentinorum copiæ
 singulari ignauia, abiectis fœdè armis terga verterunt. At Laurentius quan-
 quam belli fortuna partium vices prosperis pariter ac aduersis successibus al-
 ternarat, maximis tñ curis angebatur, quum foris, maximi regis, acerrimique
 Pontificis non modo vehementes, sed diuturnos impetus omnibus propè re-

bus impar, ægerrimè ferret. In libera autem & maledicentissima ciuitate vix inuidiam quæ sibi passim in coronis ciuium & conciliabulis conflaretur, diutius integra dignitate sustinere se posse speraret. Exhausto enim erario, necessè erat, vt fide quidem publica, sed priuatis opibus bellum gereretur: quod omnibus vel amicissimis graue erat, & peracerbum, quando id non ad conseruandam Reipublicæ libertatem, sed ad tuendam potius alendamque vnus hominis potentiam omnino susceptum esse videretur. Xystus enim & Ferdinandus, vt Laurentio inuidiam magis ac magis auerent, se nequaquam ad opprimendam Florentinorum Rempublicam, quam non modo incoluissent, sed florentem optarent, bellum intulisse prædicabant: verum vt priusquam eorum libertatem tyranno eiectò reuocarent. Pestilentia quoque valde atrox ac repentina, quæ vulgatis minimo contactu morbis, cumulatimque subinde multorum funeribus urbem vastaret, magnas administrando bello difficultates afferebat, afflictis scilicet ancipiti periculo ciuibus, qui neque in agrum clementioris & liberioris cæli ad tuendam salutem euadere propter bellicum terrorem late ac propinquo hoste circumlatum, neque in vrbe exitiabili eius morbi contagione scædata supremi discriminis metu consistere audebant. Spes quoque auxiliorum erant imminutæ, quæ sibi à fœderatis debebantur. Nam rem Mediolanensem, quæ tum Ioannis Galeacij pueri, & Bonæ matris imbecillo ac instabili ingenio regebatur, repentina defectione Ligurum, & domesticis Sfortianorum fratrum contentione eius belli socij, vel adiutores forent, inueterata eorum consuetudine lentius admodum deliberationibus de mittendis auxilijs decernebant. Quibus de causis, cum in oculis portum è tot bellicis intestinisque tempestatibus confugere vellet, ab animi magnitudine consilium sumpsit, cum patriæ & ciuibus salutare, tum sibi necessarium atque vtile, & mox successu ipso maximè gloriosum. Inducijs enim duorum mensium facile per hyemem impetratis, Ferdinando regi significauit, se rectè factorum conscientia fretum, continuo venturum Neapolim, futurumque in eius potestate, vt in componendis rebus nullo alio quàm regio iudicio, quod ab humanitate æquitateque minimè alienum fore speraret, vteretur. Ergo cum paucis communitate consilio magistratus ex sibi fidissimis deligit, Thomæ Soderino Venetico eximie prudentiæ viro Rempublicam commendat, filium eius tam secum, vti obsidem fidei futurum adducit, & Pisas per causam inuisendi prædij profectus, inde mari triremibus duabus Neapolim prouehitur. Dum oram solueret, ad Senatum scripsit, se publicæ quietis causa amoreque ciuium propriam salutem in periculum deuocare non dubitasse, propterea se ad inimicum regem proficisci, vt aliqua tolerabili conditione, pace quæsita, & se inuidia & ciuitatem bellico metu liberaret, aut certè, si Dijs æquissimis ipsius consilijs infesti forent, patriæ belli finem postulanti, cum insigni pietatis laude, vel acerbissimo vitæ exitu satisfaceret. At eius profectiois fama sicuti clientium ac amicorum animos metu perculit, ita inimicos incomparabili lætitia repleuit. Nam eum sæui ac impotentis regis, qui plerosque regni proceres varijs suspicionibus inductus enecasset, sanguinarias manus nunquam euasurum existimabāt. Nec deerant Detestulius

Nero vetus hostis & exul, & cum eo plerique alij Florentini Mediceis inimici, qui regem ad eum omnino capiendum, tollendumque omnibus maledicentia atque odij admotis machinis impellere conarentur. Cæterum Ferdinandus integra fide, regioque apparatu Laurentium excepit, admissumque in secretiora colloquia, tacitus ipse secum primò, ac demum palam, propter eximiam animi magnitudinem, incredibilemque ciuiliū & bellicarum rerum peritiam, tanta sensuum omnium propensione est admiratus, vt cuncta ea quæ insidiosè in eius perniciem ab inimicis excogitata fuerant, paucis diebus superata penitus inuidia, ad amplitudinem eius & gloriam verterentur. Adeo enim scitè ac sapienter de Italicarum rerum statu, de principū ingenijs, de facultatib. ac moribus liberarum ciuitatum, deque tota pacis ac belliratione disceptarat, vt rex ipse aduersarum pariter ac secundarum rerum vsu longè prudētissimus, neminem eo sapientia, iudicio, memoria, ac omni denique summa virtute præstantiorem esse fateretur. Nec multo post Ferdinandus humanitate ac ingenio eius hominis expugnatus, pacem haud iniquis conditionibus dedit, foedusque percussit, in quo disertè appositum est, vt Aragonij, & Florentini, si bellum alicunde ingrueret, certa collata pecunia mutuis auxilijs iuuarentur. Laurentio Florentiam reuerso, vniuersa ciuitas eas laudes ac honores, qui salua libertate deferri poterant, studiosissimè congestis, egitque publicè gratias, quòd non armis publicoque periculo, sed diuina ingenij virtute, propria etiam salute pro ciuib. fortiter proiecta, exoptatam pacem affectæ patriæ peperisset. Sic enim liuorem eorum omnem, qui Medicum nomen oderant, eius clarissimi facti gloria contriuerat, vt cunctos iam amicos pariter ac aduersarios, mediosque homines publico obstrictos beneficio in sui admirationem conuertisse iudicaretur. Authoritate enim, potentia, opibus, haud dubiè princeps euaserat, qui inter ciues cæteris omnibus cultu, modestia, humanitateque persimilis versabatur. Sed eius initi foederis fama, & Xysti Pontificis & Venetorum animos vehementissimè pupugit. Nā qui modo belli socij fuerant, ipsa demum pace penitus exclusi videbantur. Aegerrimè in primis ferebat Xystus, quod tale de sua suaque natura Laurentij iudicium extitisset, vt cruenti potius regis arbitrio, quam sacrosancti Pontificis clementiæ, & tota belli causa, & sua ipsius salus omnino committenda videretur: ita vt appareret Pontificem sacri imperij vim ambitiosius exercentem, & Venetos augendæ ditionis auidos primo quoque tempore res nouas esse molituros. Sed tum eorum consilia discussit repentinus Turcarum aduentus, qui Hydrunte in Salentinis vi capta, opportunitate breuissimi traiectus freti, ab Aulona, totaque Epiro accitis copijs, non modò Apuliam, sed cunctam Italiam incredibili terrore compleuerant. Oppugnabat eodem tempore Rhodum maximis viribus Mahometes ille Græciæ dominitor, huius Solymani proauus, qui modò Pannoniam & Noricum victo atque interfecto vna acie Ludouico rege, cum ignominia Christiani nominis percurrit. Igitur eo tumultu, depositis in præsens priuatis odijs, Christiani principes aduersus publicum hostem coiungere, Cæterum Turcarum pertinacia, morte potius imperatoris sui, quam nostra virtute superata est. Siquidem Mahometes, quum sibi ingenti spe felicique audacia terrarum

orbis imperium destinaret, repentino oppressas morbo, & suos in Italia fortissimè repugnantes destituit, & hostes longè maximo metu liberavit. Per eos dies cum Xystus Turcico tumultu exterritus, multum de pristina ira atque odio aduersus Laurentium remisisset, Florētino populo conficiendorum sacrorum iura restituit: ita tamen vt vim exulcerati animi in irroganda pœna prorsus ostenderet. Nam multæ nomine Florentinis impositum est, vt quindecim triremes ad bellum Turcicum exornarent. Hydrunte recepta, & Turcis in deditiōnem acceptis, Veneti Herculi Atestino bellum atrox ac maximè repentinum intulere, fauente Xysto, qui cum eis fœdus inierat, vt ex Herculis infelicitate, si victor Venetus euasisset, Hieronymi Riarij ditionem amplificaret. Is rerum motus cæterorum principum animos magnopere commouit, quum omnes Herculem ipsum qui Ferdinandi gener esset, incolu- mem vellent, necrem Venetam carpendo aliena in immensum crescere, occupataque Ferraria ad totius demum Italiæ dominatum efferri paterentur. Erant inter se fœdere cogitationibusque coniuncti Ferdinandus & Laurentius Ludouicusque Sfortia, qui pro tutore pueri principis, Mediolanensi imperio potiebatur. Ille communicatis consilijs Federicum Vrbinatem, qui tum vnus in Italia erat, & vetus ac felix imperator, in Ferrariensi Venetis opponunt: Alfonso regis filium ab Truento amne per Picentes in agrum Romanum cum valido exercitu maturare iubent: Ab Etruriæ autem finibus Nicolaus Vitellius euocatur, instruiturque pecunia & copijs ad Tifernum repetendum, vnde Xysti iniuria paulo antè fuerat eiectus. Quæ eò pertinebant, vt Xystus domestico oppressus bello, Venetos iniqua vel immoderata cupientes, deserere cogeretur, ac tandem publicam Italiæ libertatem priuatis ipsius cupiditatibus anteferendam esse meminisset. Verum Alfonso qui ad Latinam portam infesto exercitu magnum Vrbi terrorem intulerat, nihil sese propterea animo demittente Pontifice, fortiterque armis remgerente, in Veliterno collatis signis est superatus. Ea pugna egregiè ab vtrisque pugnata est, sed victoria penes Robertum Malatestam Pontificiarum copiarum imperatorem stetit, ab insigni maximè opera sagittariorum equitum, quos Venetis è castris adduxerat. Cæterum Robertus in cuius virtute summum præsidium Pontifex collocabat, triduo post triumphumalui profluuiō celeriter est extinctus: adeo vt Hieronymum eius gloriæ inuidia excruciatum, mortiferam positionem sumministrasse plerique existimarint. Ipse quoque Federicus Vrbinas, qui Roberti Sanseuerinatis acerrimi Venetorum ducis impetum egregiè sustinebat, in castris ad Stellatam morbo ex fluuiali palustrique aura concepto, vir optimus ac inuictissimus est extinctus. Ab eius interitu Sanseuerinas acrior atque validior factus, orbatis tanto duce hostium castris, multa detrimenta intulit: moxque ad Argentam interfecto Antonio Martiano impigro hostium duce prosperè dimicauit: atque adeo secundo vbique rei Venetæ successu bellū gerebat, vt ad Ferrarię vsq; mœnia instructas acies promoueret. Quas ob res fœderati principes Herculis ingenti periculo perculli, magis ac magis Pontificè armis premebant, vt eū ab Venetæ societate diuellerent. Alfonso enim copias reparabat, Vitellius expulsis Iustinis qui in fide Pontificis erāt, Tifernum receperat. Et quū Hieronymus Roberto Malatesta mortuo, occupare Ariminum, et Vitellios rursus Tiferno pellere, reducereq; Iustinos propera-

properaret, Laurentius auxilijs maturè transmissis, spes eius, & conatus omnes infregerat. Quin etiam per Federicum Cæsarem egerat, vt concilium cunctis sacerdotibus atque imprimis ipsi Pontifici Basileæ indiceretur: cuius nomen non modò graue, sed terribile auribus ac animis Pontificum semper extitisset. Monebant quoque ijs rerum difficultatibus circumuentum principum legati, ac idonei præsertim homines, quos Laurētius abundè instructos trans miserat, vt certæ quieti honestoque ocio, quàm dubio ac exitiali bello studere mallet, quando nihil ei, qui pacificatoris personam iure pietatis sustinere deberet, gloriosius accidere posset, quàm Italiam pacare, & ex æquo & iure sublati armis controuersias finire, vt quod ipse diu antè optasse videri vellet, aduersus Turcas bellum communi concordia, singularique omnium Christianorum alacritate suspiceretur. At si Veneti Ferrariam potirētur, in eorum mox potestate propinquas vrbes, Mutinam & Rhegium futuras: inde bella ex bellicis ferentibus, & proxima quæque maturè ac audacter immortalis ipsorum imperio adnectentibus, Flaminiam omnino cessuram, Italiamque demum omnem conclamata communi libertate nouis hominibus, qui audacter è paludibus in proximam continentem pedes extulerint, omnino seruituram. His de causis adductus Pontifex, cum cæteris Italiæ principibus aduersus Venetos scelus percussit, monuitq; vt à Ferrariensi agro penitus abstinerent. Porro si quid in ea re antiqui iuris sibi esse arbitrarentur, id se protinus ex pontificijs legibus cogniturum. Quod si ab armis sibi minimè discedendum putarent, & Ferrarienses nihilo secius bello persequerentur: & se & cæteros belli socios eorum iniurias minimè neglecturos. Cæterum tantum abfuit vt Veneti ea ingentis belli denunciatione terrerentur, vt multo maioribus quàm antea animis atque opibus bellum omnino sibi gerendum esse decreuerint. Itaque quanto maximè studio atq; apparatu fieri potuit, ad arma discessum est. Conuenereque totius Italiæ principes apud Cremonam, vt de bello consulerent. Quo in conuentu Laurentius Medices tanta grauitate atque facundia suscipiendi ac administrandi belli rationes explicauit, vt cum togatis omnibus humanarum rerum peritia præstaret, in bellica etiam facultate, castrensibusque consilijs, diuinæ prudentiæ laudem admirantibus ducibus adsequeretur. Gestum est subinde bellum magna vi ac ingentibus copijs, non modò ad Ferrariam, sed in Bergomati & Brixiano, quo nullum grauius aut periculosius antea Veneti se sensisse meminerant. Iamque Alfonsi ductu et contusæ eorum vires, & fracti constantissime gentis spiritus abundè videbantur, nisi Ludouicus Sfortia præpostero & sibi demum exitiali consilio à socijs federeque discedens, victis iam planeque perdomitis equissimam pacem peperisset. Ad eius confectæ pacis nomen, quæ maiorum motuum semina præferebat, Xystus interijt: susceptusque ei Innocentius Octauus pacis atque ocij suo opte ingenio apprimè studiosus. Natumque est repente bellum in Luueniensi, repetentibus Sergium oppidum Florentinis, quod Ludouicus Fregosius dolo captum Genuensibus paulò antè vendiderat. Ad id Ligures eximio studio quantas pro decore vel salute gentis efficere poterant, cum terrestres, tum nauales copias contulerunt, bellatumque est multis mensibus vario euentu. Concessere quoque in partes Ligurum Petrasanctenses, qui in Lucensi agro supra Fanum Feroniæ vetus oppidum incolunt. In eos propterea

Florentini vires atque animos ab Sergiano conuertere: oppugnataque est aliquandiu Petrasancta, defensaque fortiter. Venit demum in castra Laurentius: is prætorum, & ducum errata opportunissimo tempore correxit. Nec multo post militibus partim præmijs, partim pudore incitatis, ob idque acriter operam nauantibus, oppido per deditorem est potitus. Incubere exinde Sergiano Florentinæ copiarum, totaque belli mole & obsidebatur oppidum, & tormentis maioribus oppugnabatur. Ad extremum, quum Ligurum exercitus subsidio laborantibus aduenisset, commissoque infeliciter prælio victoriam penes Florentinos stetit, Sergianenses reliquas spes omnes in vna admirabili virtute clementiaque Laurentij collocarunt, eumque ad aperta porta supplices præsentis oleæ frondibus exceperunt. Confecto Lunensi bello, cum Laurentius ad pacis munia transiisset, inter Innocentium & Ferdinandum bellum exarsit. Aquilani enim interfecto regio prætorum, defecerant. Hos Pontifex imperitorum hominum consilijs impulsus, vt opulentam urbem imperio adijceret, fouendos tuendosque susceperat. Rex quoque eo magis opportunus iniuriæ videbatur, quod ab eo plerique regni proceres inita coniuratione descuiissent. Itaque Ferdinandus grauisissimis periculis implicitus à Florentinis auxilia postulauit: quæ non modo facile impetrata, sed transmissa celeriter inexperti Pontificis consilia perturbarunt. Eum enim Florentini valde oderant, quod Lunensi bello Liguribus fauisset. Sed in ea causa Laurentij vehemens studium & mirifica voluntas enituerat, quum ea non modo foederi publico, sed priuatae etiam amicitiae plenissime tribuisset. Erat Laurentius Vrsinæ familie, e qua Claricem duxerat vxorem, affinitate sensibusque coniunctus: Columnij verò in fide & clientela Aragoniorum erant. Quas ob res facile accidit, vt vtriusque factionis Romani proceres stipendio conducti regijs in castris aduersus Pontificem militarent. Pugnabatur ad Anienis pontes, cunctaque suburbana oppida in Hetruria, & Latio pariter Aragonijs fauebant: nec pro vetere cum fidei, tum virtutis opinione Robertus Sanseuerinas ad vrbis præsidium accitus eorum impetum sustinebat. Quibus de rebus Pontifex bello temerè suscepto necessariam potius quam decoram pacem præferre coactus est: tantumque abfuit, vt ex earum offensionum memoria Laurentium odio persequeretur, vt eum tum maxime ab spectata virtute suspicere admirarique cœperit. Eximia etenim fide, constanti studio, celerique ope socium regem ab eo non modo adiutum, sed propemodum conseruatum fuisse conspiciebat, seque propterea multo potentiorum ac feliciorum fore arbitratur, si eum virum qui tantum virtute, consilio, atque opibus valeret, stabili ac firmiore aliquo amicitiae vinculo sibi coniunxisset. Nec multo post in mutuam amorem nudatis vtrinque animis Magdalena Laurentij filia in matrimonium Francisco Pontificis filio sibi collocata est, adiectumque priuatae affinitati publicum foedus. Vnde mox ab certo veluti felicitatis gradu fortuna Mediceæ familie ad meritum potius quam speratum humanarum rerum fastigium ascendit. Nam triennio post Pontifex salutari benignitate in honorem Laurentij patris Ioannem eius filium vix tum tertium decimum excedentem annum in Cardinalium numerum cooptauit. Tanta enim Laurentius apud omnes gratia valebat, vt singuli cardinales pleno suffragio maturius quam per leges liceret, summæ dignitatis honorem cum ipsis coccinei pilei insignibus sine

bus, sine vlla dubitatione demandarint. Optima pace parta, ad eam tuendam in ipsis imperij finibus propugnacula erexit, à Senensi via opportuno atque edito in colle Pogium imperialem, vt eò Pogiboncij oppidi incolas transferret: in Apennino autem quà Bononiam itur, Florentiolam muro turribusq; muniuit. Finitimorum quoque regulatorum amicitiam perpetuis officijs liberalitateq; parauerat: ita vt Baleones Perusini, Vitellij Tifernates, Senenses Petrucij, Bentiuoli Bononienses, Fauentiniq; Manfredij vnum eum respicerent: atque eius consilia maximè sequerentur. Domi autem in demandandis rei publicæ muneribus æquali temperamento semper est vsus: vt cum carissimis amicorum & clientibus honores deferret, nullus vnquam antiquæ nobilitatis se præteritum esse quereretur. Opificibus autem ac infimæ plebi adeo populariter studuit, vt sæpe priuata pecunia annonæ penuriam subleuaret, & cum studio ædificandi ductus in Caiana villa extruenda sumptu atque elegantia Cosmum auum superare decreuisset, magnam operarum turbam se alere potius quàm ædificare prædicabat. Edebantur quoque statis anni temporibus hastatorum equitum decursiones, comœdiæ, theatrales ludi, omnisque generis spectacula. Quibus rebus fiebat, vt populus Florentinus quæstui pariter & iocunditati deditus effusè lætaretur. Numidicos etiam equos eximie pernicitatis domi alebat, qui in celeberrimis magnarum urbium certaminibus cursu contenderent, victoriarumque præmia, aureos & fericos pannos singulari pietate vestiendis altaribus dedicabat: adeoque in his rebus curandis exornandisque sumptuosus erat & diligens, vt nullum vnquam popularis gratiæ decus, vel in maximarum rerum occupationib. neglexisse videretur. Optimarum autem literarum professoribus, exquisitarumque artium magistris, cum earum esset intelligentissimus, adeo perhumanè ac liberaliter fuit, vt cæteri principes felici eo seculo, quo vera virtus pro opibus censebatur, ab vno se Laurentio Medice superari indignarentur. Tum enim de paranda gloria eximie inter se studijs certabant Matthias Pannonius regum optimus ac inuictissimus, Ferdinandus Aragonius, & Ludouicus Sfortia: ita vt mirum videri potuerit, Laurentium ab ea ciuili potius quàm principali potentia aliquanto longius nominis atque familiæ claritatem munificentia ac literarum auspicijs extendisse, quàm quisquam alius æqualis famam vel militarium operum fulgore protulerit. Gymnasium quoque percelebre disciplinarum omnium doctoribus tota Italia magno ære conquisitis, Pisis instituit, vt nobilissimam quondam urbem ad solatium veteris amissæ libertatis nouo decore, ac externæ iuuentutis frequentia recrearet: misitque eò Ioannem Cardinalem, vt in sacro ciuiliq; iure sub egregijs doctorib. erudiretur. Nec Florentiæ deerant Græcarum ac Latinarum literarum clarissimi professores, alijque ingenio atque facundia insignes quibus cum familiarissimè viuebat: in his fuere Picus Mirandula, Politianus, Marsilius Facinus, Christophorus Landinus: & ex Græcis Ioannes Lascars, & Demetrius Calchondiles, & Marullus Trachaniotes, qui præclaris ingenij operibus editis, cum immortalis laude in omnem posteritatem viuent. Horum eruditione ac diligentia fretus bibliothecam quam Cosmus inchoarat, nobilioribus peruetustisque codicibus, ac in ipsa præsertim Græcia conquisitis, referuit. Cuncta autem cum publicæ tum domesticæ vitæ munia, tanta ingenij altitudine peragebat, vt vir ad lau-

dem natus amplissimis monumentis memoria nominis sui consecrare videretur, ut qui præclarissimarum actionum suarum famam, non modo civium, sed cunctarum gentium oculis ac auribus expositam esse iudicaret. His enim virtutibus etiam apud publicos hostes, Barbaros, ac remotissimos reges magnus & clarus euaserat. Nam et Baiazetes Turcarum imperator, Bernardum Bandinum Iuliani fratris percussorem, qui in Asiam usque perfugerat, dignitate hominis, & sceleris atrocitate permotus ad supplicium tradidit. Et Cayt-beius Memphiticus Sulthanus, quo nemo tum bellica virtute felicior fuit, studium suum atque benevolentiam in gentibus admirandisque muneribus Florentiam transmisisit, cum insigni Laurentij gloria testatus est. In his enim camelopardalis fuit, animal Indicum enormi proceritate & conspicua varietate mirabile, quod à multis seculis Italia non viderat: atque eo etiam admirabilius, quod neque modo Lusitani, India perlustrata, neque Hispani inuento ac peragrato nouo terrarum orbe, eius generis animantem hæcenus inuenerint. At Laurentius publicis domesticisque rebus felici industria, ac optima ratione constitutis, ad ocium philosophiæ, optimarumque literarum confugit, & cum eruditissimis viris, quos supra memoravi, modo in vrbe, modo in Caregia villa & in Caiano procul à ciuilibus negocijs exercebatur: adeoque his studijs flagranti cura incumbere erat solitus, ut modo seipsum veluti inertem, modo iniquam temporum conditionem incusaret, quod tam sero ad philosophandum accessisset. Sed non multo post eum virum & cunctis secundæ fortunæ muneribus, & omni virtutis genere florentem morbus inuasit, torfereque eum aliquandiu cæliaci dolores, subsequenteque mox lenta atque tabifica febre, tertio & quadragesimo ætatis anno consumptus est. In supremis autem vitæ momentis (uti religiosissimum decebat) incredibilem pietatem, singularemque animi constantiam viuacissimis usquequaque sensibus ostendit, cauitque ne plusquam ciuili pompa funus efferretur. Sed qui eam inanis spectaculi gloriam spreuerat, ab publico omnium iudicio multo ampliore & speciosiore tulit, cum ei mox veluti custodi ac auctori pacis & ocij, non modo Florentia patria, sed totius Italiæ populi, externæque gentes incredibilem cum dolore, ac multis cum lachrymis iustissimè parentarint. Mortem eius variâ præcessere prodigia, uti magnis Regibus accidere videmus: nam & crinita stella supra tectum Caregiæ villæ, ubi tum ægrotabat, decidere est visa. Fulmen quoque subitam secum cæli serenitatem adducens pilam auratam Mediciæ familiæ insignem, et fastigium è summa testudine maximi templi cum terribili ingentium marmorum ruina decussit: leoque omnium qui tum in cauea essent, nobilissimus, quod semper prodigij loco Florentiæ habitum fuit, aliorum sæuitia laceratus est. Ita ut hæc quoque signa eas calamitates prænucliasse videantur, in quas Italia propè omnis amissa libertate mox incidit, quæ nusquam esset in terris optimi, sapientissimique hominis ingenium cum summa authoritate coniunctum, quo ille communis pacis et tranquillitatis apprime cupidus, cæterorum principum insanas mentes peruersis implicitas consilijs frenare omnino, atque sanare facile potuisset. Paulo antequam Laurentius vita excederet, Ioannem Cardinalem Romam cum insigni comitatu ad Innocentium miserat, dederatque ei præcepta summæ plena prudentiæ peculiari libello ad honestissimæ vitæ rationem conscripta, adeo graui & salubri tempera-

temperamento, vt quum in splendore atque elegantia actionum omnium, vnum maximè sacratæ dignitatis nomen tueri vellet, in filio tamen eius ætatis præteneræ nequaquam obliuisceretur. Cæterum Ioannes supra bonarum artium notitiam, ex ea disciplina ab humanitate suauitateque ingenij omnibus iam charus, vbi de morte patris nuncium accepit, continuo Florentiam est reuersus. Abeuntem Pontifex, vt aliquid ad augendam studij gratieque famam iuueni summæ indolis, ac optimi viri patris memoriæ daret, totius Hetruriæ legationis honore liberaliter honestauit: qua vna existimationis amplificatione magis ac magis ad confirmandum rerum statum ciuibus Florentinis natura commutandæ Reipublicæ percupidis omnino conciliaretur. Itaque paternis amicis præclare adiuantibus, & Petro fratre ad Reipublicæ gubernacula constituto, non multo post ad Urbem redit, paucisque inde diebus Innocentius moritur. In comitali verò contentione, qua Alexander VI Pontifex est renunciatus, nihil sibi iuueni honestius duxit, quam duobus longe præstantissimis cardinalibus adhæsisse, quorum consilia ac authoritatem in ferendo suffragio sequeretur. Ii tum erant Franciscus Piccolomneus, qui postea inito pontificatu, Pius III est appellatus, & Oliuerius Caraffa, inter Senatores eius ætatis maximè illustres: qui tametsi in Republica graui pioque iudicio meliora prospicerent, turbulentis tamen comitiorum fluctibus abrepti, quos ab insana dissensione diducti plerique alij cardinales excitarant, quin deterrimus eius ordinis crearetur, resistere nequiuerunt. Horum facile princeps extitit Ascanius Sfortia, qui cum cæca ambitione avaritaq; corruptus, de manu sacrosanctam Alexandro thiamam imposuisset, aliquanto post in ingrato pontifice perfidiam expertus, debitas scelerati studij venalisque suffragij poenas persoluit. Nec multo post in Italiam ingruit Carolus Octauus Gallorum rex exitiabili dissidio, singularique dementia nostrorum principum euocatus, supra terribiles copias inusitato etiam curulium tormentorum apparatu cuncta prosternens. Petebat is Neapolitanum regnum impellente Ludouico Sfortia, vt Alfonso regis spiritus, immoderata semper appetentis, immisso tanto hoste frangerentur. Erant cum Aragonijs amicitia foedereque coniuncti Alexander Pontifex, et Petrus Medices, egregio certè ingenio iuuenis, sed virtute fortunaque patri dissimilis. Itaque ei contigit, vt descendente per Apuanos Ligures Gallo hosti primus copias opponeret, quæ sicuti per se exiguæ, & nullo, vti in longa pace, belli vsu exercitatae erant, ita repente ab alia Gallorum equitum circa Macram amnem protritæ fuscæque sunt. Inde Petrus tanta belli mole incumbenti Carolo facile impar, ad eum, iam Sergianum oppidum tormentis oppugnantem, suscepto legationis munere contendit, vt pace quæsitâ, acceptisque ad Regis arbitrium conditionibus, ciuitatis atque familiæ incolumitati maturè consulere. Foedo etenim euentu Federicus Aragonius Regis frater ornatissimam classem ad Portum Veneris adduxerat, & Ferdinandus eius filius in togata Gallia ad Sapim amnem à Regijs Sfortianis que copijs retro fuerat compulsus: adeo vt Dñj atq; homines in eo rerum motu à Gallis stare viderentur. itaque deposcente rege, opportunissimas Hetruriæ arces continuo tradidit, Sergiani, Petrasanctæ, Pifarum, atque Liburni portus. Redempta per hunc modum pace, Florentiam reuersus, reperit ciuitatem indignitate eius pactionis maximè commotam, veteresq; inimicos ex

ea occasione erectos in spem afferendæ libertatis. Quibus de causis Petrus, in sperati negotij grauitate subito oppressus, quum ex antè delecto amicorum ciuium numero, alios nutare, alios dilabi, nonnullos planè deficere conspiceret, nullibiq; sibi certa fides aut salubre consiliū prestaretur, ire in curiam, atq; ibi ad magistratus cōcionari cōstituit. Sed dum ad limen intrat, à Iacobo Nerlio audacissimo ex Tribunis plebis fores ocluduntur. Hoc leui rerū momento facile apparuit, nihil ea existimatione esse fragilius, quæ voluntati & studio hominum nixa, nullis armorum p̄sidijs sustinetur. Petrus enim in ea offensionis acerbitate vehementi metu consternatus, de formi admodum regressu, ac indecoro comitatu per curiæ aream domum se recepit, ibique in ops consilij cum Paulo Ursino vrbe excedere constituit: atque ita cum paucis, & antè ad Macram profligatis equitibus, Bononiam est profectus. Idem quoque faciunt Iulianus frater, & fidissimi familiarium: Ioannes vero ipse Cardinalis in arripienda fuga nouissimus, exuta purpura cineream cucullam ad Seraphici sacerdotis effigiem sibi induit, elapsusque inter tumultum occupatæ, & discurrentis turbæ, ad D. Marci cœnobiū, vt ibi se tantisper conderet, ab impijs sacerdotibus non admittitur. Existimabat enim se in eo templo, quod à Mediceis esset conditum, in omni fortuna humanitatem et fidem inuenturū. Eius itaque refugij spe deiectus, ad sancti Galli portam rectà perrexit, atque ibi (quod nondum ab inimicis erat occupata) conscenso equo, quem fors obtulerat, per Marinæ amnis vallem, & deuios Apennini tramites Bononiam ad fratres contendit. Idem quoque itineris consilium Iulius est consequutus, qui quum tesseram tradendæ arcis Pisas detulisset, factusque esset in via certior de Petri fuga, per Lucensium alpes euaserat. Cæterum Florentini eiectis Mediceis, armati in ædes impetum faciunt: diripiunt nobilissimæ suppellectilis apparatus: insignia & momumenta gentis reuellunt: summæque crudelitatis in Curia fit decretum, quo Petrus fratresque eius hostes iudicantur: n̄sq; qui eos interfecissent, aut viuos tradidissent, præmia decernuntur: creatisque nouis magistratibus, instituitur domi hasta, clausaq; ad ignominiam celeberrima anteriore porta, à postico populus admittitur. Videre erat præter auleorum stragularumque, & præciosæ vestis incredibilem copiam, & multa cælati argenti pondera, antiqui operis statuas, signa ærea, tabulas pictas minimo precio addici impurissimis licitatoribus, quæ per sexaginta annos viri perelegantes, vti omni auro cariora, ad ornamentum publicæ potius quam priuatæ domus tanto studio tantaque pecunia congelsissent. Neque enim vlla vnquā vel nuptialis, & festa fronde dies insignis adeo cumulatè regias Mediceorum opes detexit, quam hæc ipsa calamitas, quæ plerisque lachrymas etiam in ipsa rapiendi libidine ex Cosmi Laurentijq; memoria nequaquam simulanter exciuerat. Verum vnus erat peracerbè sæuendi prædandique non ignobilis prætextus, illa dulcissimi nominis, vti prædicabant, ab longo tempore recepta Libertas: quasi non moderatos ciues, & ab omni virtutis & beneficij genere, iure optimo principes ciuitatis, sed sæuos impotentesque tyrannos aliquo periculoso certamine pepulissent. At Medicei his aduersè Fortunæ fluctibus patria eiecti, quum Bononiæ haud multo tempore se tutos fore perspicerent, quod Iohannes Bentiuolus minus propense ac liberaliter acerbissimo casu afflictos respexisse videretur, Petrus Venetias, ipse vero Ioannes Cardis cum

nalis cum Iuliano fratre, & Iulio patruale Petilianum, atque inde Tifernum ad Vitellios veteres amicos confugerunt. Castigarat enim Ioannes eos primo congressu haudquaquam mollibus verbis, secus ac recentis calamitatis casus postulare videbatur, subagrestius scilicet increpita ignauia, quod aduersus hostes nullo virili edito facinore, nec in hostes districto quidem ferro, incruenti, dominatu, patria, paternisque laribus, ac exuti fortunis omnibus excessissent. Quibus sermonibus se Bononiæ frustra permansuros facile intelligebant, quando ibi, vti pulsus profugisque sepe accidit, Bentiuolorum neque certo studio, neque firma beneuolentia niterentur. Quæ res singulare incommodum rediuiuis propè rebus impotunè attulit. Nam Carolo Florentiam ingresso, plerique duces militares & proceres, & ante alios Bressius Allobrogum principis frater, Medicei nominis studiosus, in fœdere conscribendo, prolixas & astutas togatorum consultationes fastidire cœperant. Ipseque Carolus in Medicea domo receptus, Alfonso Petri vxorem complorantem immeritam infantis filij & excisæ domus calamitatem, benignè verecundèque susceperat, et non mediocrem animo dolorem præferre videbatur, quod Florentini præter ipsius voluntatem Petrum, cui ipse dudum dextram salutarem dedisset, summis sæuissimæ proscriptionis iniurijs affecissent. Adeo vt consiliarij Proceres Petrum omnino reuocare, restituta & confirmata priorè potestate cogitarent: quoniam regi multo commodius atque nobilius foret cum ea ciuitate transigere, quæ vnus principis libero expeditoque consilio regeretur, quam in ipsis momentis tanti belli, quod in Aragonios pararetur, expectare decreta incertæ multitudinis, quæ concionibus atque suffragijs per turbulenta altercationes certare consueuisset. Verum Petrus qui nimis celeri desperatione Venetias peruolarat, cum à regijs, vt eum in patriam reducerent, Bononiæ frustra quæreretur, illudente eadem fortuna summæ spei occasione defuit: atque ita Carolus, eo nusquam reperto, quando sibi Romam multis de causis festinandum esse iudicabat, ne diutius hæreret, cum Florentinis fœdus percussit. Interea Carolus qui perpetuo victoriæ cursu cuncta subegerat, cognitis principum consilijs aduersum se pro Italiæ salute conspirantium, è Neapoli cum expedito delectoque exercitu magnis itineribus ad Tarrum peruenit, vbi ancipiti dubiaque victoria & cruento maxime prælio cum Venetis ac Insubribus est dimicatum. Ea die Virginius Vrsinæ familiaris princeps, & veteris militiæ gloria insignis, qui pro captiuo in Galliam ducebatur, hostium manus euasit, quum fortè pedibus æger in proximo castris pago substitisset. Is vbi in Romanum agrum redijt, euocare veteres milites, familiaresque suos paulo antè ad Nolam armis, & equis expoliatos contrahere, arma conquirere, & denique exercitum parare cœpit. Mediceis autem qui tum Romam se contulerant, pallicebatur se Florentiam eos celeri expeditione per hyemem facta, omnino reducturum, si ad augendas ornandasque copias ipsorum pecunia iuuaretur. Nec dubitauere Medicei, quin ei occasione maturè occurrerent, ac amplissimi hominis ingenio atque authoritati multum confisi, multa milia aureorum nummum protinus numerarent. Nec multo post Virginius cum Petro Medice in Vmbriam proficiscitur, conscriptisque circum Perusiam aliquot subitarijs cohortibus, & Nucerinò Gualdo ex itinere frustra tentato, in agrum Clusinum ad Rapollanas aquas laborioso

per niuosos saltus itinere confecto penetrauit. Eius improuiso aduentu Florentini Pisano occupati bello multum perterrentur, cogunturque duces, ac exercitus partem reuocare: Aretium & Cortonam præsijs firmare: tueri agrum ab infestis populationibus: ac demum in vrbe sedulo & constanter providere, ne qui vetere studio Mediceis fauerent, incertæ fidei ciues, libertatis nondum firmis radicibus stabilitæ, recentem statum omnino perturbarent. Quibus de causis fiebat, vt Petrus in moliendis nouis rebus, languidiores opinione sua, segnioresque amicorum animos inueniret, ipseque Virginius urbani motus expectatione suspensus ignobiliter hereret, expugnandis ac incendiendis villis, vt earum præda milites alerentur, qui tenui cum stipendio eius nomen sequuti per magna præmia eo bello sibi animis destinarant. Sed dum Ranucius Martianus a Florentinis cum iusto propè exercitu circa Cortonam hosti opponeret, Gimellus vir Gallus cum Camillo Vitellio ad Virginium in castra peruenit. Is cum regijs mandatis multam in stipendium pecuniam afferebat, hortabaturque Virginium, vt accepto auro, conductisque & instructis liberaliter copijs, in Apuliam maturaret, auspicijsque ibi Caroli regis, Ferdinãdumbello persequeretur: qui tum recepta Neapoli cum Momperferio Gallorum duce acerrimè bellum gerebat. Id si alacriter egregiaque fide belli munus susciperet, breui eum ex regia liberalitate amplissima premia consecuturum. Quibus pollicitationibus, & præsentim maxime pecunia adductus Virginius, quanquam enixè improbantibus amicis, atque ante alios Liuiano, Gallicas partes Aragonijs prætulit, vel ob id etiam, quod veteres hostes suos Prosperum Fabriciumque Columnas, qui à Gallis defecissent, apud Ferdinandum in honore haberi, hisque ipsius oppida in Marsis dono data fuisse cognouisset. Igitur eo capto consilio, quod sibi maxime infelix, atque supremum fuit, quum Petrum in medio gerendarum rerum cursu destitueret, ac signa in Umbriam retro verterentur, hominem eius belli improspere suscepti fœdo exitu perculsum miti alloquio solabatur: rogabatque vt æquo animo nouis ipsius consilijs, que non libido, sed ipsa necessitas expressisset, consentire vellet, ac in eius consilij felicitate certam spem repetendæ patriæ collocaret: quando ipse, nec veteris amicitia, nec affinitatis, nec communium studiorum, quibus eandem respicerent factionem, vnquam esset obliturus, quominus confecto Neapolitano bello, statim multo maioribus copijs, eius officij votique causa in Hetruriam reuerteretur. Medicei hac prima spe fœdè deiecti, alterum annum ita in exilio ocioque fuerunt, vt nunquã intermitterent per fidos sibi, idoneosque homines occultis maxime artibus, sollicitare in vrbe Florentia veteres amicos, atque affines: nouos item parare, ingentiaque demum premia vel infimis hominibus, polliceri, vt per eos creatis ex amicorum numero magistratibus, aliqua conditione in patriam reducerentur. Iam enim plerisque nobiles, & opulentos ciues, eius Reip. redium ceperat, quum in Senatum plerique audaces semiplebei, egentesque homines irrupissent, qui patricijs despectis, nequaquam sententiarum pondere, sed suffragiorum numero, de maximis pacis ac bellinumeris, decernebant, adeoque patefactus erat in Curiam aditus, vt sæpe ab officinis sellularijs, desumpta ad tempus toga, in consilium iretur. Eratque tum maxime popularis Hieronymus Sauonarola è diui Dominici ordine, literis & admirabili præsertim eloquentia insignis, qui in sacris con-

cionibus,

cionibus, & in priuatis colloquijs ita multitudinis animos opinione virtutis ceperat, vt illum rerum omnium, quæ imminabant, verum vatem, diuinumque deprauatis moribus censorem cœlo missum crederent. Creueratque ei tanto assensu authoritas, perpetuo omnis generis hominum sexusque & ætatis studio collecta, vt nihil priuatis in domibus, nihil in senatu sine eius viri consilio rectè geri posse videretur. Is Mediceo nomini maxime erat infestus, oppugnabatque eum Reipublicæ statum, quem paucorum potentium, vti prædicabat, vis & libido regere posset: ob id ciuitatem in partes iam planè diduxerat, ita vt à grauibus sanisque ciuibus non ineptè reprehenderetur, quòd à religione diuinarumque rerum contemplatione, ambitiosius quàm sacratum virum deceret, ad munia regendæ Reipublicæ transiisset. Propterea fiebat, vt in turbidis rebus & varijs ciuium dissensionibus plerisque Medicei facillè reperirent, qui damnata præsentì Reipublica aliam multo honestiorem cogitatione requirerent, in qua nobilitas, rerumque peritia & probata virtus conspicuo in loco, nequaquam confessu imperitorum atque infimorum hominum polluta spectaretur. Gerebat eo tempore summum in Republica magistratum Bernardus Nerus, vir grauis, & ciuili prudentia insignis, qui Mediceis vehementer, occulteque fauebat, vt pote qui oderat eius sectæ homines, qui Sauonarolam vanitate quadam, & religionis simulatione inducti in eam existimationis amplitudinem extulissent. Cum eo sentiebant viri ex prima nobilitate ditissimi, Nicolaus Ridolfus, & Laurentius Tornabonus, Ianoctiusque Puccius. In domi non paruum armorum, & telorum numerum parauerant, quibus clientes suos, quum opus foret instruerent. Monuerantque Petrum, vt silentio coactis quantis maxime posset expeditis copijs ad urbem aduolaret: fore etenim, vt amicorum studio fauoreque plebis, ac adiuuante supremo magistratu in urbem reciperetur. Tum enim fortè ob inopiam frumenti opifices egenique homines famem sentire cœperant, adeo vt palàm acerbeque magistratibus maledicerent, magna nec tacita quidem cum laude Medicei nominis. Nam antea Mediceorum singulari diligentia, qui agrorum sterilitatem maturè præsentire erant soliti, non modò fami, sed Mediocri etiam annonæ caritati, publicis priuatisque subsidijs obuiam itum fuisse meminerant. Itaque Petrus conquisita ab amicis pecunia, cum Liuiano consilium comunicat, & copias occultissimè cogit. Redierat Liuianus fuga elapsus paulo antè in agrum Romanum. Nam infelici exitu eius belli, quod in Lucania ad Atellam gestum fuit, deletis Gallis, Mompenserius imperator dolore ac ignominia tantæ cladis acceptæ perierat: & Virginus Neapoli in custodia (incertū febre an veneno) fuerat extinctus. Igitur vir militaris & impiger collectis ex clade veteranis militibus, negocium reducendorum Mediceorum suscepit, prouectusque de uio nocturnoq; itinere in Senensem agrum, vbi Petrus et Iulius paternos amicos ex familia Petrucia cum multis eorum clientibus in auxilium euocarant, copias coegit, statuitque ingenti cursu ad Florentiæ mœnia prouolandum. Eares tanto silentio composita instructaque est, vt penè priusquàm ab agrestibus sentiretur, in urbis cōspectum se dederint: quominus autem vti constitutum erat, ante auroram peruenirent, plenissimus imber haud dubiè à dñs Mediceo nomini iam pridè infestis intemperanter effusus, & cursu

& armorum pondere fatigatos prohibuit. Petrus tamen & Liuianus ingenti animo producta ala equitum processere ad portam Catellinam, vixque eam ciuibus trepidis, & improviso in metu ad arma discurrentibus, Paulus Vitellius clausit: qui cum ex itinere Florentiam fortè venisset, magistratibus in tanto periculo, eius militaris viri consilium atque operam implorantibus, nihil plus ad tumultum delatus preceperat, quam vt maturè & diligenter portam tuerentur. Eo modo sicuti Mediceorum amicis, vt in præclaro & multo iam die arma capere, & prodire nequaquam audentibus, ad explicanda perficiendaque consilia, tempus, animusque defuit, ita qui exterius appropinquabant, opportunè occlusa porta, decepti repulsi que sunt. Substitit & suspensio animo Hercules Bentiuolus, inter Florentinorum duces militiæ clarus, qui se Mediceis (si tumultus nequaquam vanus in vrbe oriretur) minimè defuturum antea fuerat pollicitus. Signiferi siquidem regionum de more, satis constanter & opportunè ad signa contribules suos euocabant, & tormenta minora aliquot elata in portæ propugnaculum contra hostes vltra pontem ad telli iactum prouectos, emitti cœperant. Quibus de rebus Liuianus & Petrus desperato suscepti consilij felicior euentu, ita receptui cecinerunt, vt mirabili ordine conuersis equis, qui nouissimi in aduentu fuerant, agmen ducere, & primi portæ periculoque proximi constanti regressu terga abeuntium ex modo semper interuallo sequerentur: neque quisquam aut tum aut postea armatus erupit. At Florentini Mediceos nunquam tantum facinus aggredi auros fuisse iudicantes, nisi clientes eorum aliqua intra urbem inita conspiratione aduentantibus præclaram ex occasione operam promississent, singulari cura adhibita inquirere cœperunt, an aliquis eius rei particeps inuitatione Mediceorum esset effectus, duobusque ferè mensibus, posteaquam ea acciderant, prodente quodam Antellio, ex leuibus minutisque indicijs accusati sunt Bernardus Nerius, qui paulo ante magistratu abierat, & ñ quos antea nominauit, Ridolfus, Tornabonus, Pucius et Cambius, qui in quæstione torti, cõuictique demum testibus, ita damnati sunt, vt multo maxima pars ciuium in ea iudicij seueritate, reorum exilio contenti fore viderentur, nisi Franciscus Valorius in secta Hieronymi Sauonarolæ facile princeps, turbulento ferocique ingenio magistratus à mitioris pœnæ decreto, totaque ciuili lenitate deiecisset. Erat is Bernardo Nerio maximè infensus ex vetere priuata simultate: hunc cum omnino oppressum cuperet, vlla pietate adduci non poterat, vt cæteris parceretur, vti in eadem causa pari periculo implicitis: quanquam his, & ante alios Ridolfo & Tornabono amicitia & familiaritate maximè esset coniunctus. Tantum enim capitali odio, cæcæque libidini dandum putabat, vt quatuor eosdè nobiles, ac sibi alioqui priuatim amicos ciues, qui inani voto tantum, nec dira quidem cogitatione præcauissent, supremo supplicio punitos conspiceret mallet, quam Nerium publicæ clementiæ beneficio sæuissimæ morti ereptum & incolumem. Itaque reis in tanta angustia octouiralis iudicij more maiorum à suspectissimo magistratu ad vniuersæ ciuitatis solenne iudicium appellantis, vnus Valorius in ciues ad leniorē sententiam proclinos vehementer inuectus, per acerba crudeliq; oratione habita peruicit, vt per Octouiros inconsulto alio frequentiore senatu, de conuictis supplicium sumeret. His eo modo in custodia securi percussis, quum cadauera ad funus tradita spectaren-

spectarentur, populus ea atrocitate supplicij adeo commotus est, vt liberrimè obloquendo, Sauonarolæ in primis, sectatoribusque eius, & Francisco demū Valorio summa, & ea quidem vtrique fatalis inuidia, conflaretur. Mediceis verò tantum abfuit, vt ea propinquorum calamitas vetus studium authoritatemque minueret, vt plerique antea parum beneuoli, vltro in partes transirent, audacterque aduersus Hieronymi sectatores, à quibus Resp. impotenti quodam iure vsurpata tenebatur, inimicitias ex professo, bellumque susciperent. Tantaque rerum atque animorum commutatio, non toto vertente anno his dissidijs Florentiæ consecuta est, vt Hieronymus, qui modo singulari sanctimonix, virtutisque nomine animis ciuium imperitarat & in numerum diuorum vt viuens referretur, publico consensu meruerat, concursu populi, senatusque decreto damnatus sit, & in area curiæ foedissimo supplicio concrematus. Oppugnat enim liberiore censura è suggestu Alexandri pōtificis actiones, quum antea etiam eius diras, quibus aquæ & igni interdicitur, non omnino metuendas esse, tam impia quam insana voce pronunciaisset. Verum dum ad testificandam conceptæ diuinatis opinionem, se pyram ardentem vltro ingressurum, tutanteque numine impunè euasurum esset professus, neque id demum prouocatus periclitari vellet, vltius diuinæ prudentiæ famam, & probitatis existimationem sustentare non potuit. Atque ita qui ab excellenti doctrina ac vitæ continentia, & honestate, facundiaque incredibili in admiratione hominum aliquandiu fuerat, omnibus contumelijs & cruciatibus affectus, miserabile, & fortasse indignum tanta virtute, incerto leuique populo spectaculum præbuit. In eo tumultu, quo tēplum diui Marci ferro, & flammis est oppugnatum, vt Sauonarola caperetur, armati hostes in domum Francisci Valori impetum fecerunt: qua direpta, atque etiam interfecta eius vxore, dum ipse à lictoribus in curiam duceretur, à propinquis damnatorum ante proconsulis ædes foedè trucidatus, sæui ac insolentis ingenij sui pœnas persoluit. Interea Ioannes quanquam in repetenda patria bis iam & sua consilia, et fratrum conatus omnes improspere cecidissent, nouam Fortunam Venetorum auspicijs tentare constituit. Fuerat enim antea cum fratribus Mediolani, spesque omnes in vna maximè prudentia atque authoritate Ludouici Sfortie collocarat, à quo etiam Iulianus in amicorum numerum honesto familiaritatis loco fuerat receptus (erat enim tum Florentinorum hostis, cum insigni studio transmissis copijs Pisanos ad tuendam libertatem hortaretur) Sed postquam Ludouicus non iniqua, sed infelici suspicione correptus, nimix Venetorum potentiæ inuidere, conuersaque voluntate pro Florentinis Pisanos oppugnare cœpit, intelligebant planè Medicei, nihil sibi illius amicitia eo tempore pro futuram: ipsosque subinde nulla cum dignitate frustra laboraturos, nisi alios principes, qui præclare Florentinorum hostes forent, omnino quæsiuissent. Defenderant Veneti iam tertium annum Pisanorum libertatē aduersus Florentinos, tantisque opibus terra marique studium suum in seruanda ea ciuitate declararant, vt nemo iam Italię principum dubitaret, Pisanos extrema rerū necessitate, & magnitudine eius beneficij adductos, vltro in ditionē Venetorum esse cōcessuros: quoniam ciuitas publicè ac priuatim magnis, & frequentibus incommodis fatigata, atque oppressa multo ære alieno, diutius libertatem tueri posse desperaret: & propterea Venetis præpotentibus, benignioribusque

detrimentis deiecit: Guidonemq; & Iulianus intra Bibiennæ oppidum compulso obsedit: tantaque virtute & perseuerantia inter niuosas cautes, summasque locorum asperitates bellum administrauit, vt nemo Venetorum dum relinqueretur, qui non aliquam insignem cladem ab eo, vel à Sfortianis militibus accepisset. Quibus de causis Veneti de suorum periculo certiores facti, Petilianum summæ tum authoritatis eorum ducem cum iusto exercitu in Cefenatum fines miserunt, vt inde subsidia suis in Apennino laborantibus ducere maturaret. Cæterum ire properantem tot nunciatae suorum clades, & difficillima itinera, quæ toto Apennino præaltis niuib; tenebantur, maxime retardarunt. Interim Guido Feltrius absumpto omni comœatu, amissis aut debilitatis, corruptisque macie omnibus equis, certa conditione à Vitellio imposta vt abire liceret impetrauit. Inde à Vitellio Bibienna arctius oppugnata atque obsessa. Nam Liuianus in Guidonis locum successerat. Sed Veneris ac Mediceis improsperè Vitellianorum vim sustinere conantibus, Hercules Atestinus Ferrariæ princeps induciarum pacisque medium sese obtulit. Eumque exitum habuit id bellum, vt Veneti Pisis præsidia deducerent, Pisanis in posterum aduersus Florentinos terra mariq; ne fauerent, certamq; pecuniæ summam impensæ belli nomine à Florentinis acciperent. At Ioannes ter improsperè tentata reditus fortuna excedere tantisper Italia, & per externos populos, vt temporibus seruiret, peregrinari constituit: cum dignitate enim Romæ esse non poterat: nam Alexandrum Pontificem & Venetos, adscitis in societatem Florentinis, execrabile illud, ac Italiæ funestum foedus cum Gallis percussisse cognouerat. Indeque Italiam omnem subito arsuram bello, non sine foeda rerum omnium confusione prouidebat. Itaque ab Alexandro comœatu facile impetrato, cum Iulio fratre patruale, & duodecim equitib; deposita purpura, pari cultu cum cæteris, è Venetijs in Vindeliciam transcendit, peruagatusque est eum Germaniæ tractum, vrbibus florentem, singulari cum sua, tum comitum omnium hilaritate. Nam quum personam dissimularet, & vnus singulo quoque die, qui specie domini cæteris imperaret, ex corona sorte crearetur, acerbitateque præsentis fortunæ ingenti animo contemneret, nihil vnquam se expertum iucundius atque festiuus ea vitæ libertate prædicabat. In Vlmam demum Sueuorum vrbem peruenit, vbi quum à magistratu honestè retineretur, non multo post ipso impetrante, sub custodia ad Maximilianum Cæsarem est deductus: qui eum vir humanissimus perbenignè suscepit. Erat enim Mediceum nomen ex insigni Laurentij Cosmiq; memoria omnibus in terris celebratum. Cæsar quum causas suscepti itineris cognouisset, consilium eius magnoperè laudauit, quod domesticæ calamitatis casum sapienter ferret, spaciumque temporis censeret interponendum, quo ex bellicarum rerum successib; ad repetendam patriam Fortunæ benignioris occasio præberetur, quodq; ignobili ocio, non modo honestam atq; vtilem peregrinationem, sed erudito ipsius ingenio longè dignissimam prætulisset, qua haud mediocriter ad perfectam humanarum rerum peritiã adeundis tot nationibus erudiretur. Dedit insuper ei diplomata ad securitatem itineris, ac epistolas, quib; eum Philippo filio Belgarum regi obnixè commendabat. Inspectis itaque Circumrhenanis vrbibus, peragrataque nobiliorè Germaniæ parte, in Belgas ad Philippum, peruenit. A quo planè regie, &

luculentissimè est susceptus. Inde in Morinos ad Oceanum perrexit, in Britanniam traiecturus, nisi comitum ingentes tum fortè Oceani fluctus formidantium hortatu in Galliam deflexisset. Quum Rotomagi ad ostia Sequanæ versaretur, Galli suspicaces repentinique homines, exemplo Germanorum eum cepere: neque eum, quanquam sese detegentem, ac Cardinalem esse profitentem dimissuri erant, nisi Petrus frater, qui tum Mediolani Ludouico regi aderat, literas ad id impetrasset. Ab Oceano demum per totam Galliae latitudinem Massiliam delatus, cōducto insigni nauigio Romam nauigare constituit. Aduersantibus autem ventis, quum Liguriam preterueheretur, in terram descensione facta, abiectoque nauigandi consilio, Saonam peruenit. Erat ibi tum Iulianus Rouereus cardinalis, cum vltro conspectum Alexandri Pontificis veteris inimici defugeret. Is & longi itineris labore, & maris nauisea vexatos amicè liberalissimèque suscepit: ita vt tum in vna mensa tres exules sint conspecti, vehemēter inter se de priuata & publica rerum fortuna conquerentes: qui non multis inde annis tametsi spe dispari, non dissimili tamen sorte, ad summum christianæ dignitatis fastigium peruenerunt. Genue demū apud Magdalenam sororem, quæ Innocentiū nurus fuerat, aliquandiu commoratus est. Ibi de infelicitate Ludouici Sfortie certius cognouit, quem è Germania conductis inter auxilia Heluetiorum octo milibus, dum Mediolanen se imperium repeteret, & passim propensissima populorum voluntate reciperet, Heluetij barbara perfidia Gallis tradiderant, fraterq; eius Ascanius cardinalis in fuga à Venetis fuerat interceptus. Quibus de causis inde profectus, quātū is annus erat sacer secularis Iubilei celebritate, Romam contendit. Eo tēpore Alexander Pontifex cūctas humanarum rerum ac diuinarū rationes in tota consilij summa, ad amplificandas statuendasq; opes Cæsaris Borgie filij contulerat. Galli ad id focij atq; adiutores erant, vtpote qui nihil interesse putarent, si Cæsar totius Italiae minores regulos excinderet, modò ipsi in præsens ad nōdubias spes vniuersi principatus, duobus maximis imperijs potirentur. Sfortianis enim dominatu pulsus & in carcerem coniectus, aduersus Aragonios bellum parabant. Ipse interim Cæsar togatam Galliam in potestatem redegerat, Riarijs primo pueris Catharina matre capta, Foro Liuji, & Foro Cornelij vi eiectis: Fauentia demum expugnata, atque enecato Astore regulo, Malatestis subinde, & Sfortianis Arimino Pifauroque deiectis, eodem cursu Guidonem Feltrium pepulerat Urbini principatu: Varanos Camertes regulos vetustissimæ nobilitatis Iulium Cæsarem & Venantium strangularat, & reliquos passim opibus illustres in eo ambitionis æstu furens inexorabili crudelitate persequebatur. Habebat tum castra ad Claternam decimo ab vrbe Bononia lapide, territabatque Ioannem Bentiuolum eius vrbs potiundæ percupidus. Sed Ioannes suspectis ciuibus interfectis, aut pulsus, ita sese vti vetus & sagax tyrannus muniuerat, vt eius periculi vexationem pecunia facile redemerit. In tanto rerum motu, Medicei nullam omnino occasionem pretermittendam existimantes, qua patriam repeterent, ad Cæsarem supplices se contulerunt. In eo enim propè certam spem reponendam putabant, tantis scilicet copijs instructo, & cuncta impotentibus armis cum ingenti omnium terrore quatienti. Iuuabantur enim mirifica fide, vehementique officio Vrsinorum ducum, qui Cæsari militabant. Hi erant Paulus, Iulius, atque Franciottus affi-

nitate & beneuolentia Mediceæ familię coniuncti. Transcendebat tum Cæsar in Hetruriam, Apennino supra Pistorium superato, vt Iacobum Appianum Populoniæ, Iluæque insulæ possessione depelleret. Cæterum ad Campum oppidum quinto à Florentia lapide castrametatus, ita in his locis moram trahebat, vt Florentinis ostentando Mediceos exules non obscure minitari videretur. Quod nequaquam eò tendebat, vt Medicei præclara eius voluntate ac illustri beneficio reducerentur: verum vi ciuitatem ad eas quas ipse concupisset, nouæ societatis conditiones repræsentata veteri Mediceorum dominatione compelleret. Porro Medicei tametsi non inani coniectura inducti, eius promissi fidem apud fallacem Borgiæ animum minimè constare prouiderent, nihil tñ intermittebant, quod in negotio semel suscepto opportunum foret. Erant inter Cæsaris duces viri maximè strenui Raphael Pactius, & Marcus Saluiatus Florentini, quib. popularis Reipublicę status erat inuisus. Si fidelem fortemque operam Mediceis pollicebantur: neque enim ciuibus erant suspecti: quoniam vtrunque familiæ nomine, propter veteris & funestæ coniurationis memoriam, minimè Mediceis opem allaturum apparebat. Per hos itaque Florentię veteres amicos sollicitare, cohortari, docere, quo præsertim tempore, & quibus maximè artibus foret conandum, vt Curia occupata, popularisque Reipublicę statu euerso, sua dignitas ordini patrio redderetur. Vrsini nanque per se soli copias suas, vel ignaro Cæsare, ad vrbs portas adducturi erant, ea spe, vt Cæsarem (si fortuna cœptis consilijs arrideret) id facinus minimè reprehensurum putarent: quando Medicei grato liberali que animo ad omne obsequium erga Borgiam familiam parati fore viderentur. Id verò facile fiebat, quoniam Cæsar milites ab omni maleficio adeo seuerè proposita supplicij pœna continebat, vt absq; vlllo belli vel iniurię metu, populus pariter ac miles, castra & vrbe[m] spectandi studio libera quadam commeandi licentiã frequentarent. Interim dum in vrbe Medicei nominis studiosi consilia timidè cunctanterque explicant, firmioresque vires ad tutiorem successum patrandi facinoris quærunt, allatę sunt literę Alexandri Pontificis, ad quem legati Florentini iniuriam deprecantes antea confugerant. Is ciuitatem omni metu liberabat, hortabaturque Cæsarem ex composito singulari astu, vt amicitiam potentis populi vel maximis exulium pollicitationibus præferre vellet. Quæ eò pertinebant, vt Cæsar dum se haud facile exorari posse simularet, nec sine aliqua decoris labe paternę authoritati obtemperare posse videretur, Florentinis trepidantibus, cum ipsas Mediceorum spes, tum & suam ipsius fidem ampliore aliquanto pecuniã venditaret. Itaque accepta aliquot milium summa à Florentinis, qui sæpe in magnis periculis salutem publicam auro redimere didicerant, finibus excessit. Medicei verò haud temere sibi cauerunt, ne & ipsi sub eius hominis fide, apud quem nullum vnquam fuit iusiurandum, per fraudẽ comprehensi, hostib. multo auctiore precio traderent. Sequenti anno, qui à sacro secularis Iubilei fuit secundus, noua spes repetendę patrię Mediceis adfulsit, vt pote quibus ipsa necessitas in consuetudinem verterat, in tãta bellorum varietate nunquam de fortuna desperare, consilia ad singulas rerum occasiones applicare, experiri omnium voluntates in vrbeque præsertim Florentiæ, recentis semper fama infracti erectique animi, & præclaris apud principes actionibus existimationem tueri. Militabat a-

pud Cæsarem Borgiam Vitellocius Vitellius bellica laude insignis. Is incredibili odio Florentinos prosequatur, quod triennio antè Paulum fratrem ipsorum imperatorem Casentinate & Pisano bello, de Republica benemeritum, falsis inducti suspicionibus, sæuo præcipitiq̄ue iudicio necauissent. Ducebat Vitellocius alas cohortesq̄ue summæ virtutis: nam primus omnium Italos pedites in aciem contra Germanos ad Surianum felici virtute produxerat, trahebatq̄ue secum non contemnendam clientium multitudinem ex Tifernate agro proximisq̄ue Hetruriæ oppidis. Paulus quoque Baleonus Perusinae faciliè princeps, quem ab inimicis domo pulsum paulo antè reduxerat, signa eius cum manu peditum atque equitum sequebatur. Nec deerant Vrsini cum Mediceis, tum ipsi Vitellocio varijs cognationibus adstricti. Cum hoc duce Medicei fratres percusso certo scedere se coniungunt: adiuuante & pecuniam subministrante Pandulfo Petruccio Senensium tyranno, arma parant, & in Hetruriam profiscuntur. Per vnos enim Mediceos exules Florentia capi non poterat, quando ciuitas magna & opulenta, nisi domi hostem inueniret, nullis externis viribus cessura videretur. Iam Cortona Aretioq̄ue recepti fuerant: oppugnabantq̄ue Aretij arcem, per totamq̄ue Arni vallem oppidis frequentem metum protulerant. Quibus de causis Florentini trepidare, vix opem in tumultuarijs cõsilijs reperire, suspectare intus insidias, foris hostem timere, & ante omnia plurimum vereri ne Vitellocius, iustissimo exacerbatus odio, & Medicei, quorum amici, cognatiq̄ue scedè essent interempti, in ipsos qui tum maximè Remp. tenuissent, crudeliter sequirent. Parum enim sub sidij in milite, quo tum apud Pisas bellum gerebatur, vti sæpe fuso reiectoq̄; reponerant. Nec deerant qui existimarent, Vitellocium nequaquam tantum bellum priuato consilio priuatisq̄ue opibus suscepisse: quoniam eum virum constaret modicis domi facultatibus, & Mediceos ex perpetuis superiorum temporum impensis ære alieno passim contracto, minimè tantos sumptus toleraturos, nisi à Pontifice Cæsareq̄ue occultè subministrata pecunia iuuarentur. Neque enim erat credibile, eum qui mercede conductus sub Cæsare stipendia faceret, inuito aut ignaro duce suo tanti momenti bellum aduersus validissimos hostes gerendum putare. Sed ea erat natura ingenij Borgiarum, vt initia bellorum contactis auspicijs, ambigua, & incerta esse vellent, vt cum euentus cœptis respondere cœpisset, tum demum ex tuto ad apertis sensibus, ad certam præsentemq̄; fortunam consilia omnia verterentur, vt tum accidit. Quum enim Vitellocio nequaq̄ fauere videri cuperet, dignum aliquem ipsorum votis belli exitū expectabant. Interea Florentini, vbi se periculoso bello vehementer premi cõspiciunt, nec quib. viribus infesto hosti obuiam eundū sit, patres satis expedite deliberant, in communi consilio ad Ludouicum regem confugiendum censent auctore Petro Soderino, qui in concione deplorato Reip. statu, ita spem in Gallorum auxilijs collocandam esse differuit: vt nisi ea mature impetrata forent, perditas & conclamatas res esse pronunciarret. Aduentabat tum Ludouicus in Italiam, secum adducens Federicum Aragonium, qui paulò antè Gallicis Hispanicisque armis pulsus Neapolitano regno excesserat. Itaque Soderinus singulari omnium ordinum assensu commendatus, eius legationis munus suscepit, plerisque id parum constanti animo detrectantibus, quasi orbatae fortibus viris Reipublicæ nihil de salute sua sollicitus

solicitus subueniret. Is uti erat egregiè prudens & industrius apud regem tanta grauitate ciuitatis causam egit, ut planè demonstraret regi magnoperè esse cauendum, ne euersa aut commutata Florentiæ republica, quæ antiquo recentique societatis iure Gallico nomini esset foederata, ipse demum amittendæ Neapolis, Cisalpineque Galliarum periculum subiret. Erat Ludouicus ingenio suspicaci et superbo, utpote qui in summa regni nominis authoritate, se a quocumque principe vlla in re contemni, aut ledi minimè pateretur. Quibus de causis celeriter ad Alexandrum Cæsaremque perscribit, ut à Florentinis socijs suis abstineant, Vitellocium eiusque copias Florentinorum finibus excedere, restitueredq; occupatas vrbes continuo iubeant: id nisi fieret, se Florentinorum iniurias non esse neglecturum, transmissisque copijs, quos armatos in Hetruuria reperiret, uti communes hostes bello persecuturum. Ad has literas, Himbaldum quoque clarum ducem cum valido equitatu in Hetruuriam aduersus Vitellocium proficisci iussit. Horum Gallorum aduentu, monituque Cæsaris Vitellocij impetus statim est repressus: qui tñ in eo victoriæ cursu priusq; Apennium Galli transirent, flagitantibus id magnopere Mediceis, facile ad Florentiæ portas prouehi potuisset. Sed præpostero impulsus consilio, eam conficiendi belli occasionem prætermisit, q̄ nihil in tergo sibi relinquendum diceret: & propterea ad oppugnandum Sancti sepulchri Burgum ineptè regrederetur: adeo ut nequaquam obscure apud Mediceos constare videret, Vitellocium ut proximū Tiferno oppidum ditionis suæ adiectum foret, priuatæ cupiditati potius quam bellicæ rationi obtemperare voluisse. Eo interposito temporis spacio Himbaldus in Aretinos campos peruenit, cui uti Cæsar præscripserat, in regis gratiam à Vitelloccio certis conditionib. vrbes traduntur. Quibus demum receptis, Florentinus populus, uti omni solutus metu, adeo effusè lætatus est, ut incredibili assentatione & studio, Petrum Soderinum, uti patriæ parentem (quod nunquam antea per leges in libera ciuitate tentatum fuerat) antiquato bimestri magistratu, administrandæ Reipublicæ dictatorem perpetuum crearint.

VITA LEONIS X.

LIBER SECVNDVS.



ECVTVS est annus qui fuit à partu Virginis supra millesimū quingentesimus tertius, Vrsinæ domus clade, & opportuna Alexandri Pontificis morte insignis. Cæsar enim quum antea patris potentia, sacrisque opibus fretus, magnum sibi in Italia imperium seu ac impotenti animo destinasset, omnibus prope Pontificiæ ditionis regulis crudeli perfidia trucidatis, Romanos etiam proceres ita afflixerat, ut Columnij exuti oppidis, actiq; in exilium, per Apuliam atque Siciliam vagarentur: Vrsini vero qui in Borgiarum amicitia fuerant, principum suorum funestam stragem lugerent. Vitellocius enim Paulusque Vrsinus cum Francisco Grauinæ principe, Libero octoq; Firmano, qui in exer-

citu Cæsaris ordines ductabant, apud Senogalliam in familiari ipsius colloquio comprehensi necatque fuerant. Baptista quoque Vrsinus cardinalis qui vetere pontificis gratia vigere videbatur, a Pontifice captus, in custodia veneno perierat. Rainaldus item Vrsinus Florentinus Antistes, ipsorum Mediceorum fratrum auunculus, et Aloisius Liuiani frater, in arce Molis Hadriani ad non dubium vitæ exitum seruabantur. Quibus de causis Ioannes con- quiescendum omnino, & vitam quæ omni presenti spe esset potior, vel sub- ignobili silentio traducendam constituit. Nam pontifex inopiæ metu rapax, atque illo immuni ingenio sæuus, vt Cæsari filio magnos alenti exercitus, & regio luxu liberalitatem passim ostentanti pecuniam suppeditaret, ditissimū quemque cardinalium veneno sustulerat, haud dubiè in reliquos aulæ sacer- dotijs atque opibus insignes hæreditatis spe sæuiturus, nisi admirabili deo- rum prouidentia, homo in religionis causa probrosus, & quod omnium for- tunæ interfuit, ad exitium Italiæ natus, sibi mortem, supremam verò Cæsari fi- lio calamitatē peperisset: hilariore scilicet in cœna dum ad vmbrosum Vatica- ni ruris fontē venenum bibunt, lagenâ pocillatoris errore commutata, quam- • dira fraude opulentis aliquot senatoribus honoris specie parauissent. Mor- tuo Alexandro, & Cæsare exquisitis antidotis, vel in ipso iuuentæ robore ve- neni impetum vix sustinente comitia sunt habita, quibus Franciscus Picolo- mineus, cui Ioannes enixè studuerat, summus Pontifex suscepto Pij III nomi- ne renunciatus est, eo admirabiliore omnium lætitia, quod melior pars Se- natus, quanq̃ paucissimis nixa suffragijs, cæteros cum factionibus, tum Cæsaris imperio seruiantes ex longa contentione peruicisset. Verum Pius senectæ- vitijs, & mortifero cruris vlcere vehementer affectus, intra paucos dies inte- rijt. Tum verò instauratis comitijs, tãto studio in vnum Iulianum Rouereum vota suffragiaque omnium sunt conuersa, vt penè priusquam conclaue ingre- deretur, Pontifex sit dictus, incredibili cum dolore Cæsaris, qui ad exemplum incertæ nutantisque Fortunæ, cum Hispanos Cardinales vti clientes suos, iu- rare solemni sacramento coegisset, se neminem nisi Borgiæ familiæ studiosum suffragio adiuturos, eum statim primo comitali die sub tiara salutari Pontifi- cem viderit, quem ipse paterque Alexander vt grauissimum hostem perpe- tuo decem annorum exilio multauissent. Nec multo post a Pontifice, qui Iulij Secundi nomen tulerat, Cæsar Borgia copijs vrbibusque atque omni digni- tate exutus, quum impetrata libertate ab Ostia Neapolim enauigasset, a Ma- gno Consaluo capitur, & in Hispaniam transmittitur. Vbi quum ex custodia profugisset, ignobili quodam prælio à Cantabris est interfectus. Contende- bant tum opulenti Reges Ludouicus & Ferdinandus de Neapolitano regno, quod antea inter se, pulsas Aragonijs, contentiosa partitione diuiserant. Pon- tifex vt sacrosanctum principem pacis, atq; oçij autorem deceret, in neutram partem sese inclinabat. Vrsini duces, quod à Gallis, vt in vana spe victoriæ I- talici generis auxilia facile spernentibus, minus liberali stipendio inuitati fuis- sent, ad Hispanos non leui ad maturandam victoriam momento transierant. Eius belli exitu, quo Galli ad Lyrin profligati sunt, Ioannes grauissimi dolo- ris vulnus à Fortuna suscepit. Nam Petrus frater, qui in procuratione tutela- que Cassinatis sacerdotij diu fuerat, et propterea, vt in Gallorum ditione eo- rum ducibus militarem nauando operam adesset, quum è stragee conscenso nauigio

nauigio Caietam contenderet, in ostio Lyris fluctibus obrutus interijt. Au-
 ctus est et hic domesticus dolor, Fabij Vrsini Pauli filij præclari iuuenis imma-
 tura morte, qui & ipse ad Lyrin sagitta per galeã adacta tumultuario in præ-
 lio ceciderat. Itaque Ioannes, cum spei suæ rationes transuerso rerum successu
 conturbatas erigere vellet, cum Galeotto florentis ætatis, atque fortunæ iu-
 uene amicitiam contraxit. Is erat Iulij Pontificis ex sorore nepos, suauitate in-
 genij, forma corporis, vitæque splendore cum ipsi Iulio, tum & vniuersæ au-
 læ, Ramanoque populo iucundissimus. Hunc primum, tradito pileo, quem
 ipse antea gestasset, legerat in Senatum, defunctoque Ascanio Sfortia Vice-
 cancellarium crearat, qui est honos singularis in Senatorio ordine amplissi-
 mæ ac opulentissimæ dignitatis. Per hunc Ioannes apud Pontificem, ab e-
 legantia eruditorum morum auctiorem gratiam promeruit, clarioremque
 subinde nominis famam apud omnes est consecutus. Disputabatur enim in-
 ter nobiles & minus seueros sacerdotes, ex ipso honestarum actionum certa-
 mine de beneficentiæ & pietatis officio, de præstantia nobiliorum artium,
 de finibus iucundissimæ voluptatis. Quibus in rebus differendis vel obeun-
 dis nemo vnquam Ioannem vel ingenij elegantia, vel temperie, vel humani-
 tate superauit. Non desunt qui affirmant Galeottum, ab his vsque tempori-
 bus, quã de auunculi iam planè senis, minus firma valetudine dubitaret, con-
 sensu iuniorum cardinalium Ioanni vix tricèsimum ætatis annum attingen-
 ti, pontificatum despondisse: ita vt dicerent, æquum esse vt iam tandem iu-
 niores qui vigore animi senibus præstarent, summo rerum imperio digni vi-
 derentur. Verùm non multo post Galeottus in tanta arridentis Fortunæ fe-
 licitate, vix triennio terris monstratus rapidissima febre extinguitur. Eum so-
 lenni funere elatum, cum populus nequaquam adulanter luxisset, Ioannes i-
 pse qui in suprema vsque vitæ momenta erga morientem omnibus tenerio-
 ris amicitia, & christianæ pietatis officijs erat perfunctus, ita desiderauit, vt
 cum lachrymas tardissimè deposuisset, si fortè eius rarissimi iuuenis memo-
 ria induceretur, vel lætiore in sermone veterem tristiam & lachrymas ad o-
 culos reuocaret. Sequentibus verò annis, dum Iulius Pontifex Bentiuolo Bo-
 nonia pulso, & Venetis aqua & igni interdictis, arma tractaret, eundem
 semper cum Pontifice iunioribusque cardinalibus studij atque amicitia te-
 norem est secutus. Florentiæ quoque interea assidue dabat operam, vt magis
 ac magis potentibus in republica patricijs iungeretur. In superandis autem
 difficultatibus, promerendisque ciuium animis plurimum valebat Lucretiæ
 sororis ingenium, quæ singulari prudentia, virilique officio, nulli vnquam
 vel tenui rerum occasione deerat, qua excitari familiæ nomen, & vetera homi-
 num studia accendi posse viderentur. Nupta hæc erat Iacobo Saluiato nobili
 opulento, & in Republica admodum potenti. Qui tametsi antea Sauonaro-
 læ doctrinæ & religionis admirationis fuerat studiosus, & libertatis nomen
 obnixè coleret, æquabilique ordine liberæ ciuitatis magistratum iura tue-
 retur, semper tamen Medicearum partium erat habitus: & tum maximè in
 Soderino illam perpetuæ potestatis imaginem ferre non poterat. Siquidem
 Soderinus popularem sese conuersa Reipublice ratione profitebatur. Acci-
 debatque propterea, vt quanto maiorem gratiam apud mediocres infimós-
 que homines parare conaretur, tanto ipse apud nobiliores ciuium ordines vi

uidiore, & (vti postea præclare docuit euentus) perniciosiore inuidia deflagraret. Erat enim valde onerosum, & molestiæ pariter odijque plenissimum perpetuæ dictaturæ nomen, adeo, vt quum in senatu de bellicis ciuilibusque negocijs ageretur, patricij Mediceorumque studiosi contrarijs suffragijs illius semper consilio atque sententię obuiam irent, quasi ei ad eleuandam minuedamque authoritatem conspiratione quadam illuderetur: quod tanquam prudentia longè potentissimus, ad Reipublicę gubernacula sedens, cuncta iudicio suo regere, cæteris veluti nutum sequentibus existimari vellet. Sed vir patientia æquitateque naturæ incredibili, eas indignitates Reip. causa ita deuorare contemnereque erat solitus, vt quum moderatè atque abstinenter omnia quotidiani durissimique laboris munia obiret, angustiores in dies spes commutandę Reip. Mediceis facere videretur, Ioannesque ipse aliquanto ægrius atque languidius in tam longa expectatione consisteret. Iam enim quinquies per decem et octo annos magnis conatib. repetere patriam fuerat adnixus, semperque inde repulsus abscesserat, ita attritis opib. ac amissis aduerso exitu veteribus clientelis, vt insignis Cardinalis personam haud diu tueri posse videret. Sed tanta erat in eo vis ingenij liberalis, eruditi, & quo mortalium animi facile capiuntur, alienis moribus obsequentis, vt lectissimi totius aulæ cardinales & antistites eum obnixè colerent, & literati ante alios ad bibliothecam summæ vetustatis, quam Laurentius pater Latinis & Græcis voluminibus cumulatè refererat, assiduè frequentarent. Nec deerant Romani nobiles, propter insignem & planè regium venandi studium, quo postea pontificatum adeptus, omnes haud dubiè superauit. Domus quoque semper plena erat phonascis & musicis, cum in ea arte vsque ad fœcunditatem ingenij peritissimus euasisset. Conspiciebatur etiam officina nobilium artificum quando nullibi libentius pictores, statuarii, scalptoresque gemmarum, & antiquitatis studiosi, monumenta artis deponerent, quam apud Mediceos, qui gentilitia quadam hæreditate, cæteros omnes argutia & subtilitate iudicij præcellere dicerentur. In his enim dignissimarum artium studijs multus erat Iulianus frater cognomento Magnificus, à quodam virtutum omnium cõcentu mortalium iucundissimus: & Iulius patruelis equestris ordinis è Rhodia militia, qui propter eximiam animi moderationem, rerumque peritiam postea pontificatum est consecutus. His egregijs artibus Ioannes quanquam existimationem (cuius cura in exule debet esse potissima) mirificè sustentaret, sæpe tamen accidit, vt in medijs conuiuiorum apparatus, obsonatores pecunia deficeret. Et quoniam à nimia liberalitate exulantis fides vbique suspecta redderetur, necesse aliquando fuit, exposita in ornatum abaci argentea pocula, in macellis & foro piscario reliquisse. Hæc ingentis & regij spiritus viri, principalique vitę deditum vehemèter angebant: quod aut remittenda foret splendidioris vitę cõsuetudo, vnde nominis famam abundè tueretur, aut creditorib. tam benignè de se meritis omnino decoquendū. Verum tanta erat è vultu semper læto presentis inopię dissimulatio, & aperta contemptio, vt certos etiam semper credentes è cœlo prouentus expectare, quib. omnino præstanti fide debitæ pecuniæ soluerentur. Et certè fortuna quæ ei summum in terris imperium struebat, eius egestatem miris ac inexpectatis subsidijs sapissimè subleuauit. Quum verò a frugimonitoribus aliquando reprehenderet, dicere solebat, insignes viros

viros cœlesti sorte fieri magnos, præterea nihil eis vnquam posse deficere, nisi ipsi animis omnino deficerent. Eo modo iniquè cum inopia colluctantem illa ipsa fortuna, quæ spes eius & conatus omnes eluserat, veluti pudore adducta feliciter erexit. Factus enim est inexpectata Iulij Pontificis liberalitate Bononię legatus, atque ei simul magnus exercitus, quo bellum aduersus Gallos gereretur, attributus. Is honos opportuno tempore collatus, & ad recuperandam patriam, & ad parandum pontificatum, & denique ad plenissimam rerum omnium felicitatem, ianuam pendentibus fatis aperuit. Discesserat tum fortè (vt altius repetamus) Iulius à fœdere ac amicitia Ludouici, specie quidem, quòd Alfonso Atestinum, qui à Romanis pontificibus Ferrariam beneficiario iure obtinebat, aduersus se tuendum defendendumque suscepisset: quum ille terra à Gallis, & Pado amne ab se profligatis Venetis, in Padusa salinas maximi prouentus vsurpasset, neq; in his rebus voluntati Pontificis obtemperaret. Cæterum in præaltis animi recessibus grauiores causæ pontificem cunctis sensib. peracrem, strenuum, indomitum, vehementer excitabant, vt saluti Italiæ maturè prospiceret: diligentissimè caueret, ne deletis Venetis, impotenti demum Barbaro foret seruiendum. Namque Ludouicus vbi vno secundo prælio Venetas opes contriuit, ac ademptis tot vrbibus continentis, gentem aduerso rerum successu conterritam intra paludes, ipsasque Venetias circumflui maris beneficio permunitas compulit, cunctis formidandus euaserat: præsertim quum ad id bellum Maximilianus Cæsar nihil ferè præter legatos & Augusti nomen attulisset. Nouerat Iulius Galli regis ingenium proferendi imperij maximè auidum: nouerat inexhaustas Gallorum opes: videbat florentissimū Mediolanensium imperiū exactis Sfortianis Galliæ attributum: Ligures verò suos armis planè domitos, ac carce ceruicibus imposita in seruitutē redactos. Porro Venetos, quorum toto orbe terrarū paulo antè summa & inueterata fuisset authoritas, vnus horum momento, copijs, imperio ac dignitate penitus esse spoliatos, quibus rebus adductus (vti pijs æquissimumque & verè Italum Pontificem decebat) Venetos, ne se tantis fluctibus obrutos, planè demersos, ac penitus extinctos vellet, suppliciter deprecantes, subleuandos censuit: Legatos eorum in Vaticano adiecta solenni precatione pro templi foribus expiauit: vrbi eorum sacra restituit, ictoque subinde fœdere, quo illi maris imperium eiurabant, & sacerdotia sancto pontificum arbitrio conferenda relinquebant, in amicitiam fidemque recepit. Conatus quoque est pertrahere in partes Alfonso, vt eū à Gallis omnino diuelleret. Sed ille vti Veneti nominis vetus hostis, & diffusus ingenio pontificis, quū sese Ludouico regi persoluta pecunia, & ictis fœderibus applicasset, ne quid per vim sibi in posterum à quoquā foret timendum, adhortationes simul ac minas pontificis sub tutela Gallorū longè tutissimus semper cōtempfit. Ab his inijs nouum bellū protinus exortum est, quo nullum vel atrocius, vel diuturnius in Italia post exactos Gothos maiores nostri, vel audiendo, vel legēdo fuisse meminerrant. His de causis, quas memorauimus, Iulius Pontifex Alfonso Atestinum, quòd ad alieni externiq; regis authoritatem se cōtulisset, quòd spreta Pontificia maiestate, dicto audiens non esset, quanquā ab ipso summi honoris causa Romanæ Ecclesię Vexillifer fuisset appellatus, vti contumacem & planè ingratum, hostem iudicat, in eum diras exercet, & hostiliter in eius fines

copias inducit. Ipse constitutis vrbis rebus, multa que coacta pecunia, ab Vrbe proficiscitur, Bononiamque contendit, vt in vrbe copiosissima intentus in omnes occasiones ex propinquo bellum administraret. Ex itinere autē ab eo discedunt Bernardinus Caruaial & Federicus Sanseuerinus, & plerique alij Hispani et Galli cardinales deprauati à Gallis, & ab amicitia Pontificis ducti: qui cum Casia via per Hetruriam se ituros, vti commodiore itinere, predicarent, contra voluntatem reuocantis Pontificis per Apuanos saltus Ticinum vsque delati sunt, animo agitantibus quibus rationibus indici conuentus posset: vt lacerata & conuulsa multis criminationibus pontificis dignitate, alius vti optimus atque sanctissimus Christianis sacris præficeretur. Nec malignis & exitiosis eorum consilijs deerant Ludouicus & Cæsar, qui huiusmodi concilio præter auctoritatem, summam etiam vim tantis instructi copijs adhiberent. Porro Iulius, vti vir acutus & impiger, ratus id quod erat, Ludouicum Alfonso nequaquam esse defuturum, vt vndique magnis præsidijs res gereretur, Ferdinandum Hispaniæ Regem nouo icto foedere sibi coniungit, ea lege, vt ipse ei iura Neapolitani regni auctoritate pontificia confirmaret, ab rege verò in auxilium cum quadringentis equitibus cataphractis Fabricius Columna mitteretur, qui tum erat præstantis animi & spectatæ virtutis imperator. Heluetios quoque ferocissimam gentem, vnde sibi sumpserat prætoriam cohortem, agro Comensium finitimos mercede conduxit, vt cum duabus legionibus in fines Gallorum Insubrum irrumpant, et ab ea parte quam maxime possint, Ludouici copias distineant. In Tyrrheno quoque mari parat classem, & cum ea Veneti Grillum Contarenum cum duodecim triremibus coniungunt. Huic Octavianus Fregosius, cuius pater & patruus Genuæ tenuerant principatum, præficitur, vt Genuam patriam repetat, et eiectis Gallis vindicet in libertatem. Additur Fregosio Marcus Antonius Columna, qui cum ala equitum, & cohortibus e Lucensi agro terrestri itinere procedentis classis cursum adæquaret. His rebus constitutis, decretum est, vt eodem quoque tempore circiter Nonas Septembres Veneti summa vi & celeritate copijs aduētis Cæsarianos inuaderent, qui ab Verona in Vicentinum & Patavinum agrum cuncta vastantes sese effuderant: Pontificius verò exercitus, cui præerat Franciscus Vrbinas fratris filius in Mutinensem agrum induceretur. Nec mora, ea vrbs adiuuantibus Rangonijs à pontificijs occupatur. Sed cæteros conatus omnes, & tot diuersi belli apparatus, Fortuna tum Iulio infesta, & Gallis plurimum arridens, protinus elusit. Heluetios namque vti homines militia gaudentes, quum in agrum comensem descendissent, Carolus Ambosius cum equitatu aduersus eos profectus, ostentata acie, & præbita pecunia facile repressit in patriam. Fregosius verò & Grillus, quum multis rebus superiores ignaua cunctatione nauali prælio cum Præianne Gallorum archipirata contendere dubitassent, summæ spei victoriam foedissimè corruerunt. Pari quoque exitu Venetus exercitus Gritto Legato, & Lucio Maluetio duce, post summos & intra Veronæ mœnia compulso hostes, adeo temere urbem oppugnauit, vt aliquot ibi amissis fortissimis cohortium præfectis cum ignominia recesserit. His aduersis rerum successibus commotus Pontifex, qui propter impetum æstuantis ingenij, ira ac dolore extimulari facilius quam animo frangi poterat, dum vehementibus con-

tibus consilijs bellum renouat, in morbum incidit à ipso graui Autumnò
 in exacta ætate, multa vitæ intemperantia valde suspectum. Ex aduerso au-
 tem fremere Ludouicus, qui secundis belli initijs animum natura ferocem
 apertè sustulerat: lacerare famam Pontificis, & palàm dictitare, se, qui vti
 optimo Pontifici eiectis Bentiuolis tyrannis Bononiam tradidisset, eam pro-
 tinus expulso pseudopontifice, Bentiuolis vti optimis ciuibus esse redditu-
 rum. Nec mora, Carolus Ambosius cum valido exercitu traiecto Pado, ad
 Mutinæ portas delatus, quum nihil ibi proficeret, quòd ea vrbs magnis Vr-
 binatis & Baleoni præsidjs tenebatur, ad tertium vsque ab vrbe Bononia
 lapidem vastabundus copias promouit, præmisitque Bentiuolos, vt ad por-
 tas nouandis rebus studia ciuium excitarent, haud dubiè impotenti illa ac
 immani audacia sacrosanctum pontificem oppressurus, nisi eum qui armis
 defendi non poterat, Hispaniæ & Britannia regum legati in castra ad Am-
 bosium properantes, minis & grauisimis contestationibus protexissent.
 Denunciarunt enim conceptis verbis, & rogatis tabellionibus, reges suos
 Ludouico, nisi à vexando Pontifice protinus abstineret, ruptis antiquis fœ-
 deribus hostes futuros. Eo quoque die ex Venetorum auxilijs equitatus
 traiecto Pado, & in his valida Turcarum ala Bononiam peruenit: & Fa-
 bricius Columna, qui Fauentiam citato agmine præteruectus festinabat,
 adesse nunciatur. Quibus de causis Ambosius nefario incepto destitit, in
 quo fuit occasio conficiendi belli longè pulcherrima, si audax & impius, q̄
 grauis & christianus imperator esse maluisset. Verba etenim legatorum
 magnificenda esse iudicabat, ne temerè suo regi tantum bellum vndique
 concitare videretur. Audiebat etiam auxiliã vndique conuenire, & exerci-
 tum Vrbinatis, qui commeatus intercluderet, in tergo esse meminerat: ac si-
 mul certior fiebat, Bononienses, qui verecundia & maiestate præsentis æ-
 grique Pontificis adducti, Bentiuolos à porta repulissent, in officio fide mi-
 rificè confirmari. At Iulius vno tempore animi simul & corporis ægritu-
 dine subleuatus, nihil sese animo demittit. Ambosium omnesque mino-
 res duces nominatim sacris interdicit: exercitum auget: & quanquam du-
 rissima hyeme (qua gelatus Padus curruia tormenta sustinuit) ad bellum
 proficiscitur feruidiore quidem animo quàm deceret senem inualidum, &
 summæ sanctitatis personam sustinentem, nisi eos impetus in optima causa
 religionis arroganter à Gallis vexata dignitas excusaret. Cæterum quum
 nobiliore consilio Ferrariam haud magnis eo tempore præsidjs atque mu-
 nitionibus firmatam inuadere debuisset, inde auersus perfidiosis artibus A-
 lidosij cardinalis, Concordiam & Mirandulam ad Gabellum amnem expu-
 gnauit, haud satis decora præmia pro tantis apparatibus atque laboribus,
 nihil, præsertim Ambosio sese ex hybernis explicante: qui importuno tem-
 pore amoribus & luxui deditus, paulò post inertia apud Ludouicum ac-
 cusatus, defensionem præoccupante morbo, Corregij moritur. Capta Mi-
 randula, Iulius haud dubiè frigoris duritie superatus, vti victor Bononiam
 est reuersus. Nec multò post eius copia apud fossam Geniolam ab Alfonso,
 qui eas dissipatas in hybernis, & securius epulantes adortus fuerat, celsè fusq;
 sunt. A parte alia Ambosio mortuo Gallici belli curam suscepit ipse Triuul-
 tius, vetus & summus imperator. Is singulari peritia, grauitate, fortunã

que ad conficiendum bellum progressus, semper opportunè castrametando, semper firma acie ductando agmen, ita Iulium exterruit, ut retro Rhauennā recedendum putarit. Urbinatem verò adolescentem, quod Fabritius finito stipendio discessisset, in eas difficultates compulit, ut reiectum ad Bononiæ mœnia, instando premendoque tormentis, castris, magnaque parte exercitus exuerit. Ea victoria admirabili ducis consilio parata sine vulnere militum Gallorum, Bononiæ portas Bentiuolis aperuit, quum Alidosius legatus neque præsidia ex fidelibus parasset, neque commeatu munisset arcem, & ipse ex conscientia scelerum inuoluto capite profugisset. Fuit adeo scæda fuga pontificij Veneticque exercitus, ut si Triuultius vestigijs inhærere voluisset, haud dubiè Pontificem cum imbelli turba sacerdotum esset oppressurus. Sed vir pia grauitate, victorie modum imposuit. Alidosium verò ex fuga Rhauennam delatum, quum in sago militari, abiectis honoris insignib. mula vectus, ut se expurgaret, ad Iulium in arcem pergeret, sors scelerum vltix Urbinate prætereunti fortè obtulit, & ab eo confestim nihil contra molientibus custodibus corporis, trucidatur. Impurus certè sacerdos, & mortalium nequissimus, qui que eam Iulio & Urbinate infido peruersoque ingenio cladem peperisset. Iulius et fratris filij facinus, quamuis ab omnibus probaretur, & alumni sacrati que viri cedem egerrimè ferens, magnis itineribus Romam contendit. Tum verò Ludouicus & cardinales qui à Iulio discesserant, successu rerum elati, quin Concilium indicerent minimè dubitarunt. Nihil enim in affectibus mortalium magis spiritus efficit insolentes, quàm ipsa victoria. Nomine igitur Ludouici et Cæsaris, atque item Cardinalium victus pontifex, ad Concilium, quod ad Calendas Septembres futurum esset, euulgatis super ea re tabulis euocatur. Pisis sedes deligitur: vbi censorijs legibus descriptis, sacerdotum omnium mores, essent corrigendi, & statuenda multa, quæ ad dignitatem Christiani nominis pertinerent. Erat Concilij princeps Bernardinus Caruaial inter cardinales genere, literis & multis legationum honoribus clarus, cæterum natura admodum ventosus, & perditus ambitione. Huic Sanseuerinus verlusus ingenio pontificatum desponderat, adulandoque, & propinquas spes ostentando, eum gloriæ & summi imperij dulcedine prorsus inflauerat. Alij verò tum Galli, tum Itali, rectius, & dissimulantius, nec à minore tamen infania ad pontificatum anhelabant. Is enim est mos in concilio solennis, præsertim cum duo inter se contendunt (sicuti Constantiæ Basileæque accidit) ut Pontifex sese pontificatu abdicet, & priuatus intersit: ut vnus creetur, qui sit omnium suffragijs virtute & pietate longè clarissimus. Propterea nihil pontificibus Concilij nomine magis inuisum, suspectum & periculosum existimatur. Igitur Iulius vbi videt se à Gallis vi aperta, & tantis insidijs oppugnari, à Ferdinando rege vti verè Catholico, & ab Henrico Britanniarum rege iustitiæ & religionis amantissimo auxilium implorat, sacrosanctum imperium nefarijs vexatum armis, & violatam pontificiam maiestatem queritur: ius conuocandi concilij apud se, non apud desertores impiosque Cardinales esse demonstrat: monet, ut caueant ne Ludouicus vbique victor, impotentibus armis totius Italiæ imperium arripiat. Nec mora, illi defendendas iniurias legitimi pontificis singularique studio pietateque suscipiunt: reprimendam iusto bello Gallorum immanitatem censent: ab utroque commeatus pecuniæ armaque

armaque parantur. Henricus ut in Aquitaniam traiciat, Ferdinandus ut Cantabriam et Nauarrę regnum inuadat, quod tum erat sub tutela Gallorum, sed veteri Hispaniæ imperio antiquitus attributum. Interea legiones duę Hispanorũ veteranę ex Africa in Italiam transfuehuntur duce Nauarro, qui in Mauritania atq; Numidia magnis rebus gestis eximij ducis nomen, ex gregarij militis fortuna fuerat consecutus. Ipse Pontifex vbique copias conscribit, Romanos proceres & duces vtriusque factionis alarum & cohortium præfecturis exornat. Ante omnia ingenti animi magnitudine, aliud solenne concilium Romę in Laterano celebrandum edicit, Pisano fidem abrogat, eius vrbs euersę vastitatem tenuitatemque deridet, angustum conueniendi terminum à cardinalibus in quartum mensem iure optimo redarguit, & toto terrarum orbe euocatis Romam sacerdotib. omnia tuta, pacata, commoda, in communi & libera gentium omnium patria pollicetur. Huius præclari & salutaris cõsiliij author ante alios extitit Antonius Montanus nuper in ordinẽ senatorium cum honore pilei delectus, qui ab eximia fide ac excellenti legũperitia, neq; speciosius, neq; validius Pisani cõsiliij initia opprimi aboleriq; posse prædicabat. Erat Iulius animo maximè infensus Petro Soderino, qui contempta maiestate pontificij nominis, ut Gallis obtemperaret, concilio sedem præbuerat. Is propter eximiam prudentię ciuilis opinionem, Florentię ex vexillifero dictator perpetuus (vti diximus) erat effectus, qui honor nemini antea cõtigerat: ita ut sibi magnã apud patricios inuidiã ex eo perpetuo magistratu conflauisse videretur: vixque par erat sustinendę inuidię, nisi se ipsum Gallorum amicitia, & præsentibus eorum opib. tueretur. Hunc quum sepe Iulius per legatos amicissimè monuisset, ut his rebus, quę ad sacrorum contentionem et concilij nomen pertinerent abesse vellet, ne qui sedem locumque inimicis suis incautè fortasse præbuisset, ab sera demum pœnitentia contumeliosissimi & execrabilis facti, quo cuncta planè essent ruitura, author extitisse diceretur, sed ingentes Gallorum opes, atq; ea præsertim recens victoria aures Soderino præcluserant. Itaque acuti vehementique ingenij pontifex, uti erat in vlciscendis iniurijs acriter exardens, excidium ei comminatur, & ad declarandum odium, Ioannem Medicem legatum Bononię constituit Soderino maximè metuentum, utpote qui vnus amplissimas haberet facultates ad euertendum eum statum ciuitatis, quem Soderinus ex inimicissimis Mediceo nomini, clientibusque suis antea constituisset. Optimates enim (vt diximus) aut magna ex parte ex propinquis Mediceorum censebantur, aut ex his erant, qui propter dictaturam inimici Soderino facti, eius decretis atque sententijs in senatu aduersari, eiusque potentiam haud obscurè labefactare consueuerant, dulcissimæque erat apud populum memoria Medicei principatus, & Laurentij præsertim: qui singulari virtute atque modestia ad clauum reipublicę sedendo, ciuitatem in maximam authoritatis & rerum omnium amplitudinem perduxisset. Interea cardinales ad concilium Pisas peruenere, quibus aderat præsidio Odettus cognomento Lotrechius quadringentos equites cataphractos secum trahens. At Florentini optimates, vbi nunciatũ est aduentare Gallicum equitatum, qui Pisas hyemaret, uti de retinenda ea vrbe solliciti, Soderinum adeunt, imprudentiã eius incusant, qui eam vrbe vix per quatuordecim annos ferro fameque domitam dudum recepisset, incautè admodum incertę

fidei cardinalibus externisque hominibus esset concessurus. Nec mora coacto senatu, omnium ferè suffragiis legati ad Lotrechiũ & ad cardinales decernuntur: qui denuncient, nequaquam placere populo Florentino, vt copix militares intra fines recipiantur, propter acerbissima in se Pisanorum odia, qui nulli omnino occasione, vt amissam libertatem recuperarent, defuturi esse viderentur: sacerdotes enim Pisis Florentino præsidio satis tutos, & incolumes, & liberos futuros, si tranquille ac religiose de diuinis rebus potius quam de humanis contentionibus disputare decreuissent. Id decretum Soderini existimationem, qua plurimum apud ciues valere Gallis videri volebat, vehementer imminuit. Quamobrem conatus est & foediorum quidem consilio, vt magis Gallis faueret, eum conuentum Florentiam omnino reducere, vbi ceu in amplissima vrbe nihil esset necesse armatis præsidijs tueri sacerdotes, quando nulla à quoquam timenda iniuria videretur. Id à Gallis probabatur, & cardinalibus etiam mirificè placebat, vtpote qui propter vrbis dignitatem concilio clariorem famam acquiri facillè intelligebant. Sed hñdem optimates amici Mediceorũ qui de præsidijs impedierant, & huius quoq; consilij, vti inutilis & importuni mentionẽ vno subselliorum strepitu sustulerunt: quasi ciuitatẽ cum omnib. Christianis foedere coniunctã, & pontificio nomini semper amicissimam, si dissidio sacerdotum & schismati in ea locus præberetur, & nouo si mul bello, ac diris mox & execrationib. iure alienati iratiq; pontificis obiectaret. Itaq; cũ Pisis sine præsidio septẽ Cardinales cum paucis episcopis desertissimo cõuentu habito cuncta infauitè aduersus Iulium molirent. Grauis etiam tumultus in põte Arni, casu an cõsilio incertũ, inter Gallos & Pisanos, gladijs vtrinq; districtis exortus est. In quo nonnullis vtrinq; vulneratis, ipse Lotrechius summum vitæ periculum adiit, seruatis haud dubiè accursu filij prætoris, qui ad dimouendam turbam in confertos equum adegerat. Qua ex re tantus repente timor omnibus est illatus, ne per prodicionem Iulio dederentur, vt mox Pisis excedendum putarint, atque inde continenter Mediolanum ad renouandum ibi concilium effuso cursu se receperint. Fuere qui existimarent Soderinum non sua voluntate locum dedisse concilio, sed vehementi impulsu Francisci fratris cardinalis, qui erat Gallicę factionis, & præclara simulatione ab his qui discesserant impetrarat, vt ipse apud Iulium relinqueretur, veluti consiliorum omnium certissimus speculator. Erudito nanque versutoque ingenio propter incertos rerum exitus, pilei dignitatem grauib. periculis implicare noluerat, sed tacitus, callido sensu quorsum vis cõuentus euaderet, in vtrumque casum consilio paratus expectabat. Non absurda etenim ratione ad Pontificatum poterat aspirare, si fortè Iulio sede pulso, ipse veluti medius Iulianorum simul amicitia & Gallorum ope, & totius demum Hettrurix studio subnixus, sese candidatum dissidentibus cardinalibus ostendisset. Hic vir enim acutus & excellens, nisi insignes animi virtutes incredibilis auaritia defœdasset, dicere erat solitus, Nihil homini petenti excelsa, & præsertim in hac aulæ fortuna versanti, vel vsu melius, vel expeditius esse, quam duabus omnino sellis federe, si absque certa offensione fieri possit: quoniam nihil vnquam ex toto in alterum alegg euentum sapienti periclitandum esse videretur. Suscepta legatione Ioannes, & amici pariter & clientes eius, in spem haud dubiam recuperandæ patriæ cogitationes erexerunt. Ipse cum exercitu longè omnium

mnum ornatissimo, initio hyemis ad oppugnandam Bononiam est profectus. Imperij nomen penes Raymundum Cardonium fuit, virum hercle nobilem, sed civili potius quam militari gloria florentem. Cæterum vires & consilij summa in Fabritio Columna, Petroque Nauarro plurimum eminebant, quos uti militiæ magistros Cardonio Ferdinandus addiderat. Cum in Galliam togatam ex Piceno Umbriaque esset peruentum, Nauarrus à via Flaminia dextrorsum in Ferrariensium fines diuertit, & Bastiam hostilis agri propugnaculum validissimum tormentis adortus expugnauit, fortissimis defensoribus cum duce Vestidello ad vnum interfectis. Inde ad Bononiæ mœnia exercitus est perductus, & à porta quæ Florentiam ducit, oppugnatio cœpta. Erat in fama terroreque hominum Nauarrus, qui ab admirandis artibus turrium atque arcium euersor esse dicebatur: quoniam Neapoli duas arces excavatis subter cuniculis, & succenso intus tormentario puluere, stupentibus cunctis, vi furentis ignis in altum eiectas radicitus excidisset. Is ad eam muri partem, cui coniunctum erat Baracani sacellum Marię virgini dedicatum, cuniculos agebat: non longè verò cum è summis collibus, tum productis ad vineas tormentis mœnia quassabantur. Contra Bentiuoli validas Germanorum & Gallorum manus introduxerant, clientes armauerant, & apertis occultisque præsidij tota vrbe collocatis, sese aduersus hostium vim & veterum inimicorum egregiè tuebantur. Erat populus Bononiensis ingenti metu percussus, et in primis viri patricij eo periculo vehementissimè terrebantur: quòd aduersus sacrosanctum Pontificem, atque eundem quidè qui paulò antè ab omnibus ciuibus patrię liberator fuisset appellatus, ingratisimè & scelestissimè rebellassent, arcem ab eo conditam euertissent, & denique statuam ipsius æneam templi fastigio detractam, & varijs scedatam ignominijs, ad extremum in tormenta conflauissent. Quibus de causis Ioannes legatus, ne Bononienses veluti desperata venia animos desponderèt, & propterea obstinatius defensionem pararent, vbi per occasionem poterat optimis ciuibus significabat, pontificis animum egregiè delinitum, omnibusque veniam esse propositam: quoniam pro comperto haberet, nihil earum contumeliarum publico factum consilio, sed temeritate potius ac impetu plebis, cum semper imperitè, tum in omni nouarum rerum motu absque vlla iudicij ratione gestientis: omniaque proinde probè excusata atque expiata fore, si vel oppressis, vel eiectis tyrannis, externarumque gentium omnino pulsis præsidijs, cum certissima etiam spe præmiorum ad veterem bonisque omnibus exoptatam libertatem redissent. Erant enim apud legatum plerique viri nobiles, qui à Bentiuolis capta vrbe, & occupata Republica in castra se contulerant: & in his Alexander Populus, Hercules Marescotus, & Camillus Gozadinus, qui propinquos, & pontificio nomini amicissimos, ut se à sæuissimo dominatu quatuor tyrannorum in tanta diuinitus oblata occasione liberarent, hortabantur. Siquidem quatuor liberos Ioannes in exilio moriens reliquerat, Annibalè, Alexadrum, Galeacium & Hermetem. Sed Alexander sicuti religione civili que humanitate maximè erat insignis, ita Hermes uti vir militaris crudelitate cæteros antebat. Quassabatur maioribus tormentis murus ab ea parte quæ à propugnaculo & porta Sancti Stephani dextrorsum sese inflectit, & in eo quoque tractu ad Baracanium (ut diximus) sacellum cuniculos agebat Nauarrus, quibus Gal

li & Germani pari conatu & diligētia excuatis subter domos contrarijs cuniculis occurrebant. Præerat præsidio Alegria dux vetus & impiger, & cunctis Italiæ bellis exercitatus, aderantque fortissimi alarum legati Faieta & Vicentius, cui à terribili audacia magno Diabolo cognomen fuit, & cum his duo Bentiuolorum clientes summæ fortitudinis, acingentis corporis centuriones, Spinacius & Agamemnon, qui cum audacium gladiatorum cohorte in periculosis muri locis ante alios versabantur. Fortè ad propugnaculum dilacerato muri latere haud difficilis visus est Hispanis militibus ascensus. Itaque repente expediti nonnulli priuato consilio ignaris ducibus superata fossa, locum subeunt, et celeriter in propugnaculum euolant, occurrentesque Gallos cataphractos egregie sustinent: mox & repulso adempto alæ vexillo præcipientes agunt. Erat iam in summo Hispanicum vexillum socijs pariter atque hostibus conspicuum, eratque propterea in vrbe tumultus ingens, & magnus fiebat vndique in eum locum ab omnis generis hominibus concursus. Foris verò ita alacritas inopinata cunctorum animos ceperat, vt spes occupandæ vrbis non modò militi, sed ducibus ipsis oblata videretur. Sed quoniam cœpta sine certo consilio fortuna plerunque destituit, non multo post inde Hispani impetu maioris tormenti, quod ab Alegria in propugnaculum ab idoneo loco fuerat directum, cum miserabili cæde exturbati, & in fossas præcipitati sunt. Neque foris tum paratæ erant legiones, vt murum inuaderent: quoniam neque duces iusto prælio quicquam eo tempore tentandum censuerant: vt pote qui iam propè perfectis cuniculorum operibus tutiorem occasionem expectarent, & pro comperto haberent, tales intra quassatum murum ab hoste erectas esse munitiones in acie cum tormentis ad tuendum locum esse constitutas, vt nulli perito rerū bellicarum dubium esset, quin vel semel per ruinas ingressis multo maximæ peruadendi in vrbem difficultates relinquerentur. Igitur multis rebus frustra tentatis, reliquæ spes omnes ad cuniculos reciderant: in quorum opere adeo multus erat Nauarrus, vt propter felicem & spectatam multis in locis industriam cæteri duces, & ipse præsertim Ioannes legatus vrbem aut nullo, aut vno maxime eius viri consilio atque artificio capi posse existimarent. Nec defuissent mirificis operibus euentus, nisi omni humana vi potentior Deorum immortalium voluntas ab ea insigni vrbe præsentem cladem auertisset. Factum enim est Deiparæ virginis præsentis auxilio, quum suum sacellum egregie tueretur, vt subditis ignibus, exardenteque intus repente tormentario puluere, totum Baracanium radicitus conuulsum, Flammarum violentia in sublime iaceretur: sed adeo compositè concideret, vt directis & exæquatis ad libellam angulorum lateribus, Dæx manu repositum esse crederetur. Mirum enim dictu, miles inter fumum & ruinas procidentis propugnaculi irrumpere paratus, interiora vrbis & positas in acie hostium cohortes, per hiatus effracti & patentis muri in eo subitæ rei momento late conspexit, & mox tanto miraculo tardatus exclususque est. Ab ea die Bononienses magis ac magis captis religione animis sacellum collatis vndique donarijs in luculentiorum formam exornare, adiectaque testudine & sacra porticu proferre cœperunt. Dum hæc ad Bononiam geruntur, Heluetij horante pontifice, & magnæ pecuniæ præmia stipendij nomine summittente, bellum (vti superiore anno fecerant) in Insubria renouarunt: Verbanoque lacu

lacu descendentes, fugatis vndique Gallorum præsidij ad Mediolanum vsque moenia delati sunt. Hisdem quoque diebus Veneti Brixiam recepere opera Aloisij Aduocati militibus per Garzettæ amnis fornicem, qui urbem illabatur, introductis. Nec defuere Veneto populi studia: statim namque equitibus Gallis cum Aluda præfecto interfectis, aut captis, lilia gallica vbique derasa, & Veneti leones tota vrbe repositi: cæptæque proferrunt munitiones ad arcem, vt egressus in urbem venturo hosti ab ea parte præcluderetur. Tantis vndique circumiectis & prementibus ex propinquo hostibus, Galli diffisi opibus suis haud dubiè Cisalpinæ Galliæ imperio celsissent, nisi eos in ipsis belli consilijs hæsitantes ad spem ingentium victoriarum vnus iuuenis ducis in uictus animus erexisset. Hic est ille Gasto Foisseius imberbis adolescens, antè imperator quàm miles, antè triumphator, quàm à victore exercitu acclamatus imperator: cuius virtutem adeo intemperanter Fortuna extulit & extinxit, vt cum nullo mortalium vtroque vultu velocius atque vehementius lusisse videatur. Gasto coniunctis vndique copijs contra Heluetios profectus circa Mediolanum ita eos equestribus prælijs fatigauit: vt ab agmine vexillisque discedere non auderent, quum inermes & dispersi pedites, à confertis cataphractis equitibus facillè cederentur. Quibus prælijs Baiardi & Baronis Continii singularis virtus enituit. Sed Continus quum maiore animo quàm consilio hostes persecutus in villam irrupisset, circumuentus ab hostibus interiit. Ceterum Heluetij victi asperitate hyemis, annonæ penuria subacti, & frequentibus equitum prælijs sæpe cum incommodo laesiti, quum neque tormenta, neque equites, neque vllum omnino iustæ expeditionis apparatus attulissent, vt superiore anno fecerant, cuncta in reditu diripientes, vexilla domum verterunt. At Gasto Foisseius repressis Heluetijs nihil cunctandum ratus, vt Bononiam obsidione liberaret, nulla interposita quiete, quum nullam à milite vel duræ hyemis, vel difficilium itinerum, vel pristinæ defatigationis excusationem reciperet, eò magnis itineribus contendit, tanta celeritate incitatis ad festinandum omnibus copijs, vt neque viæ militares admodum lutulentæ, neque inflati amnes, neque longissimæ noctes quicquam impedirent, quominus tormenta ænea, non modo legionibus in cursu, sed ipsis etiam equitibus æquarentur. Accidit autem id quo nihil ætate nostra admirabilius in re bellica fortasse contigit, vt nihil prorsus sentientibus Hispanis interdiu, instructaque acie viginti amplius cohortes, & sex mille equites, & magnū tormentorumq; carrorum numerum trahens, Bononiam sit ingressus: quum Fabricius & Nauarrus vigilantissimi homines, tot sæpe equitum turmis per agrum Transrhenum emissis, nihil de eius aduentu vnquam præsensissent. Etenim Foisseius nuncios omnes & literas, & totam denique suam famam incredibili celeritate præcurrerat: & tantus erat amplissimæ urbis ambitus, vt vix à tribus portis sine periculo vnus castris posset obsideri. Postero igitur die Græcus eques à pontificijs exceptus, quum interrogaretur, ex cuius ducis ala esset, & quæ Gallorum, Bentiuolorumque consilia & apparatus in vrbe essent, dixit se cum ala Biarner (qui ipsius Gastonis erat legatus) pridie cum exercitu urbem ingressum, nihilque propterea vt nouum militem de Bononiensibus rebus habere compertum. Quibus verbis ad duces Ioannemque legatum sedulo delatis, & subinde emissis inquisitoribus, cognitum

est per agrestes Foisseium cum magnis copijs aduentasse, & perpetuo cursu intrasse urbem, vt quum Hispanis absque vlla dubitatione prælio decertaret. Itaque in consilio decernitur, retro castra ad forum Cornelij esse reducenda, ne cum validissimo exercitu ante moenia populosissimæ vrbis contra disciplinam iniquissima loci conditione dimicare cogerentur. Fuere qui existimarent Foisseium omnium longè pulcherrimam potiundæ victoriæ occasionem, quam insigni celeritate peperisset, eius diei mora corrupisse: quando ea tantum nocte fuerit quiescendum, & in albescente statim cælo tribus portis erumpendum in hostes, qui ignari ipsius aduentus à multa niue tum forte cælo delapsa, in tentoriolis torpentes & gelidi, nequaquam tantarum copiarum impetum laturi fuisset viderentur. Sed Foisseius suadente Alegria nequaquam præpropero, sed graui admodum consilio ante omnia cognoscenda sibi hostium castra, consilia, vires, ac incitandos Bononiensium animos, & nouum quem adduxisset exercitum, tantis itineribus fatigatum, bidui quiete omnino recreandum esse iudicarat. Itaque Fabricius atque Nauarrus cura primi & magis impediti agminis Cardonio attributa, tormenta sine tumultu reducunt, atque omnibus belli artibus dissimulato metu, & ostentata vltro cupiditate conferendæ manus, retro abeunt, ita vtrinque à via media militari complanato itinere, vt instructa acie, & equitatus pediti, & vterque tormentis in medio receptis præsidio essent. Erupere in abeuntes Galli equites, cibariaque relicta in tabernaculis diripere: quos intemperantius secutos, & postremis imminentes, Malatesta Baleonus impiger adolescens, qui nouissimum cogebat agmen, subito adortus latè cæcidit, & repulit. Foisseius hoc vno contentus, quod Bononiam obsidione liberasset, repulsosque hostes tota penè illa veteri bellicæ virtutis existimatione spoliasset, multis de causis Hispanos sibi in præsens relinquendos, & Brixiam omnino conuolandum esse existimauit, vt per arcem urbem reciperet, priusquàm ea vel oppugnata vel obsessa dederetur, vel vrbis ipsa maioribus Venetorum præsidij confirmari posset. Ergo eadem alacritate raptato exercitu, propositis ad excitandos milites ingentibus præmijs Pado superato Brixiam contendit. In itinere autem admirabili quadam felicitate, Fortuna, quæ in Foisseio adiuuando ornandoque vna maxime celeritate gaudebat, Paulum Baleonum obtulit, qui cum aliquot cohortibus & valido equitatu Brixianis rebus præsidio ire maturabat, ignarus earum rerum quæ Bononiæ acciderant, & nihil minus timens quam Gallorum occursum, quos è superiore Insurbria profectos, vix dum Bononiam peruenisse crediderat. Itaque ad turrim quæ Magnanini dicitur, non longè ab Athesi tumultuario atque inopinato congressu antecedentium equitum pugna committitur, ita ad tubarum cantum euocatis & coactis vtrinque militibus, vt ardentius pro eo numero concurrere dimicarique nequiverit. Sed Gallis cessere Veneti nequaquam animis ac viribus pares, vtpote qui nihil tale timentes, veluti in insidias præcipitati, armatis instructisque hostibus occurrissent. Capitur Guido Rangonius, cæteri fermè omnes terga vertunt: Paulus tamen intrepidè à tergo instantes prementesque sustinet, præbetque spacium suis sese explicandi, qui per nota vada fluminis Athesis euadebant. Superuentu vero Foissei & recentis alæ, Paulus cum globo suorum ad anem se proripuit, eoque tranato seruatus est.

est. Hic insperatus nouæ victoriæ prouentus (vt est natura mortalium quæ improuisis vehementius afficitur) Foisseio incredibilem attulit voluptatem: simulque iuuenem gloriæ auidum magis ac magis accendit, vt interceptis his auxilijs ad opprimendos Brixiaë Venetos maiore adhibita festinatione maturaret. Nec feroci ingenio alta atque ardua meditantí fortuna defuit: nam vbi Brixiam peruenit, aduocata militū concione, eos alacriter est cohortatus, vt postquam ad locum præmiorum secundissimo successu peruenissent, secum paululum adniti vellent, impigreque pugnare, vt mox tantorum itinerum incommoda ditissimæ vrbis spolijs refarcirent. his magno studio acclamantibus, & quò vellet se irrupturos sublata manu significantibus, cataphractos dimissis equis ante pedites in prima acie collocat: hos iunctim subsequi Germanos & Vascones iubet, atque ita arce torrenti similis in urbem prorumpit, stratoque Veneto præsidio, quod sese obiecerat, ac ingenti omnis generis hominum multitudine crudelissimè trucidata, vrbe potitur. Tum verò videre licuit quanta feritas atque sæuitia auarissimis victorum militum animis esset iusita: nulli namque ætati vel sexui, nullis templis, nullis vel sacris corporibus crudelis ira pepercit. Captus est Andreas Gritus summæ virtutis ac authoritatis Venetus legatus. Ipsum verò Aloisium Aduocatum, qui ad Venetos defecerat, ex fuga retractum, & carnifici traditum, Foisseius auidis oculis in frustra dissectum spectare sustinuit. Septem diebus in eius vrbis direptione consumptis, Foisseius ad hostes feroci citatoque agmine in Bononiensem agrum est reuersus. Terruerat iam omnium animos cum felicitate rerum gestarum, tum vna maximè celeritate, qua vehementer vsus, vbique hostium consilia præuerterat, ita vt hyberno tempore geri posse bella docuisse diceretur, quum antea milites semel in hyberna deducti, veluti sacris occupati ferijs, nunquam inde, nisi iam planè adulto & florente Vere, educi consueuissent. Habebat tum castra Medices legatus ad Butrium, & quum Foisseius Brixiam contenderet, in consilio fuerat agitatum, an traiecio Pado cum parte copiarum Brixianorum periculo foret occurrendum. Sed cunctatius deliberantes festinantis Foisseij geminata victoria ab ea dubitatione laboreque penitus absoluit. Quibus de causis ipse legatus & duces Iulium Pontificem continuo monuerunt, vt maiora præsidia quanta maximè posset celeritate compararet, si Italiaë imperium à vi Gallica omnino defendendum arbitraretur. Iam enim omnes reliqui Itali principes & liberæ ciuitates, eripram iri sibi libertatem à valida & superba Gallorum gente metuebant: & ipse ante alios Maximilianus Cæsar vetus Gallorū hostis ad eas Foissei victorias ita vehementer exhorruit, quum vir grauis et acutus iam pridem Gallorū fortuna & gentis opes agnouisset, vt cum Venetis inducias pepigerit, & se totum haud simulanter ab amicitia Ludouici regis auerterit. At Iulius animo profusus inuictus, Troilum Sabellum, & Gentilem Balëonum equites vndique conducere, & Ianum Capociam Romanum cohortes conscribere iubet, conuenitque cum Hispano Venetoque legatis, vt sex millia Heluetiorum communi impensa mercede conducantur, vt ex Heluetio statario pedite phalangem, quæ Germanis opponeretur, Hispanorum cohortibus adiungerent. Mittiturque Venetias Matthæus Sedunensis Cardinalis, vir Heluetius, vt inde per Rhæticas alpes gentem stipendiorum & belli auidam ma-

gnis pollicitationibus euocaret. Interea Foisseius aucto & omnibus rebus abundè instructo exercitu, per Bononiensem agrum ad hostes est profectus, adeo promotis castris, vt præmissio leuis armaturæ equitatu, atque expropinquo ostentata acie, pontificios ad certamen prouocaret. Confederant in via Flaminia Fabricius atque Nauarrus, & copias in eos colles qui sunt ad dextrâ haud multum ardui opportunis in locis erexerant, & tormentis tantum hostes impetebant, eo consilio, vt si Galli ab innata alacritate inducti, vti tot recentibus elati victorijs instructa acie subissent, iniquissimo loco dimicare cogentur. Sed tanta conspectis Gallis Hispanos pugnandi cœperat auiditas, vt æquo vel iniquo loco manus conferere minimè recusarent: inuaseratque non minor religio eorum animos quam alacritas: nam ad legatum concionantem centuriones & milites accurrebant, postulantes vt autoritate pontificia nominatim ab omni noxa lustrarentur. Tantisque erat concursus facram purpuram manu tangere cupientium, vt nimia pietate signa deserui, & dissolui ordines periculosa confusione viderentur. Legato & ducibus præ gaudio manabant lachrymæ, quum in Hispanis rapinis & cædibus assuetis tantam religionis curam, tantumque contempta morte pugnandi ardorem inesse conspicerent. At dum duces obsecrando atque obtestando milites tentarēt, ne tam propinquo hoste toti ordines omnino soluerentur, legatus prælata argentea insigni cruce in nomine trini numinis vniuersos ab omnibus criminibus expiauit: promisitque eterne vitæ præmia his omnibus, qui pro tuenda Christiani pontificis dignitate dimicando cecidissent. Ferunt Foisseium iuuenili ferocia numerum atque apparatus hostium facile contemnentem ea die prælio decertare cupiuisse, sed Hiwonis Alegriæ monitu fuisse retardatum, qui aduersus sibi notos & inuictos veteranos, & Gallicæ militiæ peritissimos duces, temerè ex iniquo loco minimè inuadendos esse prædicabat. Dirempto equestri leui prælio Foisseius directis itineribus sub Foro Cornelijs ad læuam promouit castra, eo consilio, vt ad expugnamdam Rauennam maturaret: ratus aut cessuram urbem non multum muro validam magnis viribus oppugnanti, aut si hostes auxilio ire pergerent ad futuram occasionem vniuerso prælio dimicandi, quam sibi cunctis artibus parandam arbitrabatur, quando collatis semel signis nihil omnino de victoria dubitaret. Erat enim rebus fermè omnibus superior, tormentorumque præfertim apparatus, quæ non vt apud Hispanos tardissimis bouum iugis, sed insuefactorum ac agilium equorum ceruicibus trahebantur. Habebat & leuem armaturam equestrem dimidio ampliorem, & multo etiam exercitio rem: sed præcipuum robur erat in Germano pedite veterano, omni armorum ornatu conspicuo, qui duodecim quingenarijs cohortibus, & exercitus, & castrorum frontem obtinebat: cuique nulli milites stabili & campestri in acie pares futuri viderentur. At Legatus & pontificij Hispanique duces de itinere, & de toto Foisseij consilio coniectura iudicantes, Marcum Antonium Columnam summæ spei Romanum ducem Rauennam mittunt. Eius alæ equitum adiungitur Petrus Castrius leuis armaturæ equitum præfectus, & cum eo fortissimi centuriones cum cohortibus Paredes & Salazarius. Quibus ire dubitantibus singuli duces, & ante alios Legatus iureiurando pollicentur, se quum

periculis

periculum vrgeat, neque eam urbem, neque ipsorum præcipuè salutem esse neglecturos. Porro Foisseius Rauennam delatus, prolatis statim tormentis, tanta vi quassare moenia est adortus, quanta maximè ab vlllo alio duce qui interfuerant, vllibi factum fuisse meminissent. Dirutis namque muris, & nonnullis hostium in opere & defensione versantibus ad ingeminatos tormentorum ictus interfectis, triplici acie instructa murum subijt, tanta alacritate & contentione militum, vt quisque quo magis in oculis ducis esset conspicuus, ante alios efferendo sese prægredi conaretur. Diuisus enim erat labor inter nationes, vt sublata penitus inuidia, omnes honore simul atque periculis æquarentur. Denos quoque equites cataphractos singulæ turmæ ex fortissimis iuuenibus tribuerant, qui ante pedites dimissis equis grauioribus protecti armis subibant. Certatum est aliquot horis vtrinque vehementissimè. Non deerat enim sibi in tanto rerum discrimine M. Antonius & ceteri duces, qui ab idoneis locis tormenta maiora minoraq; incessanter emittebant, & è summis ruinis sulphureos globos saxaque & ingentes trabes prouoluebant. Sed magno vsui erat eximia magnitudinis ænea colubrina, quæ ab angulo propugnaculi in latus subeuntium agminum sæpius emissa, multos miserabili strage edita violenter abripuit, & fossam foedè laceratorum militum cadaveribus repleuit. Desiderati sunt plerique viri fortes, & in his Spineus tormentorum magister, vir summæ authoritatis ac industriæ, & Satillonus inter præfectos equitum clarissimus. Ex his verò qui in muro propugnabant, periire duo Denitij fratres, Neapoli honestissimo loco nati, quum alter in locum tormento interfecti, & iacentis ad pedes fratris, ad non dubiam mortem ac laudem intrepidè successisset. Foisseius cum detrimento repulsus, vbi didicit Fabricium atque Nauarrum cum omnibus copijs aduentare, qui exaudito tormentorum frequenti reboatu, & animaduerso Rauennatum atque præsidij periculo castra promouerant, à Rauenna properè discessit, ne interclusus, si diutius hæreret, sibi necesse foret ancipiti prælio decertare. Fata quoque quæ omni humana ratione vehementius impellunt, cum haud dubiè vel inuitum in campos pertrahebant, qui essent & ab eius interitu, & ab inusitata, cunctisque propè gentibus funesta clade nomen habituri. Educto exercitu validam manum in tergo constituit, quæ erumpentes è Rauenna hostes, conuersa fronte sustineret. Peruenerant pontificij ad Roncum vsque amnem, qui Vitis anquitus fuit, cum biduo serè continenter, & in agmine, & in ponendis castris equestri prælio decertassent. Erat in fronte amnis, iuxta cuius aggerem Nauarrus peditatum omnem depresso loco collocarat, eumque præseperat paruis curribus, quibus ingentia venabula erant præfixa. Equitatum in tria diuisum agmina, Fabricius, Padulius, & Caruaial idoneis in locis instructa acie conglobarant. Toti verò leuis armaturæ equitatu præerat Daualus Piscarius Fabricij gener, qui ab his infausæ militæ primis stipendijs summorum postea ducum gloriam æquauit. Relinquebatur Foisseio exigua spes parandæ comæatus, cum magis ac magis à Ferraria Padoque discederet, propterea vel ob id etiam maturius confligere properabat. Venerat ad eum Alfonso Ferrariæ princeps præcipua belli causa, vt quam debebat Regi de se

benemerito præfens operam præstaret, ornatissimamque alam, & magnum tormentorum apparatus adduxerat. Huic & Senescalcho Normaniæ cura primæ aciei fuit demandata, secundæ & tertiæ præfuere incliti duces, & ante alios Alegria atque Palicia, qui erant omnium & ætatis honore & rebus gestis longè clarissimi: ipse Foisseius vt imperatorem decuit, nullum sibi certum locum desumpsit, sed cum turma nobilium prouectus ad singulos ordines animo maximè excelsò, & fermone alacri modò Germanos & Italos, modò Gallos et Vascones hortabatur, vt intrepidè cum his congregi vellent, qui tantum cum Pœnis & Mauris inermibus in Africa pugnare assueti, vix primum veteranorum militum imperum essent laturi: peruentum iam esse ad laborum finem, & parata esse præmiâ, quæ non modò meritis, sed ipsorum etiam vel immodicè cupiditati ad satietatem æquarentur, si opinionem quam ipse de omnium virtute, factò sæpe periculo cumulatissimè concepisset, vti viri fortissimi minimè fefellissent. Erat Foisseius imberbis adhuc, & præclara facie maximè decorus, sed micantibus oculis à generosa militarique ferocia valde terribilis, & quod spes ipsas, & studia militum vehementer excitabat, dux etiam fortunatus ab omnibus habebatur. Incitatis ad prælium militibus, tormenta, vnus præcipuè Alfonsi consilio, amnem, loco mare versus à castris hostium inferiore sunt traducta, quæ mox ille ita magno in obliquum circuitu prouexit, vt in latus & terga hostium citatis iumentis verterentur. Interim Germani subitario ponte, Vascones & reliquis peditatus humilibus vadis amnem transibant, equitatus turmatim ab omnibus locis in aduersam ripam absque vllis incommodis euadebat: leuis autem armatura equestris, vtrinque latus effusa ita pugnam ciebat, vt prospectum, vti planis accidit in locis, speculantibus ducibus adimeret. Iam pilæ Gallicæ ingenti strepitu maioribus tormentis emissæ, multa strage equorum atque hominum edita, per medias acies prouolabant. Iam Gallicus equitatus fermè omnis, peditatus verò magna ex parte flumen transierat. Iam denique propè ipsum ardentis prælij discrimen erat peruentum, quum Fabricius acri iudicio victoriæ diffusus, Nauarrum vehementer est obtestatus, vt sese tandem inde expediret, & cum dimidiato hoste potius quàm cum integro congregi vellet, neque amplius cunctaretur, sed peditatum confestim versus amnem in hostes educeret: se quoque statim eò cum vniuerso equitatu illaturum signa, atque ita disinctos, & in transitu hærentes ac impeditos in flumine facile concisuros. Sed Nauarrus fatali pertinacia, salutari consilio nequaquam animum inflexit, vt pote qui sub aggere depresso tutoque loco constitutis legionibus sibi omnino expectandos hostes, non vltro inuadendos importuna ratione decreuerat, ita vt exitiali proposito deseruiret, & nihil tanta & tam miserabili equitum clade commoueretur. Confusus etenim mirificè militum virtuti, & carrorum item munimentis in animum cæca obstinatione peruersum induxerat, se deletis etiam equitibus, vno incolumi peditatu victoria haud dubiè, nequaquam communicata cum socijs laude, potiturum. Adiuuit etiam obstinati hominis insaniam suorum tormentorum respectus, quæ peritè collocata, emissaque strenuè Gallicum peditatum, veluti clades alternante Fortuna, per quam effusè prosternebat. Fabricius fremens & gemens, vbi totum equitatum animaduertit ingenti ea

clade

clade perturbatum, & multos duces in oculis crudeliter interfectos, ne inglorius caderet, cum globo reliquorum equitum in confertos hostes incurrit: ubi quum ad interitum suorum aliquandiu pugnasset, ab Alfonso captus est, & a Gallorum iniuria, id ipso obnixè deprecante, egregia fide seruatus. Eadem consilij fortuna Padulium excepit, quum alas secundæ aciei per campum, fossis & vepribus impeditum nequaquam conferto, sed dissipato agmine, veluti desperato meliore exitu, protinus induxisset. Captus est & Daualus Piscarius fusa vniuersa leui armatura equestri, multis susceptis vulneribus egregiè repugnans. Cardonius verò ipse inusitata tormentorum clade consternatus, vix mentis compos inauspicati imperij relictis insignibus, & cum eo Caruaial, tertia acie fermè integra, & Antonius simul Leua, qui postea raræ felicitatis dux euasit. continenti cursu profugere. Tum verò appropinquantibus Germanis, Nauarrus insigni quidem, sed nimis fera virtute legionibus suis prælij signum proposuit. Strauerant solo prona corpora suo pte ingenio milites, vt præteruolantes ferreas pilas euitarent. Itaque sese atque hastas protinus erexere, tantaque animorum alacritate Germanos inuasere, vt nunquam ab vlla hominum memoria aut ferocius aut acrius sit concursum. Accidit autem, vt ante ordines progressi duo longè omnium nobilissimi duces, armis cristisque conspicui inter se ex prouocatione decertarint: Iacobus Empfer Germanus, Hispanusque Zamudius, sed cadente Germano, vtraque acies statim procurrit: cæsi que sunt vtrinque fermè omnes notii centuriones, vixque Germanus confertissima sua phalange Hispanorum vim ac audaciam sustinebat, quum inclinati plerique scutisque protecti, subter hostium hastas inermia femora breuibus gladijs fodiendo, cædendoque ad mediam fermè aciem peruenissent. Non procul inde Vascones occupata via, quæ inter aggerem ac ipsum flumen intererat, Italicas cohortes iam multo à tormentis detrimento accepto perturbatas clamore edito sunt adorti. Sed ubi emissis sagittis ad manus est deuentum, vti hastatis, & densa acie prementibus impares, facile sunt repulsi. His opem tulit Alegria cum recenti ala equitum supra insitam vim domestico etiam dolore concitatus: ardebat enim incredibili cupiditate fumendi supplicij de Ramazotto eiusque cohortibus, à quibus superiore anno ad Ferrariam Melious filius pugnacissimus iuuenis seditione militari fuerat interfectus. Sed irrumpentem & cohortes lata strage edita prostermentem, Fortuna maligno omine persequuta, nouo & acerbior quidem dolore obruit, quum in eius oculis Viuerroes alter filius suo impetu transfixus hastis hostium fuisset: & exanimis in profluentem præcipitatus. Nec multo post & ipse fortissimus & infelix senex in lugubri vindicta funestaque victoria confossus interiit. Ramazottum ingenti securis ictu prostratum, & semianimè seruauere proximi Hispani, qui ex secunda acie duce Samaneco ab alia parte Gallos Italosque pedites reiectos vsque ad tormenta ira cæderant, vt illi pauentes & saucij in latus Germanorum fœdè perturbatis eorum ordinibus verterentur. Iam Germani à fronte cum hoste pugnantes, iusta quidem ira, sed tam exitiali quam necessaria cum socijs auertendo pellendoque ne eorum incurfu acies laxaretur, in latus certabant: eratque ob id incerta adhuc & dubia Gallorum victoria, nisi Foisseius vniuersum equitatum

iam vndique planè victorem, Hispano pediti circumfudisset. Nec in tantarum asperitate sese deserunt Hispani, vti decuit summæ fortitudinis veteranos, quanquam continenti cum Germanis prælio fatigati, non modo promptissimum quenque militum & centuriones & vexilla, sed quod maximè vires debilitat & spiritum intercipit, victoriæ spem ipsam amisissent. Admirabili etenim consensu, & singulari pugnandi peritia, ordines atque animos conseruant, delatique in viam hinc aggere perpetuo, illinc flumine permunitam, acerrimè depugnando sese recipiunt. In ea receptus difficultate Nauarrus, sese vltro telis obiectans, ne tantæ cladi superesset, vti postea dicere solebat, intercipitur. Eo capto, & iam vndique parta victoria, Foisseius profligatis & fugientibus instandum esse clamitans, et vndique ad delendas reliquias equites cogens, dum intemperantius cum turma nobilium abeuntes persequitur, à nouissimis circumuentus, & ab equo deturbatus iugulatur: neque se Foisseium & Hispaniæ reginæ fratrem esse profitenti, barbarus & iratus miles pepercit. Stratus est & iuxta Foisseium amplius viginti vulneribus illatis, eius patruelis frater Lotrechius, qui postea inter Gallos cum imperio militari summam auctoritatem est consequutus. Foissei importuna mors haud dubiè insatiabili cædendi hostis cupiditate quæsita, sicuti plenissimam de hoste victoriam corruptit, ita Hispanis angusta, & ob id firma fronte insequentes Gallos faciliè repellentibus, euadendi spacium dedit, victoresque simul à difficili pugna ad paratam prædam protinus auertit. Cecidere vtrinque ferè æquata clade, cum calonibus & lixis ad viginti milia, sed in primis flos militū, & ducum fermè omnis interijt, quorum fortunæ varios euentus sigillatim in Historijs diffuse retulimus. Interea Medices Cardinalis haud dubiè prouidentia deorum ad Pontificatum reseruatus, quum multis circa eum interfectis, turpi fuga minimè saluti consulendum esse iudicaret, postquam cohortando, & cadentium animas superis commendando, cum pñ tum constantis Legati munus impleuisset, in Gallos equites duos incidit: quorum alterum purpuræ & pileo superbè insultantem Plateus eques Bononiensis, qui lateri comes hæserat, tragula per iugulum transfodit: alterum pauentem eodem telo fauciatum æquo deturbauit. His mox succedere Epirotæ equites, è quorum manibus superuentu Federici Gonzagæ Bozoli statim eripitur, cui demum honestiore nomine tanquam nobili duci atque Italo protinus est deditus, & ab eo adiecta custodia deductus ad Federicum Sanseuerinum, qui concilij nomen pro legato in castris & in acie armatus, & proceritatem ingentis corporis, & præclarum in ea causa studium ostentarat. Ab hoc Medices cum honestissimè tractaretur, & propter veterem familiaritatem omni cum verborum honore ac officij pietate coleretur, faciliè impetrauit, vt Iulius Medices qui ex prælio cum Antonio Leua Cesenam profugerat, tuto ad se veniret. Erat enim propè solus, tot familiaribus varia forte profligatis. Iulius vbi accepta fide, in castra peruenit, Sanseuerino etiam concedente, continuo Romam ad Iulium Pontificem est transmissus, scilicet vt patruelis Legati, qui ex publica clade in hostium esset potestate, salutem ac dignitatem Pontifici & cæteris cardinalibus obnixè commendaret. Iulius cunctis rebus & consilijs detrimentisque hostium sedulo exploratis, non tantum vt domestici officij munus impleret, sed vt certiora de hoste

ad Pon

ad Pontificem deserret, mutatis ad celeritatem iumentis sibi properandum esse existimauit: statimque vbi applicuit, à Pontifice in senatum est intro ductus, vt cladem vtrinque cum cæsorū numero, tum magnorū etiā ducū funeribus haud dubiè æquatam esse testaretur, & propter aduersos falsosque rumores, vtpote qui faciliè primus ex hostiū castris veniebat, totius pugnae euentum recensendo eorū qui ex hostibus periissent, sigillatim, & ex socijs qui se fortiter atque feliciter recepissent, nominibus recitatis, multorū animos abunde confirmaret. Erant enim plerique adeo mente consternati, vt Iulio veluti desperatis rebus, ab Ostia in remibus fugiendum esse trepidè suaderent. Quoniam non solum à Gallis victoribus, qui adhuc sine certo duce procul abessent, sed ab intestino hoste, cum toti sacerdotum ordini exitium, tum Vrbi direptionem, & inquilinis omnibus perniciem timebant. Robertus enim Vrsinus & Petrus Marganus summæ nobilitatis & opinionis Romani iuuenes à pontifice scelerata conspiratione defecerant, pecuniam à Gallis acceperant, vt Vrbe sacrosanctum Pontificem exturbarent, quando faciliè ab his vtriusque factionis perditis seditiosisque homines ad patrandum facinus concitari posse viderentur. Quæ omnia vel ob id magis ac magis erant metuenda, quoniam paulo autè grauius ægrotante Pontifice, Pompeius Columna Reatinus episcopus, et Anthimus Sabellus turbidiore consilio Romanos ad libertatem vocarant, concionatique in Capitolio aduersus sacerdotum imperium vti sauum ac impotens, nulloque iure legitimum, ita plerosque nouarum rerum cupidos & veteres tantum Romanæ virtutis spiritus gerentes inflammabant, vt nisi conclamatus serè Pontifex repente reuixisset, omnia crudeli tumultu conturbari manifestè potuerint. Cæterum Iulius in calamitate semper seipso maior, & excelsior, inuictō animo ingenti liberalitate copias reparat, Cardonium per agrum Picenum euadentem hortatur, vt reliquias colligat, inermes & spoliatos equis exornet, præbitaque pecunia copias in vnum cogat. Porro Vrbinatē in gratiam recipit, & scribere milites iubet, qui propter Alidosij cædem à patruo, eoque Pontifice diductus, deprauatusque à parum sanis familiaribus, sese Gallo Regi certa stipendiorum conditione applicare cogitauerat. Ante omnia quoque Venetias ad Sedunensem Heluetium Cardinalem scribit, vt non amplius sex tantum milia, vti antea esset decretū, sed quantam possit eius gentis multitudinem pecunia conducat. Adiuuant rem Veneti consilio, opibus, ingentique studio vt maturè in Italiam deducantur. Interim Galli ad Rauennæ mœnia reductis castris, atque vrbe in ditionem accepta, vt Foisseio & amissis sub muro socijs parentarent, contra fidem barbara feritate miseros Rauennates inuadunt, inermes vbique trucidant, domos templaque diripiunt, & in primis D. Vitalis templum, quod erat per antiquis Gothorū donarijs ex auro et argento sumptuosissime exornatū. Ipse vero Medices legatus, Petrusque Nauarrus captiui Bononiam mittuntur, Nauarrum transeuntē pueri & multitudo opificum spectandi studio effusa, indignis verborum contumelijs affecere. Nec legato ipsi defuere improbi noticiues, qui atrocibus verbis insultarent, quibus tñ omnibus rediens faciliè postea summa illa naturæ lenitate pepercit. Sed Bentiuolii fratres quum propter veterem amicitiam, quæ cum Mediceis Ioann. ipsorum patris, & Magni Laurentij tēpore floruerat, ita susceperent, vt nihil præter libertatē deesse videretur.

Non multo post Foisseij funere à Bononiensibus regio sumptu ac apparatu post longam pompam, extracta in templo insigni pyra celebrato, Medices legatus cum Nauarro, & plerique alij captiui nobiles Mediolanum perducuntur. In itinere autem quum esset Mutinæ, Blanca Rangoniæ benignitatem sensit: ea erat Bentiuolorum soror, eximia liberalitatis scœmina, quæ omnibus ex mundo muliebri necessarijs ad cultum ornamentis sumptuosissimè eum repleuit. Vnde ipse mox effectus Pontifex, vti in referenda gratia planè gratissimus, eius liberos & honore pilei, & Prætorij præfectura, & magnis militiae stipendijs exornauit. Mediolani verò exceptus in Sanseuerini Cardinalis ædibus, à Vicecomitibus, Pallauicinis, Triuultijsque patricijs ita colebatur, vt vix victor in præalta Fortuna, vel humanius vel liberalius nullo prætermissio humaniore officio tractari posse crederetur. Quum esset Mediolani, atque ibi Cardinales concilium è Pisis reductum, vti inflati victoria criminossimè celebrarent, & sæpè Iulium Pontificem pro templi foribus ad dicendam causam citarent, sanis hominib. pariter & imperitis effusè ridētibus, ea pseudosynodus ludibrio haberi est cœpta, ita vt Bernardinum Caruaialem ambitiosius ad pontificatum anhelantem, pueri subsannando per iocum Papam vocarent, nec ab armatis Gallis, & iratè persequentibus, quo minus sacerdotib. illuderent, omnino terrerentur. Ad labefactandum autem reliquum eius concilij nomen fortè Iulius Medices ab Roma superuenit, qui legato patrueli breues epistolas, & diploma Pontificis deferebat: quibus præclara concessa facultate, expiare milites ritè posset, qui, vti erant (quoniam in acie contra Pontificem stetissent) sacris interdicti, & omnibus diris ad inferos deuocati, sese lustrare Christiano ritu, & veniam à pontifice petere malebant, quàm obtemperare paucis ac ambitiosis sacerdotibus, qui priuatis odijs, & parum honestæ cupiditati improbè seruientes, & exercitui falsa specie religionis decepto, & fortissimis simul & incautis ducibus singularem calamitatem peperissent. Itaque prolato euulgatoque diplomate, tantus præfectorum & signiferorum, militumq; omnis generis, qui certatim à diro crimine absolui cupiebant, ad legatum factus est concursus, vt vix conficiendis tabulis scribarum manus sufficerent. Quæ res & familiarium egestatem mirificè subleuauit, & præ damnata concilij causa, Iulij Pontificis auctoritatem latissimè confirmauit. Ob id factum, quod omnium concilij sanctionum fidem penitus eleuabat, grauius commoti cardinales, de Medice vehementissimè conquerebantur: quoniam maximi regis, qui iure optimo concilium indixisset, dignitatem despici re videretur, quum priuatis actionibus & syngraphis in aliena potestate constitutus, vti capite diminutus, cœptam præclaro ordine synodum oppugnare contenderet, nec vereretur eorum iram adeo insigni iniuria prouocare, in quorum esset potestate, quique captiuo duriores condiciones imponere facile possent, et ex arbitrio totam eius rei contumeliam vindicare. Sed ab insigni pietate vehemens Gallorum militum consensus Legatum, vel tacentem egregiè defendebat. ij enim vltro cardinales ipsos elatis verbis obiurgabant, tanquam minus religiosè Christianorum & simplicium omnium mentes votaque sanctissima, falsis persuasionibus turbare niterentur. Interea Galli duces quum omnem futuri belli metum vna ea insigni victoria sustulisse viderentur, adnitente quæstore Normaniæ, sed contra nequicquam reclamante Triuultio,

uultio, peditatum fermè omnem dimiserunt. Quæ res sicuti ab exitiabili auaritia initium cœpit, ita luctuosum admodum bello firtem parans, Gallos ab Italia nullo propè negotio exegit. Namque Heluetij à Iulio Pontifice & Venetis multis obsecrationibus atque stipendijs ad arma exciti, sublatis repente signis per Rhetiam ad Tridentinas alpes properabant. Erant enim tum vicatim Gallo regi maxime infensi, quod ille post partas (vti dicebant) ipsorum sanguine victorias, ingratis atque auarè stipendia solita sustulisset, despectaque virtute Heluetia, Germano peditæ ad suæ gentis ignominiam vti cœpisset. Nouo quoque ab his suscepto bello impensè fauebant Maximilianus Cæsar Gallorū opes tantis partas victorijs haud dubiè reformidans. Nam super inducias Venetis concessas, à concilio Pisano arrogata omni sua pristina procuratione discesserat, & edicto monuerat Germanos, qui in partibus Gallorum erant, vt domum in Germaniam redirent, iterque Heluetijs, & comitatum per agrum Rheticum amice præbuerat, ac demum Tridenti & Veronæ omnem eorum multitudinem absque vlla dubitatione receperat. Quo terrore Palicia percussus, ad què interfecto Foisseio militaris imperij summa redierat, aduocare duces, cogere vndique ad signa milites, à Florentinis auxiliares equites postulare, & parare vndique præsidia maturabat. Sed alæ & cohortes tot prælijs vehementer attenuatæ, & peditatus Italicus quæstorum auaritia, rogatorumque iudicio importuno dimissus, reuocati que edicto Cæsaris bona ex parte Germani, & dilapsi vndique Epirotæ, Galli, Vascones, & qui vno nomine Valones dicebantur, infrequentia signa reddiderant: cum his tamen copijs Palicia non tam viribus quam famæ rerum gestarum confusus, ad hostes in Mantuanum agrum contendit. Interea Cardinales quum nihil de Heluetio Venetoque bello in amplissima recentique victoria dubitarent, propter inusitatam aduentantium hostium celeritatem timore præpediti, Concilium repente dissoluunt, vt illud in auspiciato Pisis cœptum, et tum Mediolani improspere renouatum, in vltiorem Galliam transferrent. Mediolano itaque profecti multis de causis, & iubente rege, secum Medicem Legatum in Gallia ducunt. Ventum erat ad Carium vicum in Ticinensi non longè à Pado, ad eam ripam quæ ex aduerso pertinet ad Bassinianam, ea Augusta Battienorum antiquitus fuit. Ibi Medices fortè oborta, vel simulata leuigritudine facile à custodibus impetrauit, vt ea nocte Carij conuiesceret, dum cæteri Cardinales, magnique eorum comitatus cum turba omni ministrorum & militum nauigijs pertransirent. Id spacij nactus Medices per Abbatem Bongallum familiarem suum, qui postea Nepesinus fuit episcopus, perquisiuit, an in eo vico aliquis esset vir nobilis, cui tuto salutem suam commendaret. Huic diuinitus fortè oblarus est Raynaldus Zactius, miles veteranus equestri natus familia, qui magnas in agris paternis agrestium hominum habebat clientelas. Itaque Abbas hominem secreto cum lachrymis suppliciter est cohortatus, vt summæ nobilitatis, summæque spei Cardinalem coniectum in eas miseras, & qui haud dubiè ad perpetui carceris poenam in Galliam traheretur, è manibus Barbarorum eripere vellet: qui remulenti aut intempestiuè vagari, aut somno oppressi custodias negligenter obire consueuissent. Raynaldus qui suo pte ingenio Gallico nomini erat infensus, propter memoriam Magni Laurentij, & Mediceæ familiæ, quæ apud omnes erat ve-

nerabilis, facile liberandi hominis negocium suscepit, ea tamen conditione, ut nihil se perficere feliciter posse fateretur, nisi eius vicinię Visimbardum aduersæ factionis, sed tamen ab se nequaquam alienum iuuenem in partes parandi facinoris adduxisset. Id si ab illo impetraretur, ad eum in hospitale diuersorium se vnum ex pueris statim missurum, qui pro tessera cuncta parata esse renunciarer. Cum hac spe Abbas ad Medicę est reuersus. Nec mora, Dñs bene adiuuantibus, obsecranti Raynaldo, quanquam egrę & cunctanter annuit Visimbardus. Itaque ad Abbatem nuncius properę mittitur. Verum ei Abbatem in turba quærenti, non Mediceus, sed alter genere Gallus Abbas custodię præpositus ostenditur, cui ille in eodem nomine deceptus, miserabili errore cuncta parata esse denunciat, adeo tam probè cõceptis consilijs Fortuna immittis inuidere videretur. Sed Gallo contracta fronte, & sua lingua se nihil parari iussisse extemplo respondente, errorem puer agnouit, & præsentem quodam commento inducto, inde sese protinus explicuit, ita tamen ut suspitionis aculeum relinqueret apud eum, verba & vultum pueri cogitatione reputantem. Ob eam rem Abbas non multo post maturius, quàm statuerat, profectioe indicta, eductoque agminie ad Padum contendit, frustra moras alias atque alias neccente Cardinale, ut Raynaldo spacium cogendis agrestibus opportunè præberetur. Iam totum agmen ad flumen peruenerat, multisque transmisissis, ipse planè inter postremos anterioribus mulæ pedibus nauigij proram attingerat, quum à tergo exauditus clamor & aduentantium conspecta acies nullam auertit: ita superuentu Raynaldi penè sine vulnere fugatis Gallis, Legatus eripitur. Nec multo post abiecta purpura, militari sago indutum, traiecto noctu Pado, ad castellum Ligurum deduxere. Id erat Bernabouis Malesping Visimbardo sanguine coniuncti: ibi nouum quoque discrimen adijt. Nam vir ille uti erat Gallicę factionis, ne fortunas suas in discrimen deuocaret, monendum, & consulendum super ea re Triuultium existimauit, fremente frustra, & fidem implorante Visimbardo. Tum vtrò legatus in sphæristerio fœdè custoditus, de salute libertateque desperare cœpit, & vehementer Fortunam incusare, quæ tanta acerbitate spes omnes eluderet, & sibi immerenti alios super alios insatiabili malignitate laqueos pararet. Sed Triuultius grauis & verè Italus imperator, quum iam Galli à ponte Mincij tanta premente hostium multitudine essent deiecti, et in effusam fugam planè coniecti, Malesping rescripsit, res eò esse deductas, ut non esset de Cardinale qui fortunæ beneficio semel euasisset, magnopere cogitandum. Itaque Bernabos seipso factus humanior, Legatum noctu dimitit, eumque seruorum perfidia simulat effugisse. Ille ad vicum Iriæ adiuuante quodam sacerdote, & coemptis per eum perniciousis iumentis, Placentiam peruenit: atque eò tutius, quod tum forte Placentini perditis Gallorum rebus, Julio Pontifici deditioem faciebant. A Placentia demum traiecto Pado, Mātuam est profectus, vbi in Andina villa summa benignitate eum Franciscus princeps congestis opportunis muneribus abundè recreauit. Interea Palicia ad Vallegium Mincij ponte depulsus, copias omnes, amissa Cremona, Ticinum reduxit: affuereque illico Heluetij, & cum his Paulus Baleonus, qui optimè instructam legionem, & quadringentos cataphractos, bisque totidem leuis armaturæ equites, & magnum tormentorum apparatus adduxerat, Itaque mœnia ad arcem tormentis quati cœpta: sed nihil

magis

magis Gallos exterruit, quàm cohortes ratibus in proximam & coniunctam vrbi insulam traductæ: per eas enim intercluso ponte lapideo, euadendi Gallis facultas eripi videbatur. Itaque Palicia nihil sibi amplius Ticini morandum arbitrat, vt equitatum in quo totius Galliæ salus & decus spesq; omnes sitæ erant, ab omni discrimine conseruaret, ponte lapideo signa educit, statimq; hostes a porta noua simul & ab arce deserta irrumpunt, & cum Germanis per totam vrbis longitudinem, ad pontemq; maximè dimicant: eos enim Galli vt ipsi sine periculo abirent, omnium postremos reliquerant, haud dubiè à tanta multitudine trucidandos. Sed Germani admirabili constantia sese recipientes, cum egregiè sustinèdo haud magnis acceptis detrimentis, ad alterum Graualoni pontem, qui erat ligneus, peruenissent, diffractis asseribus equorum pondere ad multorum exitium pons est interruptus, atque eo modo Germani Galli que omnes qui transire nequiuerant, cæsi captique sunt. At Palicia Pado ponte superato, quem Triuultius cautissimus senex opportunè construxerat, rectis itineribus in Galliam contendit: quoniam Henricus Britanniæ rex, suscepta defensione Romani pontificis, ingentem classem cum validis copijs in Aquitaniam transmiserat. Eo modo paucis diebus Mediolanense imperium Gallis est ereptum, & Maximiliano Sfortiæ, vt legitimo principi, Iulij Pontificis, Veneri senatus auspicijs, & vna maxime Heluetiorum virtute restitutum. Ab hac victoria Cardonius excitus, collectis vndique Hispanis, et reparato equitatu, in Galliam Togatam redire maturabat, Vrbinasq; ipse premisso Troilo Sabello, qui oppida atq; arces reciperet, cunctis propensissima voluntate ad pristinam fidem redeuntib. Bononiæ appropinquabat. Quibus de rebus Bentiuoli omni spe præsidij, Gallis Italia pulsis, omnino destituti, magnopere sibi timere cœperunt, Bononiensesque ipsi à pontificijs copijs singularem cladem expectabant: nam mature segetes erant in agris, & iam frumenta succidebantur. Quibus amissis si obsistere, & Bentiuolorum in fide permanere vellent, nulli erat dubium, quin breui populus omnis inopia comineatus, & dira fame conficeretur. Gerebat tum summum in vrbe magistratum Franciscus Elephantutius. Is animaduerso rerum discrimine, amice et grauius Bentiuolos in Senatum vocatos est cohortatus, vt prudentium more Fortunæ cedere potius vellent, quàm obstinatè persistendo his periculis ciuitatem obicere, quæ supremam omnibus calamitatem essent allatura: posse ipsos spe integra, si patriam incolumem seruarent, alio tempore conuersis rebus ab ea ipsa, quæ tum deprimeret Fortuna, subleuari: at si patriam perdere pergerent, eos non modò reditus spem, sed fortunarum omnium, & salutis protinus amissuros. Iam enim Castellij Bentiuolorum inimici ædes suas prætorio propinquas armatis compleuerant, & maiores tumultus indies propter multorum simultates in vrbe timebantur. Ob eas res & propter Elephantutij orationem, quæ ex ore totius populi & patritiorum emitti videbatur, Bentiuoli tutiore ac honestiore consilio suscepto, necessitati parent: pacatoque agmine cum omnibus impedimentis & clientibus suis vrbe excedunt. Quibus rebus cognitis, Medices legatus Bononiam, vt ibi Rem publicam sicuti sui erat muneris administraret, properè se contulit, & cum singulari omnis generis hominum gratulatione reductis exulibus est receptus. Nec multo post in vrbe Mantua ad constituendam in Italia pacem con-

uentus indicitur. Ibi affuere duces, principumque Legati, & ante alios Matthæus Langus Gurcensis Cardinalis pro Cæsare summæ authoritatis in Italia procurator. Quo præcipuo disceptatore de conditionibus belli & pacis, et de toto iure imperiorum & foederum agebatur. Proinde Legatus Medices eò Julianum fratrem misit: actumque est propensissima omnium voluntate de reducendis Mediceis. Quoniam Florentini, authore Soderino, Lucam Sabellum Alexandrumque Triuultium duces suos cum alis equitum auxilio Gallis misissent. Aderat pro Florentinis Ioannes Victorius Soderini frater, qui negabat id foedus quod cum Ferdinando Rege antiquitus esset, vlla in parte à Florentinis fuisse violatum: abundè id demonstratum esse recenti Rauennati bello, quum Florentini in neutram inclinantes partem, Gallis simul ac Hispanis & com meatum & receptum pari benignitate præbuissent. Nec referre, quòd pro defendenda Insubria ex peculiari foedere Gallis auxilia miserint, quando pari lege eadem Ferdinando Regi pro tuendo regno Neapolitano præbere tenerentur. Sed quum hæc vna maximè pecunia facillè possent expiari, Victorius scientia iuris & æqui potius quàm his artibus instructus, quæ ad tractandas res grauissimas necessariae existimantur, totam spem rei componendæ foedè corruptit, quum dubitanti, auaroque animo tenacius quàm oporteret pecunijs parcendum arbitraretur: nec externis & militariibus ingenijs propter lubricam eorum fidem, vti cautus iuriconsultus vel data pecunia confideret. Itaque dimisso conuentu Florentini hostes iudicantur: Medicique Legato Hispanorum copiæ tribuuntur, quas Cardonius in Bononiensem agrum adduxerat. Iulius ipse pontifex propter memoriam Pisani consilij Soderino infensus, erga Mediceos præclarum studium ostendebat, quanquam Urbinas eius imperator occultis de causis ad eam expeditionem neque tormenta, neque eas equitum alas concesserat, quibus præerant Vitellij & Franciottus Vrsinus Mediceis summa necessitudine coniuncti. Sed illi non impetrato com meatu, desertis alis ad præstandam eo bello operam, cum Legato proficiscuntur. Apennino transeuntibus Hispanis, Ramazottus cohortes suas adiunxit, qui ex montanis bellicosisque hominibus quodam benevolentiae iure potius quàm imperij magnam & peritam locorum multitudinem armare ac educere erat solitus. Pepuli quoque Bononienses patricij quorum in alpibus singularis erat auctoritas, copijs & com meatu, itemque frequentibus operis ad sternendas vias, & iumentis quibus tormenta traherentur, Mediceos liberaliter adiuuabant. Soderinus vbi hostes aduentare certius cognoscit, patricios viros circiter viginti, quos Mediceis fauere arbitratur in curiam vocatos, in custodiam tradit: legatos ad Cardoniū mittit, ei munera amplissima & stipendia militibus pollicetur, ciuitatemque promittit eosdem hostes & amicos habituram, vti ipsi foederati reges ex arbitrio præscripserint, modo ab iniuria abstineant, reiectisque Mediceis præsentem reipublicæ statum minimè conturbent. Interea Prati oppidi incensibus tormenta admouentur, & vicinæ vrbes ad defectionem sollicitantur. Contraxerat in oppidum Lucas Sabellus magnam, sed inconditam armatorum agrestium multitudinem, & oppidi portas pernicioso consilio multa congesta materia glebaque præseperat. At Hispani, quum ægrè murum perforarent, altero præsertim maiore tormento forte perfectao, vixque binis armatis aditus in oppi-

oppidum esset patefactus, ad propugnaculum recondito in sinu scalas admovent: singuli sensim magno et difficili ascensu in murum euadunt: explicatōque vexillo, & alacri clamore edito, duobus propugnatoribus interfectis alios in fugam vertunt. Interim Sabelli milites qui ad perfoſsum murum Hispanis irrupere conantibus haud segniter exquissimo loco repugnabant, vbi supra se hostes in muro discurrentes conspexere, repentino metu consternati; singulari ignauia locū deseruerunt. Ita totus exercitus nullo accepto incommodo, ad cædem & ad prædam celeriter est introductus. Sabellus nequicquam pavidus, & fugientes in aciem cogere conatus, cum paucis in arcem profugit. Cætera omnis agrestium & oppidanorum multitudo, quum effugere obseratis portis nequiret, armaque proijceret, crudeliter ab Hispanis est interfecta, tanta sæuitia in inermem turbam, & ad deorum templa refugientem ferro grassantibus, vt Gallorum et Germanorum crudelitatem ac avaritiam in Brixiana clade superarint: cæsa enim supra quinque milia hominum inermium dicuntur. Legatus tamen flendo, & notos quosque milites deprecando, Iulianusque item frater & Iulius patruelis multos conseruauerunt, quum neque pecuniæ neque periculis vllis parcerent, et sese vulneribus obiectare minimè dubitarent, modò ante omnia matronarum & virginum pudorem aduersus militum libidinem tuerentur. Rebus vti Prati gestæ fuerant, Florentiæ nunciatis, sicuti magnus timor populū inuasit, ita optimates Soderino infensi, animos attollere cœperunt. Porro Soderinus omnes copias intra urbem recipit, senatum aduocat, varijs dictis sententijs, legati iterum ad Cardonium decernuntur, qui hominem ingenti promissa pecunia expugnent. dicebant enim Florentini ex vetere perloquio: Nihil esse satius ac expeditius, quàm durissimis Reipublicæ temporibus vna vel immensa pecunia patriam omni periculo liberare. Cardonius admissis legatis, quanquã erat ingenio ciuili atque eo admodum verecundo, condiciones tamen amplissimas, & proposita præmia ita propensis auribus admittebat, vt illa præclara animorum expugnatrix sacra pecunia, & fidem simul & decus, ipsumque pudorem elidere videretur. Sed Legatum Mediceosque omnes omniū fidem implorantes, Padulius ante alios & Andreas Caraffa, quorum eximia erat authoritas, aperris sermonibus adiuuabant, quum interessè putarēt ad Cæsaris & Ferdinandi regis dignitatem, & totius Italiæ quietem cunctos opprimere, qui Gallorum partes sequerentur. Mediceos enim si reducerent, qui antea à Gallis fuissent expulsi, eos & veteris iniuriæ & præsentis beneficij memoriam animo nunquam esse deposituros. Interea Florentiæ perculso & nutante senatu, Antonius Franciscus Albitius, & Paulus Victorius præstantis animi iuuenes ad Soderinum ascendunt: monent hominem vt dictatura abeat, & Curia excedere velit, nè si pertinacius resistat, & diutius cunctetur, sibi ipsi in primis & ciuitati ad interitum noceat: si id æquo animo & pacato fecerit, neminem ei esse nociturum, ipsosq; præcipuos fore corporis custodes, et quo velit incolumem educturos. Expalluit ad ea verba Soderinus: & quum sibi magnopere timeret, inimicorum consilijs obtemperauit, vt pote qui ciuili prudentia potius quàm præsentia aliquo vehementis animi vigore Rempublicam administrare erat solitus. Terruerant etiam hominem manifesta prodigia quæ ei paulo antè & dictaturæ finem, & afflictis Gallorum

rebus, Reipublicæ commutationem præclare denunciarent. Tacta erat de cælo porta quæ ad Pratum oppidum ducit, fulmenque ita è marmoreis Gallia regum insignibus aurata lilia deterferat, vt in alterius clientelam ciuitas haud dubiè cessura videretur. Lapis quoque ingens qui intra curiæ limen ad primos scalarum gradus ædificij structuram sustinebat, ictu fulminis ita loco est propulsus, vt non turbine violento, sed fabrili artificio dimotus esse crederetur. In summa verò Curia cubiculum ipsius vbi lectus erat, fulmen intrauit, adeo blandè pererrans, vt solam vrnâ feriendo disijceret, qua ciuium nomina ad creando sorte magistratus educebantur. Itaq; Soderinus post decimum dictaturæ annum summa equitate ac innocentia gesta Republica, dum Gallico nomini apertius studet, & despecta nobilitate nimis se popularem ostendit, exutus dignitate Curia educitur: flensq; & salutem sæpe suam ambobus obnixè commendans, in domo Vicij feruatur. Inde non multo post mutato habitu per Vmbriam ad Hadriaticum contendit, conscensoq; nauigio Ragusium in Dalmatiam est profectus. Eodem die Iulianus Medicæ euocantibus amicis, obuiamque eunte Cosmo Pactio Antistite Florentino urbem ingressus, summa totius populi cum acclamatione suscipitur. Templum primò Deiparæ Virginis, quod est religione in vrbe celeberrimum, adit: demum non in Mediceas ædes, sed in Albicianam domum se confert: ibi singulari humanitate & comitate Domini & Magnifici nomen repudiat, sese ciuem omnibus æqualem, atque omnium fratrem esse proficitur. Ad demulcendos verò ciuium animos qui Soderino fauere consueuissent, ne aristocratia protinus induci videretur, Ioannem Baptistam Ridolfum in Republica eximie sapientiæ virum, popularemque & libertatis maxime studiosum, in locum Soderini in annum vexilliferum creant. Ioannes interim Legarus ad templum diui Antonij suburbanum peruenit: effusique sunt ad eum salutandum cuncti ciues, ac ab his demum in paternas ædes est deductus: decimum & octauum post annum, ex quo vi Caroli Octau Galorum regis adnitentibus veteribus inimicis fuerat expulsus.

VITA LEONIS X. LIBERTERTIVS.

MEDICEIS in patriam receptis, & ab his ex ærario stipendio militis persoluto, donatisque ducibus, optimates ad ordinandam Rempublicam consilia atque animos reuocarunt: quoniã Ridolfus cuncta regerat ex amplissima formula status popularis, qui nobilitati singularem contumeliam dictatore Soderino temper attulerat, & omnè Mediceorum authoritatè conuellere videbatur. Itaq; armatus omnis populus de more ad concionem vocatur. Vexillifer Ridolfus cum magistratib. in vestibulum Curia descendit, assensu & clamore populi quindecim viri reipublice constituende, cum nomina præcones recitarent, ex templo creantur: ab his demum septuaginta totius ciuitatis longè grauissimi, & Mediceis amicissimi viri sunt delecti, quorum perpetuo consilio Reipublicæ gubernacula traderentur. Ex eo etenim numero Decemviri, qui belli & pacis, & Octoviri, qui vitæ & necis summam haberent potestatem, creantur.

creantur. Vexilliferatum, vti erat antiquitus, bimestrem tantum fore in posterum decernunt. His constitutis rebus, & cohorte praesidio Curiae imposita, contra vim seditiosorum civium, Iulianus sago deposito, & sumpta civili toga, nihil sese ad principalem fortunam cunctis vna modestia gratissimus efferebat, & Reipublicae munera paterno exemplo sine satellite innocentia fretus obibat. Vix tres elapsi erant menses, quum a nonnullis in caedem Cardinalis & Iuliani conspiratum est. Principes fuere Augustinus Caponius corpore ac ingenio inertis iuuenis, in quo nihil prorsus laudares, praeter familiae nomen, & Petrus Paulus Boscolus honestis quidem literis exornatus, sed iudicio turbidus & leuis, vti his sepe accidit, qui ab exultantia atrabilis insanie proximi, dum praesentia non probant, immoderata & inaudita inani cogitatione persequuntur: dolebat sibi ereptam iri libertatem, quum Rempublicam ad Mediceorum arbitrium recidisse conspiceret: quanquam illi per optimates aequissimos viros cuncta urbana commoda, honores & magistratus inter omnium classium ciues aequo ordine partirentur. Boscolus Bruti virtutem & gloriam ferebat in caelum, seque Brutum fore testabatur, si sibi fidum magni consilij participem Cassium reperiret. Nec mora, Caponius, qui multa a Boscolo ex Historijs de Cassio praecleara audierat, libenter in eius nomen est adoptatus. Sed quum de tempore & loco caedis ageretur, deque adsciscendis socijs, quorum praesidio tuti atque defensi negotium conficerent, forte Caponio intranti Pucianam domum, syngrapha sinu decidit, in qua breuiter erant annotata nomina amicorum, qui idonei ad id patrandum facinus viderentur. Ea syngrapha beneficio Deorum collecta, & per Coctium Senensem delata ad Mediceos, periculum depulit. Captus namque Caponius, quum in tormentis egregie tacuisset, prolata demum syngrapha, nequaquam inficiatus manum cuncta propalauit. Eadem confessus est & ipse Boscolus, qui Nicolaum Valorium insignem ciuem nominarat, atque ita de ambobus supplicium sumptum. Valorius autem in Volaterranam turrem est relegatus: quonia, tametsi Boscolum de tam nefario consilio insano fremitu proloquentem saepe vti insanum castigarat, nihil tamen, vti optimus ciuis debebat, ad magistratus de ea re detulisset. Iisdem ferè diebus, quibus ea coniuratio feliciter est oppressa, Iulius Pontifex, re pontificia ad summam auctoritatem perducta, ex leui, sed tenaci febricula fluente sensim aluo moritur. Cuius morte nunciata Ioannes Cardinalis lectica vectus, propter innatum ab ima sede abscessum, Romam modicis itineribus ad Comitiam contendit. Tanto autem populi studio postremus omnium conclauis est ingressus, vt proculdubio constanti omnium salutantium omine Pontifex euasurus esse crederetur. auxerat eius spei famam, Erasmus Germanus subtilissimus Mathematicus, qui pridie quam Medices urbem intraret, in corona nobilium neminem fore Pontificem ex his Cardinalibus qui in Vrbe essent audacissime praedicarat. Ferebant etiam Marsilium Ficinum, qui eximia auctoritatis fuisset astrologus, ex fortunata & regia genesi, ei sacrorum principatum, quum adhuc esset puer, nec plane sacris initiatus, omnino detulisse. Caeterum vbi in conclauis statim est receptus in partes suas sibi iam pridem conciliatos iuniores Cardinales pertraxit. Erant ij regijs ac illustribus maxime familijs nati, aetate opibusque florentes, & in primis Ludouicus Aragonius, Sigismundus

Gonzaga, Marcus Cornelius, & Alfonsus Petruccius : quibus accesserant Bendinellus Saulius, & Matthæus Sedunensis : multi etiam ex Senioribus ea lege suffragia promittebant, ut & ipsi quum exirent candidati, paribus suffragiis iuuarentur. Erat tum Senatus princeps Raphael Riarius, qui ætatis honore, sacerdotiis atque opibus cæteros omnes anteibat, quanquam ei deerant literæ, atque eæ virtutes, quæ multo luculentius quàm ipsæ diuitiæ honestum sacerdotem ad Christianam laudem exornant. Is in magnam spem adipiscendi pontificatus ab aura populari, & tot circumfusis adulatoribus facile peruenerat. Sed eum ambientem, & singulos prehensantem, quum ipsi iuniores eludebant, qui Ioanni candidato paratis firmisque suffragiis præstò aderant, tum etiam ei seniores plerunque fidem fallebant, quum quisque spes suas aleret, & priuatis rationibus compositis, ad summi fastigii fortunam enitendum arbitraretur. Petebant cum fermè omnes, uti quisque erat aut studio principum, aut vrbana gratia, aut opibus, & doctrina maximè conspicuus. Ita dum quisque Senior antè omnia sibi vni præcipuè studet, & cunctatius alijs suffragatur, Ioannem iuniores pontificem efficiunt, qui rei Christianæ imperium dare potius quàm accipere vna perpetua consensione decreuerant. Accessit ad eum ante alios Franciscus Soderinus, qui uti erat inimicus admodum capitalis propter Petrum fratrem Florètia pulsum, ab initio eum omnibus adhibitis machinis oppugnarat, moxque perspecta iuniorum constantia, uti cautissimus senex in gratiam opportunè redierat. Accessit & ipse Raphael, & cæteri demum omnes adeo sedatis propensisque animis, ut nequaquam simulanter effusè lætarentur, quod eum Pontificem legitimis, & longè simplicissimis comitijs creassent, qui nobilitate familiæ, inorum grauitate, exquisitisque literis, & singulari naturæ lenitate, non cardinales modò, sed cunctos ferè mortales anteiret. Fuere qui existimarent vel ob id seniores ad ferenda suffragia facilius accessisse, quod pridie disrupto eo abcessu, qui sedem occuparat, tanto foetore ex profuente sania totum comitium impleuisset, ut tanquam à mortifera tabe infectus, non diu superuicturus esse vel medicorum testimonio crederetur. Cunctis ad pedis osculum procumbentibus.

LEONIS Decimi nomen sibi desumpsit, utpote qui propter innatam excelso regioque animo clementiæ virtutem, non expresso quidem titulo, sed erudita allusione Magnanimi cognomentum affectaret, duorum superiorum secutus exemplum, quibus Alexandri & Iulij augustissima nomina placuissent. Non defuere qui dicerent, Claricem matrem pleno iam vtero leonem ingentis magnitudinis, & miræ lenitatis in Reparata templo Florentiæ omnium maximo se parere sine gemitu somniasse. Quod postea somnium ex fabulis nutricum quum puerorum ingenijs inhæsisset, accipiendo nomini causam haud dubiè præbuerit. Neque Leo mox homines fefellit, quum Petrū Soderinū è Ragusio in vrbem euocasset, eoque summo cum honore suscepto, Contesinæ sororis filio Aloisio Ridolfo ex Soderini fratre filiam in matrimonio collocasset. Pepercit & ipsi Valorio, quem properè Volaterrano carcere eductum libertati patriæque restituit: haud dubiè Caponio etiam, & Boscolo veniam daturus, nisi paulo antè Octouirali iudicio damnati perisissent. Eandem quoque animi magnitudinem & clementiam erga Caruaialem & Sanseuerinum pseudocardinales protinus ostendit: qui,

quum

quum audita morte Pontificis è Gallia Romam ad comitia peruolarent, nauigio in portum Pisani delati, atque ibi retenti in libera custodia fuerant, ne qui modo tantas turbas conciuissent, nouis altercationibus quieta comitia perturbarent. Eos enim Iulius iusta hercle ira præferuidus iam Senatu mortuos, omniq̃ue prærogatiua suffragij & Galeri dignitate penitus exutos, quòd Concilium aduersus se concitatis Regibus indixissent, si qua forte eos caperet, in Campo Floræ tanquam scelestos & impios concremare decreuerat. Itaque Romam perductis, & in Senatu sine purpuræ insignibus suppliciter veniam petentibus facile ignouit, pristinumq̃ue eis honorem & sacerdotia restituit, quum acta Pisani & Mediolanensis & Lugdunensis concilij penitus abrogassent, Lateranensiq̃ue concilium ut legitimum & iure optimo indictum solenni assensione comprobarent. Leo etenim ante omnia Iulij consilia isdem propè uestigijs subsequutus, concilium in Laterano ceptum, multis de causis celebrandum perficiendumq̃ue esse iudicabat, ut saluberrimis scilicet decretis constituta republica Christiana, omnis schismatis seditionisque materia tolleretur. Coronatus est Leo Pontifex ad Lateranum trigesimo die post creationem, qui fuit Aprilis vndecimus, Rauennate clade infaustus, ut conuerso omine ab tanta priuata lætitia & publica hilaritate ex atro longè omnium candidissimus redderetur. Vectus est etiam in pompa illo eodem equo Thracio, in quo ad Rauennam captus fuerat, quem ab hostibus pecunia redemptum ita adamauit, ut postea vsque ad extremam senectutem summa cum indulgentia alendum curarit. Fuit autem is dies omnium qui à Gothicis temporibus Romanæ vrbi felicius illuxerint, longè clarissimus: nunquam enim vllum vel ampliore vel ornatiore hominum concursu spectaculum celebratum fuisse, vel legendo, vel audiendo meminerant. Protectæ erant aulæis regiones, ridebant ianuæ ciuium festa fronde & floribus, fenestræ strata tapetibus ornabantur: in omnibus biuijs triumphales arcus occurrebant, ad veteris Romanæ magnitudinis exemplum picturis & statuis mirum in modum exornati: Cardinalium & antistitum comitatus vsque ad humiliora seruitia serico & purpura, multoq̃ue item auro præfulgebat: ipsi Cardinales sacras aureas & pictas induti vestes militaribus equis vehebantur. Prætulit Romanæ Ecclesiæ vexillum Alfonso ipse Ferrariæ Princeps, qui ad componendam controuersiam, & ad præstandum officium benignis literis actitus aduenerat. Affuit & Franciscus Vrbinas Urbis præfectus. Rhodiæ verò militiæ vexillum armatus detulit Iulius Medices, ita ut quum neque ipse, neque vllus omnino vel sapiens crederet, in tanta Senatorum turba, quòd in abditis factis erat, eum mox Romæ regnaturum: & fortè ea die coronationis ad felix augurium mortuo Pactio Cosmo, antistes Florentinus vixdum exutis armis est effectus. Sparsa est à quæstoribus per omnes regiones larga manu aurea argenteaq̃ue pecunia, tanta Leonis liberalitate, ut ipsi centum milibus aureis eam pompam Pontifici constituisse faterentur. Coemit mox à Maximiliano Cæsare amplius triginta milibus aureis Mutinam urbem, ut in moriens paulo antè Iulius faciundum esse monuerat: Vide frustrumq̃ue arcis præfectum auari & peruicacis ingenij hominem Germanum, qui Cæsaris iussis nequaquam parebat, per Rangonos vi ac insidijs circumuentum expulit. Adiecit demum curam omnem componendis regum controuersijs,

quum legatos vndique in omnes prouincias emisisset. Sed tanta mole Gallis vndiq; concitatum erat bellum, vt neque tot nauales & terrestres apparatus summa suscepti impensa facile retardari, neq; dira illa flamma iratis regum animis diu concepta vllis vel sanctissimis precibus restingui posse videretur. Ferdinandus paulo antè Ioannem Nauarræ regē Cantabria expulerat, redeuntemq; cum magnis Gallorum auxilijs, & Pompelonem regiam vrbem opgnantem iterum superarat, fremente Ludouico qui eum regem sibi affinem, & in clientelam a Galliæ regibus antiquitus receptum omnino reducendum esse censuerat. Britanni quoq; interea duce Dorsetio Aquitaniam qua Cantabriæ iungitur ad Fontemravidum exposito exercitu terra mariq; effuse vastauerant, Galliæ & Britanni ambustis vtrinque excelsis aliquot nauibus mari sæpe contenderant. Ludouicus ipse expeditionem in Italiam audita morte pontificis impigrè parabat: ab Henrico magni exercitus, ingentes classes, vt ipse in Galliam trañceret, effusis paternis thesauris ornabatur. Contra Iacobus Scotia rex a Gallo pecunia inductus, ita copias parabat, vt discedente Henrico totius Britannia regnum inuaderet. Ante alia Venetià Socijs impudentissimè decepti, exclusi Brixia, & contra ius & æquum, & recentis scæderis leges omnib. iniurijs exagitati, ad Gallum recurrerant, cum eo qui ex hostibus ipsorum nomini insensibilissimus extitisset, scædus perculserant. Quib. de causis LEON quū nihil sibi vel tutius, vel honestius esse posset, Iulianū scædus seruare, et eodem socios quos ille habuisset, adiuuare constituit, ne si medijs inter disidentes intempestiuæq; pacis arbiter esse vellet, & à victis pariter & à victorib. ab vtriusq; despectus, non modò odium & incommodum, sed singularem etiam infamiam pararet. His iniurijs, susceptisq; consilijs ad prouehenda demum exornandaq; optimarum literarum studia longè omnium liberalissimè animū conuertit: qua vna peculiari laude Cosmus proauus & pater Laurentius priuatis viris potius quam principibus fortuna similes, summam sibi & posteris claritatē peperissent. Ante omnia ab epistolis singulari iudicio sibi desumpsit Petrū Bembum, & Iacobū Sadoletum, qui cæteros omnes literatos Romæ eloquentiæ laudib. anteibant. Vaticanæ verò bibliothecæ Beroaldum iunior rem præfecit, in scribendis Odis Horatiana iucunditate præcellentem. Gymnasium verò accitis vndiq; grauissimarum artium professorib. ita instaurauit, vt neque Bononiensi, neq; Patauino, vel doctorum præstantia, vel auditorū concursu concedere videretur. August. Suesanus philosophiam, & Christophorus Aretinus medicinam profitebantur. Hieronymus Butigella iuris scientiam docebat. In humanioribus studijs eruditione, stylo & eloquentia Parrhasius Cosentinus erat insignis. In Græcis literis eminebat Basilus Calchondyles, eius Demetrii filius, qui ipsius Pontificis in adolescentia fuerat præceptor. Singulos verò vel mediocris etiam nominis poetas, & exquisitis nobilioribusq; artibus instructos tanta benignitate suscipiebat, vt omnes iam excitatis animis ad excolenda literarum studia vehementer accenderentur, quum ab tanto armorum strepitu, quo neglectis literis Iulij aures magnopere gaudebant, tandem virtuti locus patefactus esse videretur. Qua spe felicissimè concepta, ab eruditis id carmen in arcu triumphali ad Hadriani pontem est inscriptum, quo superiorum Pontificum mores cum Leonis laude lepidissimè norabantur:

Olim

*Olim habuit Cypris sua tempora, tempora Mauors
Olim habuit, sua nunc tempora Pallas habet.*

In eo quoque arcu, qui erat ad biuium viæ triumphalis, præclarissimo totius populi studio, & hoc eximie grauitatis & gratiæ carmen cubitalibus literis fuit incriptum:

*Vota deum Leo vt absoluas, hominumque secundes,
Vive piè, vt solitus, viue diu, vt meritus.*

Florebat enim tum Roma præstantibus ingenijs, copia incredibili rerum omnium, & à clementiore cælo inuitata aeris salubritate, ita vt Leo tantæ virtutis, ac amplitudinis pontifex, auream ætatem post multa sæcula condidisse diceretur. Interea dum inuito statim Pontificatu enixè dat operam, vt inter discordes Europe reges in spem pacis induci fierent: Ludouicus aduersus Maximilianum Sfortiam exercitum omni bellico apparatu abunde instructum in Italiam misit. Is enim qui regio militariq; animo indomitos spiritus gerebat, sese Neapoli, Mediolano, Genuaque fœdè pulsū ferre non poterat, adeoque vehementi repetendæ Italiæ desiderio erat concitatus, vt Cantabriam dudū Hispanorum armis occupatam Ferdinando concedere, & Venetis iusto fœdere Cremonam polliceri minimè dubitaret: contulerant enim sese Veneti ad Galliæ Regis amicitiam indignitate contumeliæ accensi, quòd post eiectos Gallos Brixia impudenter ab Hispanis intercepta, sibi ex fœdere minimè redderetur. Ferdinandus quoque vel ob id qd fortè infirma erat valetudine, Cantabrici regni possessionem omni infamiæ, quæ sibi à socijs conflaretur, præferendam iudicarat: vt pote qui felici prudentia omnes consilij rationes, vna maximè præsentis vtilitate metiri erat solitus. Verum non defuere, qui crederent, Ferdinandum non tam cupiditate retinendæ Cantabrig, quam amittendi Neapolitani regni metu adductum, eas occultè inducias cum Gallo pepigisse, quoniam accepisset Iulium Pontificem liberiore voce frementem comminantemque iactare solitum, se nunquam animo conquieturum, donec expulsis omnibus Barbaris, qui aliena impotenter occuparent, Italiæ liberator vero inde parto cognomine, dici mereretur. Itaque LEO postquam assiduas christianæ pietatis cohortationes minus sanis auribus vndique recipi animaduertit, quanquam paci quietique studere maximè decorum putabat, suæ tamen dignitatis est arbitratus Iuliani fœderis rationes tueri, speciosaque & moderata imitatione studium suum proferre, vt qui Gallis erant hostes, animos minimè desponderent: nec Gallis suis viribus & Venetorum amicitia præpotentes, in dubia præsertim belli fortuna, acerbius quàm deceret, offendî viderentur. Quam ob rem implorantibus opem Sfortianis, quum pecunia maximè indigerent, viginti quinque milia aureorum nummum Morono Legato dinumerat, quibus Nouariam citato itinere cõportatis, opportunè militi stipendia persoluuntur. Eò se tum cõtulerat Maximilianus cum octo milibus Heluetiorum, vnam spem, atq; eam quidè exiguam ancipiti euentu in Heluetiorum animis reponens. Siquidem illi ijdem campi, atq; illi ijdem Triuultius atque Tramulius, vti fatales belli duces spectabantur, qui perfidie Heluetig & paternæ calamitatis memoriã ad animum extremasus pensum cura reuocabant. Aderant quoque secum eadem signa, atque ijdem ferme centuriones, eorum maximè pagorum, qui eius facti ignominia quondam notati, veteranorum

Italorum digitis & nutibus tacitè monstrabantur. Adhæc mala Sacramorus quoque Vicecomes, qui Mediolani obsidendæ arci erat prepositus, perfidiosa leuitate cum ala equitum ad Gallos transfugerat: regressusque Mediolanum omni militari presidio nudatum, peruicerat apud ciues, vt in Gallorum verba iuraretur. Liuianus quoque adducto Venetorum exercitu, Cremonæ partim metu, partim egregia popularium voluntate fuerat receptus. Erant Cardonius atque Piscarius in quibus summa spes sustinendi belli collocari debuerat, certiores de inducijs facti, nihil se vel in hanc vel in illam partem ab statis ad Trebiam castris commouebant. Iam aliquot diebus Tramulius pro lato tormentorum apparatu adeo vehementer mœnia quassauerat, vt late prostratis ad apertisq̃ mœnibus Heluetiæ legiones in statione conspicerentur, quæ nunquam adduci potuerant, vt portam clauderent, ipsis etiam hostium castris oppositam, tantaque superbis eorum ingenijs innata erat de Gallorum gente contemptio, vt vltro etiam prouocarent, irriderentque hostes, quod tantum inanis operæ frustra suscepissent, vt aditus in urbem pararetur, quando ad apertis portis ad iustam dimicationem fortibus viris, si animus suppeteret, esset irrumpendum. At Gallorū duces, ne periclitando vires cum peruicacissima gente exploratam ab optima cunctandi ratione victoriam in discrimen adducerent, reductis silentio castris, ad secundum lapidem recesserunt: vel ob id etiam, quoniam Altosaxum cum recentibus auxilijs Comensi via aduentare cognouerant. Is superiore anno quum Galli Cisalpina Gallia pellerentur, Heluetiorum fuerat imperator, vir ingenti animo corporeque, multis in locis bellicæ virtutis gloriam consequutus. Eodem quoque tempore Heluetij de Altosaxi auxiliorumque aduentu certiores fiunt: coguntur in consilium cœturiones atque signiferi: disputatur varijs sententijs, an excipienda sint auxilia occurrendo cum expeditis cohortibus eodem itinere, ne à Gallico equitatu in patentibus campis opprimantur. Tum verò Mottinus inter Helueticos duces animi promptitudine militiæque peritia insignis, de inuadendis hostibus differere cœpit, quasi Altosaxi gloriæ inuideret, ad quem opportunissimè auxiliorum superuentu, seruatorum fratrum, atque instauratæ, & excitatæ spei ad certam victoriam fama omnino inclinatura videretur: Quid cunctamur, inquit, commilitones, in hac parum decora deliberatione? quasi toties victos, & nihil tale timentes, si in eos diluculo erumpamus, minimè simus deleturi? Perrumpemus hercle, & cuncta obuia sternemus: dum ambigunt, & consultant, an Altosaxo sit occurrendum, vel manendum in castris, quæ vt nullo metu, exiguoque temporis spacio minimè munerint: præstabo me huius periculi facile principē, ne consilium ab audaciâ potius quam à virtute sumptum putetis: & meo certè ductu nihil cum auxilijs communicata laude, victoriam nobilem, atque opulentam referetis. Nec mora, centuriones fermè omnes feruidis, & alacrib. ingenijs sublata manu Mottino fauent: plerique etiam eo ardentius quo veteris ignominia notam proditi ante tredecim annos Ludouici aliquo fideli illustri que facinore delere cupiebant. Itaque de tertia vigilia triplici agmine, sine equite, sine tormentis, summo silentio irrumpunt, à tribus locis vno simul tempore Gallica castra adoriuntur, semijnstructas acies peditum atque equitum prosternunt, Germanos ægrè, fortiter tamen & mutua quidem cum cæde superant. Nec Tramulius atque

que Triuultius inuicti antea duces, quicquam virtute vel consilio valent, quum & subitus hostium incursus, & foeda fugæ facies, & conturbata diuersis in locis castra, omnem vel constantis iudicij vim, vel ferendæ opis spacium inter dissonos morientium clamores eriperent. Heluetij cæso latè peditatu, & equitatu vndique pulso, tormentis & castris puncto temporis potiuntur. Cecidere ad decem milia hostium, & in his viri insignes Monfalco Gallus equitum præfectus, Aloisius Bemontius Hispanus qui cohortes ductabat, Alexius Busichia leuis armaturæ equestris dux nobilis. Nec ea victoria apud Heluetios, quanquam longè omnium nobilissima, luctu caruit. Nam mediū agmen à tormentis magnum acceperat detrimentum. Atque ipse ante alios Mottinus colubrinæ pila discerptus interierat. Ipsi quoque Germanorum præfecti Floranges atque Gemesius, cum strati multis acceptis vulneribus iacerent, accursu Roberti Sedani patris, qui cum insigni cataphractorum turma in victorum & cædentium coronam penetrarat, haudubiè seruati sunt. Hæc audita de Gallis victoria, Leo pontifex aliquanto præclarius studium suum proferre cœpit, egitque cum Raymundo Cardonio, vt Octavianus Fregosius Genuam reduceretur: quoniam Adurnij Fliscique Iano Fregosio paulo antè pulso, Gallorum signa ac imperia sequebantur. Substitit Raymundus ad Trebiam neque satis conspicuus Gallorum hostis, neque syncerus aut utilis Sfortianorum socius, cum varias nectendo moræ causas id vnum contenderet, vt induciæ tantisper aliqua vel inani dissimulatione tegerentur, dum Fortuna huc aut illuc proclinata belli successum aperiret. Itaque Leone singulari studio cohortante, atque omni ope contendente, Raymundus & Piscarius in Ligures expeditionem susceperunt, paucisque diebus Octavianus sine vulnere Genuam introductus. Nam Hieronymus Adurnius & Otthobonus Fliscus summæ æquitatis atque virtutis homines, deprecantibus ciuibus ne patriam in discrimen adducerent, & villas sumptuosæ amœnitatis exuriparentur, ciuili potius quam militari quæsitæ laude, sponte abierant. Octavianus assumpto ducis nomine, imperataque ciuibus pecunia, trium mensium Hispanis stipendium persoluit, & ad obsidendas terra marique arces consilia omnia viresque conuertit. Hispani vero adiunctis sibi Germanorum copijs ad euastandam Veneriam sunt profecti quibus ex fœdere pontifex Troilum Sabellum Mutiumque Columnam & Vrsinum Mognanum cum aliquot equitum alis addiderat. Interea Henricus Britannia rex & Maximilianus Cæsar ingens bellum in Belgio Gallis intulerunt. Traiecerat Henricus iuuenili alacritate ad decus bellicæ laudis vehementer in flammatus supra centum milia Britannorum adducens, vt quæ maiorum suorum ditionis quondam fuissent, armis repeteret, ab eo præsertim qui sacrosanctum pontificem impijs armis vexauisset. Is enim suscepti ante belli fuerat prætextus, nobilissimoque inde parto cognomine, pontificiæ libertatis assertor atque defensor appellari & scribi in literis magnopere gaudebat. Addiderat Maximilianus Germanorum legiones & validam Belgarum equitum manum. obsidebatur trinis castris Teruanna Morinorum, & vehementissimis tormentis oppugnabatur, cum Galli ingenti coacto equitatu, vt commeatum obsessis importarent, occasionem conferendo præbuerunt. Itaque ad Ghingatam vicum inita est pugna non cæde, sed insigni ac maxime

specioso equitum concursu memorabilis: nam vtrunque veteranae atque amplissimae alae strenuicq; duces in eosdem fortè campos erant perducti, in queis multis ante annis Gallos, Aloisio XI. bellum gerente, Maximilianus tum penè puer ingenti praelio superasset. Non tulit impetum tantae impressiois Gallicus equitatus, tametsi ab initio egregiè concurrerat. Nam & Henricus cum viginti millibus sagittariorum, et Maximilianus cum robore legionum aduentabant. Itaque eadem loci fortuna propellente, Galli in foedam atque praecipitem fugam acti, adeò vt nusquam minore cum incommodo, vel maiore cum ignominia conflixerint: Captus est ante alios Rothelinus nobilissimus dux. Nec multo post Teruanna desperatis auxilijs Britanno cessit, copiaeque ad oppugnandum Tornacum, quae est vrbs amplissima Neruorum sunt perductae. Dum haec in Belgis fiunt, Iacobus rex Scotorum, naturali odio & pecunia maximè Gallica impulsus, dum sperat se totius insulae Britanniae regem futurum, parum decoro ac exitiali consilio, absentem Henrico bellum intulit. Fuerat relictus ab Henrico in tutelam regni Surreius regulus fide & virtute bellica insignis. Is Iacobo populanti Angliae fines ad Tuedum amnem occurrit. Certatum est maioribus quam vnquam antea odijs, viribus verò longè maximis: nam pro gloria, pro salute, pro totius insulae imperio remotissimae vtrunque gentes excitae, ad enatum repente bellum summa festinatione concurrerant. Scotorum acies tota pedestris fuit: nam Iacobus fatali quadam audacia, vt nullam spem salutis in fuga suis relinqueret, ipse primus omisso equo pedes in acie constitit, Surreius contra, vtrunque alas equitum cornibus suis adiecit. Non tulere Scotorum hastatae phalanges sagittarum vim, quae ab hoste ingentibus ligneis arcubus excussae, armatos pariter atque inermes vulnerabant. Confixus est & sagitta rex ipse, ferreo gutturali facile penetrato, quo cadente, Scoti maiore animorum periuicacia, quam bellica fortitudine dimicantes, caesi superatiq; sunt. Nam & hastati Angli pedem Haruardo duce Surrei filio in perturbatos intulerunt, & Dacreus equitatu praefectus, circumductis turmis fusorum & in fugam spectantium magnum numerum occidit. Periere cum rege decora animorum obstinatione repugnantes, Huntleius, Crafordius, & Monterosius nobiliss. duces. Ea nunciata clades Ludouicum, quanquam animo infractum, magnopere conterruit. Nam tametsi opulentiss. regni facultates alendo bello abundè sufficerent, singulari tamen curaangebatur, quòd pedite careret. Nam vetere Gallorum instituto in vno equitatu summam gloriam, repudiata pedestri militia, reponebant, vtpote qui conductitio vel Germano, vel Heluetio pedite omnibus bellis vti consueuissent: quorum alteri Henrici Maximilianique stipendijs praecipati essent, alteri iam ex professo Gallorum hostes, foederatiq; cum Hispanis atque pontifice in Heduos penetrarunt, vt eam Burgundiae partem, quae quondam Caroli Belgarum principis fuerat, in potestatem redigerent, aditusque facillimus occupatis montium claustris pararetur ad inuadendam interiorem Galliam, vnde praeda omnis generis & spolia amplissima peterentur. Itaque Ludouicus multiplici rerum suarum periculo magnopere commoueri, saepe aestuare animo consilioque, arbitrari ante omnia sibi diuinitus ea infligi vuluera, & alias super alias parari clades, quòd sacrosanctum pontificem diro consilio atque impijs armis fuisset persecutus. Caeterum id bellum
opinionè

opiniohe omnium faciliorem exitum habuisse est visum: Tramulius namque, qui ab Italia pulsus in Heduos cum tumultuarijs copijs adcurrerat, vt arces aditusque præsidijs firmaret, quum viribus impar tantam Heluetiorum multitudinem sustinere non posset, eos impetrata pace in patriam represit, ita vt vel iniquis & maximè pudendis conditionibus eam parare ex vsu præsentis necessitatis minimè sibi indecorum fore arbitraretur. tot enim tantaque præmia iam intra Galliæ fines effusis & toties victoribus largiss. sponcione pollicitus, quanta nec deuicto rege, subactaque Gallia referri aut sperari posse viderentur, non ignarus Ludouicum nihil earum rerum depulso periculo præstiturum. Hac astuta fallacique pacto Heluetijs deceptis, ipsiq; in patriã redeuntibus Ludouicus in Belgico ea ratione bellum gessit, vt obsessa ab hostibus Tornaco nobilissima Neruorum vrbe, nihil sibi commodius fore existimaret, quàm seruare atque augere copias, cunctari in proximis locis, nullam prælio occasionem dare. inclinabat enim se autumnus illis in regionibus, hyemi quàm æstati similior, nec differri poterat in Britanniam traiectus, quoniam vergente in brumam tempore grauior in dies & sæuior Oceanus esse consuesset. Itaque Britanni, quum nemo Gallis opem ferret, Tornaco potiti, iam læto duplici victoria Rege, relictis præsidijs ad tuendas vrbes, in Britanniam redierunt. Per eos quoque dies Venetis tanquam Gallorum focij ad Vicentiam clades est illata. Processerant Cardonius & Prosper Columna vastabundi vsque in proximum Venetjs littus, nusquam prodeunte in aciem Veneto duce, ita vt à Margario aggere pilæ tormentis maioribus emissæ ad ipsam vsque urbem peruenirent. Non tulit ignominiam Liuianus, quum exuri latè agros barbara feritate conspiceret. Nam Germani præsertim Hispanique nec nobilissimis quidem villis parcebant. Eos ergo omnis generis præda onustos ex obliquo adortus, præcis vndique itineribus ita conterruit, vt deserere impedimenta, & metu summæ cladis per abrutos montes Veronam euadere cogitarent. Sed Liuianus ingenio ferox atque præperus, dum abeuntes intemperantius persequeretur, adeo incautè ac infeliciter confligit, vt quum vix primam Germanorum ac Hispanorum impressiõnẽ, obuertente aciem Piscario, Veneti pedites sustinerent, totus exercitus fœde perturbatus cæsusque sit. Periere in receptu parum decoro vel dum fugam suorum sisterent, illustres alarum duces numero septem, & in his antè alios Sacramorus Vicecomes, quem defecisse ad Gallos docuimus, & Hermes Bètiuolus: præterea cohortium præfecti signiferique insignes viginti tres: cecidit & lixæ manu confossus Andreas Lauredanus legatus. Paulum verò Baileonum prolapsum in palustrem locum mitior fortuna hosti captiuum præbuit. Ipse quoque Liuianus tranato Meduaco amne, in cuius vorticibus plerique tentato infeliciter vado perierant, celeriter pugna elapsus Patauium peruenit. Ea clades eo grauior Venetis & luctuosior fuit, quòd paucorum dierum interuallo ad Nouariam, & in Belgio Britanniaque aduerso partium successu dimicatũ fuisse didicerant, nec iam habebant vnde copias repararēt, tot præsertim equitibus cataphractis, & tot ducibus veteranis in vnus maxime prælii calamitate amissis. His cognitis rebus Leo pontifex, tametsi eam cladem Venetis, quòd Gallos in Italiam euocassent, merito accidisse prædicabat, nihil tamẽ ea victoria lætabatur. Dolebat enim Italico nomini certum

exitium, certamque ignominiam externorum armis parari: ob id secreto Venetos per Franciscum Foscarum legatum hortabatur, ne animo deficerent, suamque pristinam infractae virtutis atque constantiae existimationem tueri vellent: se etenim nunquam hostem futurum ipsorum reip. quam minimè prostratam, sed integram & florentem videre concuperet. Quod auxilia aduersus eos misisset, id esse datum Iulianis foederibus, & recentibus ipsorum consilijs, quibus euocandos in Italiam Gallos censuissent, quorum aduentu turbati sperata pax & diuina humanaque rerum confusione permisceri viderentur. Ad hanc sinceri animi voluntatem facta addidit, quibus singulari collato beneficio Veneti iuuabantur. Nam vir iudicio longè grauissimo ita partibus studendum arbitrabatur, ut eum publici decoris Italicæque dignitatis nunquam obliuisci, vel inimici etiam præclare perspicerent. Sub idem tempus magno assensu atque ambitione populi Romani Iulianus Leonis frater romana ciuitate donatus est: editique sunt in eius honorem ludi scenici, temporario theatro in area Capitolina extracto, vbi per biduum summa celebritate actus est Plautinus Pœnulus, variaque subinde poemata iucundissimi argumenti per ingenuos summæ nobilitatis elegantissimè decantata, adeo exquisito atque opulento rerum omnium apparatu, ut antiqua aurei seculi felicitas, ipsius Pontificis erudita liberalitate reuocata videretur. Ad referendam verò gratiam eximij sumptuosique erga se studij, vectigal salis immiuit, amplificataque triumuirali conseruatorum Urbis potestate, præmijs ac immunitatibus publicè priuateque Romanos est prosecutus: quamobrè solenni decreto omnium ordinum populus ad testificandum gratissimi animi studium, marmoream statuam in Capitolio dedicari cum hac inscriptione: Optimi liberalissimique Pontificis memoriae. S. P. Q. R. Per eos quoque dies Iulium patruem, Innocentium Cibo, Laurentium Puccium, & Bernardum Bibiennam in Cardinalium Senatum cooptauit. Primum galerum quem ipse gestasset, sanguini atque familiæ tribuit, quasi diuino ingenio iam prælagiret, qualis quantusque in republica Christiana esset futurus, quem suo fatali pileo dignissimum iudicasset. Secundus Magdalensæ forori, quæ Innocentij mater erat, datus est: atque Innocentij Octauo pontificis memoriae, cui initium summæ dignitatis acceptum referebat. Tertium virtus, ætatisque honor, & egregia in primis fides, quæ in Puccio in omni fortuna semper effloruit, promerere: eius etenim Ianoctij frater fuerat, quem Florentiæ securi percussum fuisse supra meminimus. Quartus in Bibienna perpetui laboriosique obsequij, & fidelis industria iucundæque familiaritatis præmium fuit. Nec multo post Iuliano fratri in spem sobolis Philiberta Caroli Allobrogum principis soror matrimonio iuncta, quam demum uti sine dote expetitam, vltro regijs exornatam muneribus præmisso ad Nicæam insigni comitatu, Romam acciuit. Laurentius verò Petri Medicis qui in Lyræ amne periit filius, Florentinæ Reipublicæ est præpositus. Existimabatur enim Pontifex, diuisis honoribus, & constituta domo, ita suis & Mediceo nomini prouidendum, ut non magnopere in posterum fortunæ vis suspectanda videretur. Eadem hyeme quæ secuta est, cohortante vndique per legatos Leone pontifice, inter Gallos & Britannos bellum esse desijt, breuique ab inducijs pax quæsitâ autore Rotelino, qui in libera custodia Londini seruabatur. Deces

tur. Decefferat paulo antè Anna regina, summæ religionis & castimonie mulier: itaque cœlibi Ludouico supra solemne pacis ac amicitiaæ fœdus, Maria Henrici regis soror eximia venustatis virgo despondetur. Qua in Galliam perducta, Ludouicus incredibili sumptu, & miraludorum varietate nuptias celebravit. Sed dum ætatis & valetudinis quæ ei tum erat tenuissima penè oblitus, intemperantius (vt ferunt) procreandis liberis operam daret, concepta edaci febricula non multo post dies interijt. Statimque ei suffectus est Franciscus gener, qui ætate, ingenio, formaque, vel præter regium nomen totius Galliaë iuuenum longè florentissimus habebatur. Is acceptis imperij insignibus, ingenti animo expeditionem in Italiam suscepit, destinatam paratamque antea à Ludouico, qui moriens amplissimas copias omni bellico apparatu instructas, obuertasque ad Alpium iter opportunè reliquerat. Euocabant Gallos Veneti in primis, vt Brixiam Veronamque reciperent: atque item Octavianus Fregosius, qui clam percusso cum Francisco fœdere a veteribus amicis fœderatisque discesserat, iustis certè & grauibus de causis, vti ipse prædicabat, verùm nequaquam grato, aut fideli, ingenio, si Leonem qui cuncta detulerat, respiceret, quem diu per legatos & literas monentem, ne flagitiosè deficeret, proluxa dissimulatione fuerat ludificatus. Itaque Liguribus & Venetis, vt aduentantes Gallos exciperent, arma paratibus, Leo cum socijs regibus coit: fœdus renouat: exercitum ex delectu fortissimarum Italiaë gentium cogit: profitetur, se Mediolanensis imperij defensorem, vel ob id maximè inductus, quoniam Heluetij flagrantissimo studio, decretoque publico, non iam vti mercede conducti, sed planè propter concepta odia, tanquam veri Gallorum hostes, propulsandi belli negocium susceperant. Prouidebat quoque acutissimus Pontifex, si Gallus in subrum imperio potiretur, nequaquam futurum, vt Galli ab ipsa præsertim victoria insolentes, à Placentia, Parmaque abstinerent, quas vrbes ab reliqua Sfortianorum ditioe interfluente Pado abscissas, Iulius pontificiaë ditioe, pulsas Italia Gallis, adiecisset. Verebaturque ne Rex iuuenis bellicæ gloriaë auidus semel transgressus alpes, Italiae opulentia atque amœnitate caperetur, ob idque exemplo Caroli Octaui maiora concuperet: faueret eius cœptis fortuna, vt demum per partes Italia omnis, vti nunquam publico iuncta consilio feruire cogeretur. His de causis Pontifex Iulianum fratrem pontificij exercitus imperatorem appellat: ei de manu, solenni adiecta precatioe, vexillum & sceptrum tradit, & ab Vrbe in Galliam Cisalpinam maturare iubet. Sequebantur eum vtriusque factionis Romani proceres, & promiscuè ex omni fermè Italiaë regione militibus factis illustres. Nequaquam enim apud hominem summæ æquitatis vllum, in honore erat factionis nomen, quum ea perniciosæ insanie studia execrari damnareque esset solitus, adeo vt spectata tantum virtus in omni du cum & militum genere, præmijs & laude digna censeretur. Fuere qui existimarent, Iulianum, quod Hetruscarum rerum principatum Laurentio fratris filio facile concessisset, vehementer aspirare ad Mediolanense imperium, vel ob id maximè, quoniam Maximilianus Sfortia paulo mēte commotior, dum fœdo amictu, illotoque ore insanie morbum præferret, paterno imperio indignus putabatur. Id facile se assequi posse sperabat Iulianus: nam Heluetij, in quorum tutela erat Maximilianus, multo auro, adiecta præsertim autho-

ritate Pontificis, corrumpi posse videbantur, & Franciscum Regem, si primos eius impetus egregiè sustineret, facilè per conditiones concessurum apparebat, quod armis recuperare nequiuisset, ei præsertim cui matris ipsius soror nuper in matrimonium esset collocata. Nec Carolus Allobrogum princeps vlli occasione in eam rem multis de causis erat defuturus. Veneti quoque modo Cremona in societatis & belli præmium eis obueneret, existimari poterant egregiè conquièturì, vt pote qui nouum & insititium accolam habere mallent, quam præpotentem, & flagrantis ingenij Regem, cuius amicitia ab leui momento planè fragilis, recenti exemplo Ludouici singulare incommodum afferre posse videretur. Ad hæc etiam consilia Cardonius Hispanus imperator, egregiam voluntatem atque opem attulisset: nam vir suo pte ingenio perhumanus & facilis, ac vbi præmia proferrentur, enixè officiosus, Leo ingentia pollicenti, præstantique, haud dubiè erat obsequuturus. eadem Octauiano Liguri placitura intelligebant, vti præcipuo Sfortianorum hosti, & Iuliano vetere amicitia coniuncto. sed dum hæc expensa, & deliberata, initis rationibus explicantur, illudente Fortuna Iulianus febre non tam valida quàm pertinaci, sed quæ ei demum suprema extitit, Florentiæ corripitur. eo decumbente exigua cum spe maturæ certæque salutis, imperium militare ad Laurentium transfertur. Is tum Placentiæ castra habebat, & in proximo vrbi pago Cardonius è Venetiâ accitus, exercitum continebat. Interim Prosper, in quo summa erat authoritas gerendi belli, cum equitatu valido, ac Heluetijs legionibus ad alpes contendit. Nam persuasum habebant, præcludi posse claustra alpium, si Coctijs & Pœninis saltibus insessis, æquiores transitus occuparent. Sed Franciscus authore duce què Triuultio, qui assidue per id tempus omnes aditus per inaccessas montium crepidines fuerat contemplatus, inusitatum iter currulibus tormentis aperuit: ad dextram inter maritimas et Coctias alpes per imas valles Argentarij fluminis insinuando agmina, atque euadendo in præruptos vertices excelsissimorum montium, adeo vt tormenta sæpe ductarijs prætentis funibus suspensa per trocleas legionum manibus traducerentur, quum profundissimæ valles interciderent: nec tantæ molis apparatus iugis aut militum humeris educi posset, quinque dierum labore per hæc itinera plena rerum omnium difficultatibus, nullibi tamen præpediente niue (nam Augusto mense liquata erat) deceptis Heluetijs in Italiam est peruentum, eo lætiore laboris atque periculi exitu, quod dum inaccessos saltus vñs pensilibus ad latera cautium exaggeratis, ad iter patefaciunt, Palicia cum quatuor alis equitum ad distinendos fallendosque hostes superiora à Perosæ montis iuga, ductantibus alpinis agrestibus transgressus, Prosperum Columnam inopinato aduentu oppressit. Erat is Villafranchæ in opido profectiõni intentus, vt eodem die cum Heluetijs iungeretur. Capto autem ab hostibus tantæ opinionis duce, nihil idcirco Heluetij animos demiserunt, regressique Mediolanum authore Matthæo Sedunense Cardinale, iurarunt se quum primum hostis Gallus appropinquaret, regia castra aggressuros, vt de possessione Mediolanensis imperij aperto in campo, & vera virtute dimicarent. Franciscus Prospero benignè & comiter appellato, atque eo sub custodia in Galliam transmissio, ad quintum lapidem à Mediolano Laudensi via castra muniuit, vt inde Liuianum cum exercitu Veneto commo-

dissimè

disimè exciperet, ac subinde expeditū & vacuū ab omni metu iter Comensi viaredituro domū Heluetio præberetur. Erat Placentiæ cum pontificio exercitu Laurentius Medices, & in proximo ad Trebiā Cardonius Hispanorum castra habeat, inter ambiguas deliberationes admodum suspensi, atq; inter se contententes, quinam primi ponte Padum transire deberent: nam vtriusq; suspecta erat Heluetiorum fides: siquidem Albertus Petra dux nobilis, vt credi par erat, Gallica pecunia corruptus, cum multis Veragrorum Sedunorumque cohortibus domum abierat, adeo vt qui Mediolani erant, in fide nutare & dissentire in consilijs nunciarentur. Interceptus quoque cum pontificijs literis Cynthius Tiburs, qui ad regem properabat, dum Hispani equites Padi ripam obseruarent, Laurentium Cardonio suspectum reddiderat, quasi Leonis studia magna ex parte refrixissent, quum Prosper imperator captus partium spes vehementissimè debilitasset. Legatos quoque Florentinos natura Gallicis rebus studere cogebat. si iuuenem circumsistebant, suadebantque ne se temerè infidis barbaris committere vellet, sed in tuto alienæ infaniæ exitum spectaret: non esse eò progrediendum, vnde nullus omnino regressus sine periculosissimi prælij alea præberetur. satis enim rectè ipsum omnia facturum, si cunctando Leoni aliquem ad regis amicitiam receptum relinqueret: id verò in omnem belli casum facile posse impetrari, si rex iam plane victor, tantis Ligurum Venetorumque auxilijs adiutus, nulla vltius acerbiorē iniuria læderetur. Iam enim ex Pontificijs Mutius Columna & Ludouicus Petilianus cum aliquot vtriusquæ armaturæ equitum turmis ad Heluetios missi fuerant. Iacobusque Gambarā Leonis legatus cum pecunia Mediolani aderat, mirifica voluntate Heluetijs Sfortianoque nomini deditus. Vnus verò Gorius fide & prudentia insignis, frustra iuuenem est adhortatus, vt præclarissimæ occasione in summa spe ingentis victoriæ deesse nollet: neque enim de euentu dubitandum, si duo in vnum sincera fide coniuncti exercitus, ad inuicti roboris summæque virtutis gentem è propensissima & copiosissima vrbe hostibus imminentem auxilio ire maturarent. Ipsi enim tanta indolis iuueni, postquam effectus esset imperator, non iam fortunis sed gloria & laude opus esse: non enim grauisissimi muneris nomen inanibus titulis, sed veris virtutis operibus sustentare: proinde vanis vel suspitionis vel timoris offendiculis animum liberaret: præstaret Leoni sibi que dignam Italico duce operam, memoriaque teneret, Mediceos Florentia pullos Gallorum armis, seque in primis infantem puerum, perpetuis ab ea gente iniurijs acceptis decem & octo annos exulasse. Cæterim præter Florentinos legatos, Vrsini duces quos sibi Laurentius despectis Columnijs asciuerat, quicquid generosi spiritus ad præclare audendum in iuvene elucebat, magnis rerum omnium propositis difficultatibus facile restinguebant. Interim Heluetij, tametsi diuersis inter se studijs in partes scindebantur, Sedunensis tamen Cardinalis flagrantissimis concionibus incitati, ad tuendam publicæ dignitatis existimationem prælio decertare statuerunt. Nec mora, inclinante sole Romana porta erumpunt, prima Gallorum agmina profligant, non fossa, non munitione, non denique tormentorum, quæ in frontem directa erant, periculo deterrentur, quin in castra percurrant. Is impetus vtī repentinus nec expectatus, sicut primas Gallo-

Gallorum acies oppressit, ita medias ultimasque atque ipsum maximè regē ad arma exciuit. Dimicatum est in multam noctem nullo ordine, quum inopinati hostes, & nox ipsa conturbatis castris omnem consilij & disciplinæ rationem penitus eriperet, adeo ut Heluetij felici audacia progressi, strato equitatu, nobilissimisque ducibus aliquot interfectis, ipsoque etiam Francisco Rege, qui impigrè perturbatam suorum aciem reparare contenderat, multis hastarum ictibus penè oppresso, intra castra hostium consistere quiescerentque minimè dubitarint. Itaque veluti impetratis vtrinque inducijs (quas lassitudo vulneraque, & ab denso puluere enata sitis attulerant) ab armis temperatū, donec oriens Luna, certis ictibus lucem adferret. Eo spacio Rostius Heluetiorum dux summus, quod is Tigurini pagi erat magister, & Sedunensis cohortator egregius, aduecto ab vrbe comreatu, largissimè suos recrearunt, terribiliquæ buccinæ signo silentibus tympanis renouandi prælij signum dederunt. Nec regi abolendæ ignominiaē auido, & per se impigro bellatori, quanquam acerbissimo pugnae discrimine perculso, animus consiliumque defuit. per idoneos namque duces circumductis cooptatisque tormentis, ordinibusque Germanorum & Vasconum intra fossas constitutis, ac expanso in recuruas alas equitatu ita irruentes hostes est complexus, ut illi temere atque insolenter congressi, partim confixi Vasconum sagittis, partim tormentorum pilis discerpti, inuadente etiam confertissimo equitatu, à fronte, & à lateribus sternerentur. Peropportune etiam eorum terga cæcidit Liuianus, qui cum expedita parte Veneti exercitus adcurrerat, compulsasque in villam cohortes duas, coniectis que in eam facibus ferè integras concremarat. Tum Rostius, aperiēte suorum clade non dubia luce, quam Sol occidente Luna statim inuexerat, receptui canere cœpit, ne vniuersus exercitus absque vlla spe victoriae deleretur: tantaque constantia conglobari ordines, & verti signa iussit, ut saucij & continenti quindecim horarum labore fatigati, tormenta quæ ipsi Mediolano adduxerant, ne insolitum dedecus admitteretur, humeris reportarent: nec quisquam hostium pedites sub signis abeunti est persecutus. admirabili etenim fortitudine & patientia per equa pariter ac iniqua depugnarant, ut nequaquam laceffendi viderentur: temeritatem enim virtus æquauit, quando (ut præclare spectatum est) nemo ferociam animi vel inclinata prælij fortuna prorsus amiserit. Cecidere supra septem milia Heluetiorum, & ex his centurionum signiferorumque promptissimi. Nec inulata Gallis victoria celsit: nam Franciscus Caroli Borbonij frater, & Himbertus, itemque Sanferrius, & Talamontius ipsius Tramulij filius, & Bussiuius Moiusque domesticæ regiae turmæ vexillifer primo prælio ceciderunt. Postridie Heluetij vix se prælio victos fatentes, in area quæ est ante arcem amplissima, in concionem progressi, suadente Rostio, Comensi via domum abierunt, atque ita Franciscus deditibus se ciuibus, Mediolano est potitus. Nec multo post Maximilianus Sfortia, per se etiam ob conceptum ab atrabile morbum mente commotus in ea rerum iniquitate animum despondit, celsitque per tabulas paterni imperij iuribus parum nobili, & Sfortiano nomine indigna conditione, pactus scilicet, quasi alibi desperatis, vel ad deformem vitæ habitum mediocribus alimentis, ut in Gallia transalpina luculenter aleretur. At LEO Pontifex qui ad nunciū primæ pugnae in qua ex

inermium

inermium maximè Gallorum fuga, regionumque castrorum tumultuosissima conturbatione victor Heluetius erat renunciatus, vultu sermoneque nō dubiam animi lætitiā expresserat: ad conuersam demum famam de Heluetiorum cladē, dissimulato dolore vultum composuit, adeo vt non ineptè risum palam accerferet plurimum, iocatus in Heluetios prætorianos, qui ad primum victoriæ nuntium exultantes, præpropera gratulatione legati Mediolanensis cellam vinariam vno epulo perquam hilariter hauissent. Cæterum quum Gallica arma plurimum formidaret, parère præsentī Fortunæ, & cum victore amicitiam inire constituit. Audiebat enim regem iuuenem ab excelso ingenio bellicæ laudis appetentem, insignique ea victoriā, & Ligurū Venetorumque societate ac auxilijs subnixum, omnium suorum & Liuiani maximè hortatu concitari ad promouenda arma. Dicitabant enim eum cuncta quæ concupisset facillimè consecuturum, & quas vellet impositurum leges Italiæ Principibus, si perterritis omnibus victoriā vti vellet, traiecto in primis Pado Placentiam Parmamque repeteret: Hispanos abeuntes à pontificijsque disiunctos persequeretur, eos facilè in itinere opprimi posse, ab immani avaritiā colonis omnibus inuisos: quibus deletis, Neapolitanos ad veteris atque legitimi imperij nomen, infestæ gentis sublata tyrannide, redituros. His de causis Pontifex per Ludouicum Canosium legatum pacem petijt. amicitiamque obtulit, iniecta spe ineundi fœderis, ita vt iudicaret vrbes mature restituenas, si aliter pax impetrari minimè potuisset, nolebat enim vi Gallica armorumque impetu sibi eripi Parmam atque Placentiam, quas præsidio tueri commodè nequiret, ne semel cœpto bello Rhegium etiam Mutinaque, ac demum ipsa Bononia in idem belli discrimen periculosa contentione traherentur. Nam Bentiuoli exules amicorum & clientium studio sæpius euocati: & Alphonfus Ferrariæ Princeps diligenter in eam maximè curam excubabāt, vt suas vrbes aliqua noui belli exorta occasione recuperarēt. Prouidebat etiam Pontifex summa prudentiā res Hetruscas non mediocri periculum adituras, si transeunte Padum armato rege, Hispanos de se Mediceaque domo benemeritos ab infensissimis hostibus cedi pateretur: nō ignarus à Florentinis Gallicum nomen impensè coli, qui nihil magis tacito quodam vniuersæ ciuitatis voto peroptarent, quàm Italiā conturbari Gallorum armis, vt eorum beneficio, sicuti antea fecissent, occasionem recuperandæ libertatis arriperent. Itaque Pontifex vt animum grauissimi periculi metu liberaret, necessitati celsit, matureque magistratus decedere urbibus iussit, vt nequaquam eas de manu tradidisse, sed deditionis arbitrium ipsarū ciuibus reliquisse videretur, non obscure diiudicans eam infamiæ notam, quam tum summo cum dolore animi subibat, aliquando in meliore rerum fortuna posse resarciri, si vim imminentis tempestatis non omnino oppressus effugisset. Nec multo post deponente colloquium Francisco, Pontifex brumali tempore Bononiam est profectus, eoque etiam biduo post ipse Franciscus venit cum octo milibus equitum ornatissimis omnium ferè principum, & liberarum ciuitatum legationibus comitatus, rex ipse præcellenti corporis atque oris specie conspicuus, & triumphali laude insignis, non oculos modò, sed omnium etiam studia in se conuertit. Neque Leo vel naturæ suæ, vel officio vlla in parte splendoris & benignæ mansuetudinis deesse est visus. Vrbsque ipsa rerum

omnium copijs refertissima vtrique aulæ facile suffecit, quum Galli proceres cum sacerdotibus conuiuiorum luxu, ornatusque elegantia dispari varietate contenderent. In summa totius colloquij postulabat rex Gallus, vt pontifex arctiore sibi fœdere iungeretur ad depellendos Italia Hispanos, quando iura Neapolitani regni ad ipsum maximè pertinerent, ita vt amplissimas itidem offerret condiciones. At Leo, qui hisdem de causis quas supra retulimus, Gallum maximæ partis Italiæ imperio potiri nolebat, ne ipse demum inter miseris promissorum ludificationes fortè deceptus, atque subactus, seruire cogere-
retur, omnia alia petenti regi liberali voluntate concedere, hoc verò vnum in præsens se se facturum negare, non dubio tamen oris nutu propensum ad id animum polliceri: quoniam tum non esset sibi integrum discedere ab amicitia Ferdinandi regis, cum quo in certum tempus publico fœdere esset coniunctus: quòd si sexdecim fermè menses effluxissent, finiri eius fœderis spacium, ac tum sibi fore arbitrium expeditæ libertatis ad commutanda consilia ineundaque noua fœdera, quæ sine ignominia violatæ fidei opportunè percuti posse viderentur. Itaque Franciscus exclusus etiam anni tempore, quòd pluuij brumales dies inciderant, quū in sententiam gerendi belli Leonem pertrahere nequiuisset, honorem purpurei galeri Hadriano Boisiuio, qui Arturi regis familiæ magistri frater erat, facile impetrauit, atque inde Mediolanum, & mox in Galliam est reuersus. Redijt & Leo subinde Florentiam, vbi læto ad id populo complura liberalitatis atque munificentis monumenta publicè priuatimque reliquit. inde Vere nouo Romam est profectus. Nec multo post Iulianus frater diuturnis atque tabificis febribus conflictatus Florentie moritur, benigno elegantique ingenio vir, modestia in primis & ciuili comitate Florentinis omnibus longè gratissimus. Hic nullam ex Philiberta vxore, Francisci regis amita prolem suscepit. steterant Leoni eæ nuptiæ centum & quinquaginta milibus aureis, cum eam sine dote penitus nobilitandæ familiæ causa plurimum apertisset. Nec multo post ea cum omni mundo muliebri preciosissimisque insignium gemmarum monilibus, in Galliam ad Ludouicam sororem transmissa est. Mortuo Iuliano, Laurentius fratris filius Hetruscarum rerum imperium suscepit, ita constituta Republica, quæ amicissimorum ciuium industria regebatur, vt summa consiliorum omnium è senatu ad eum vnum omnino respiceret. Aderat Laurentio mater Alfonsina, virili certè prudentia, sed auara & nunquam sine querela mulier. hæc esse ferre filium, augere item opibus accessioneque maximè alieni principatus ceca ambitione cupiebat. Iungebatur finibus Hetruſiæ Franciscus Maria Urbinas regulus, è Rouerea familia in Feltriam adoptatus, quibusdam de causis suspectus, et inuisus Põtifici (graues enim aliquot offensiones intercesserāt.) nam eo tēpore quo Feltrius sub Iulio patruo pontificijs copijs Bononię pegerat, Hetruscam expeditionem susipientibus Mediceis, eos neque milite neque vlllo denique alacri studio, vel suppliciter orantes adiuuuit, quòd his reb. sibi opus esse diceret, adeo vt nequaquam occultè Soderino studere videretur. Proximè verò ingruente in Italiam Francisco Rege, quum legatum Iuliano se iturum accepta pecunia promississet, eo demū febre apud Florentiã in itinere correpto, totum id mīnus recusauit: neq; equitatum quem ductabat amplissimum, in Galliam Cisalpinam misit, quum diceret, non esse æquū, vt
Laurentio

Laurentio imperito elatoque iuueni pareret, quando ipse antea imperatoris titulos esset consecutus: demisisse enim se libenter cum aliqua dignitatis estimationisque iactura, sed dedisse id veteri amicitiae Iuliani, cum quo propter mite ingenium facilemque naturam se imperium ex æquo partiturum sperasset. Horatius quoque eius scriba ad famam regis bellum parantis in Galliam profectus sub id tempus fortè redierat. Quæ res non exiguam suspicionem animo Leonis iniecerat, quòd timeret eum in medio belli apparatu à Gallis fuisse corruptum, quorum amicitiam atque stipendia superiore tempore vel contra Iulium patrum appetisset: misso scilicet in Galliam vteriore Balthasare Castellioni, sub id ferè tempus, quo ad Rauennam est dimicatum, vt cum Ludouico rege certa annui stipendij conditione iungeretur: quo tempore etiam nec satis tutum iter præbuisset per Vrbinatium fines quibusdam pontificijs ducibus Rauennam contendentibus, nec demum et ad eum è funesto prælio Hispanos satis benignè recepisset. Is erat inferendæ iniuriæ prætextus. Cæterum principatus Hetruriæ finitimus, quo Laurentius honestari posset, vel pulso in fonte domino quærebatur: tanta enim libido parandi imperij Alfonso matris animum inuaserat, vt Leo, quanquam infamiae ac orientis inuidiae metu sollicitus, efflagitantium preces atque conuitia sustinere non posset, expugnatusque manus daret. Per opportuna autem Iuliani mors omnes conficiendi eius decreti, inferendique belli moras sustulit: siquidem nihil antè à Leone impetrari potuerat, Iuliano impediente, & id facinus libera voce detestante: erat enim Feltriae domui vehementissimè deditus, in qua ipse diris exilij fluctibus iactatus, tanquam in portu benignitatis atque munificentie aliquandiu cum Guidone principe quieuisset. Itaque Laurentius misso cum copijs Rentio Cerite Urbino, cæterisque eius ditionis oppidis atque viribus sine vulnere est potitus. Ipse vero Feltrius vt nimis opportunus iniuriæ, quòd Piceni Umbriaeque finibus inclusus, desertusque ab omnibus erat, cum vxore & liberis, ne benemeritas de se vrbes hosti diripiendas euasandasque præberet, maturè excedens Mantuam se recepit. Pulso Feltrio, nequaquam sine grui inuidia, Borghesium etiam fratremque eius Alfonso cardinalem Pandulfi Petruccij Senensium tyranni filios domo expulit, translato ciuitatis imperio ad Raphaellem Petruccium, qui quondam exilij comes extitisset. Is tum arci Romanae præerat, vir stabili fide, sed ignarus literarum, & probris omnibus coopertus. Id factum quam beneficentiae laudem ferre videretur, quòd Leo veteris amici officia nequaquam memoria deposuisset, ipsum tamen ingrati animi nota conspersit: quoniam in comitijs Alfonso mirificus suffragator vni Leoni cãdidato semper affuerat. Eiusdem anni vere primo, Heluetij qui nil de pristina animorũ ferocia, vel insigni ad Melennianum accepta clade, remiserant, cum Maximiliano Cæsare foedus percusserunt, vt confociatis viribus Italia Gallos exturbarent. Enimvero Cæsar Mediolanense imperium Augustali suo iure deposcebat: ob id validas Germanorũ copias exciuerat. Studebantq; Cæsari Sigismundus & Vladislaus Sarmatiæ Pannonieq; reges, cū quibus celeberrimo conuentu habito apud Viennã Noricam superiore estate fuerat collocutus. Ipsi Heluetij magnopere Gallis infensi, ad vindicãdos fratres & cognatos: qui recẽti prælio cecidissent, triginta cohortes Cæsari miserãt. His cognitis pōtifex

Ægidium cardinalem, qui singulari eloquentia ac omnibus Christianæ pietatis præceptis instructus Cæsarem retardaret atque molliret, in Germaniã misit. Sed Cæsar omnibus ad bellum intentis, audiendis de pace legationibus minime vacadum existimans, Veronam est profectus. At Galli Triuultio atque Borbonio ducibus, quantas maximè copias possunt ex proximis vrbibus deductas Mediolani cogunt: accersuntur ab certis pagis Heluetiorum et Veragrorum (si etenim Gallis fauebant) auxilia plurium cohortium, quæ cohortante & conscribente Alberto Petra, per Verbanum lacum ducerentur. Orant etiam Pontificem, vt iurè recentis amicitiae auxilia suppeditet. Ipsi verò Veneti Gallis non desunt: mittiturque Mediolanum cum iusto exercitu Andreas Grittus legatus, cui mortuo Liuiano, minores duces parebant. Decernitur in concilio defendendam esse vrbem imperij caput, abstinendumque à pugna, quum se omnibus rebus hosti impares esse iudicarent: erat enim in ipso Cæsaris nomine summa existimatio cum bellicæ laudis, tum æquitatis atque iustitiæ: aderantque illi copiae numero virtuteque maximè formidandæ, sequebantur etiam aliquot exulum manus appellandis ciuibus monstrandisque itineribus opportunæ, & Marcus item Antonius Columna cum Italicorum equitum alis. Quibus Romam nunciatis, Pontifex, ne eius belli cause intempastiue misceretur, auxilia suppressit, veluti diffidens Gallicis rebus, & ex tuto Germanici impetus euentum expectans, misitque Bibiennam legatum ad Cispadanas vrbes, vt si opus foret, Cæsaris victoriæ potius quam Gallorum infelicitati adesset. Sed mox incredibili rerum commutatione subsecuta, factum est vt Cæsaris arma, quæ maximè repentinum vehementemque impetum habuerant, in medio conatu deficerent. Exercitu enim Verona educto, quum Afulam Cremonensium ignobile oppidum ad motis etiam tormentis frustra oppugnasset, & dignitatis aliquid amisisse est visus, & quod pluris interfuit, imparatis adhuc sese confirmandi muniendique spatium dedit. Triuultius enim atque Borbonius, eiectis aut custodiæ traditis Gibellinæ factionis principibus, ne quid intestini tumultus oriretur, egregie cauerant, adhortanteque Gritto Veneto, necessaria: sed miserabili ratione suburbana ædificia incenderant, ne his ad ponenda castra vteretur Cæsar, & propius & tutius tegentibus tectis muro succederet. Cæsar ab Afula Olsum, Abdumque transgressus ad tertium lapidem Lambrato in vico posuit castra: caduceatoresque ad portas præmisit, qui omnia hostilia Gallis denuntiarent, ni properè Mediolano excederent: ciuibus verò sese dedentibus omnia salua & læta pollicerentur. Hos armata Gallorum statio contempsit & exclusit, nec populus ex Cæsaris aduentu studium paulo alacrius ostendit, quoniam vulgatum erat, nequaquam Francisco Sfortig, cuius esset verè legitimum Mediolani imperium quæri, sed Ferdinando Austrio, qui ipsius Maximiliani Cæsaris nepos esset, & Caroli frater. Hic paucis antè diebus Ferdinando Hispaniæ rege auo materno vita functo, Hispaniæ, Neapolis, atque Siciliæ regnare hereditate fuerat consecutus. Ita vt nemo Italicorum esset qui non ad Sfortianum nomen voluntate deferretur: & non magis Germanos ac Hispanos, quam Gallos, si id imperium arriperent, timendos existimaret. Has non inanes popularium & procerum animis suspiciones iniecerat ipse Triuultius sepe ad ciues opportunè concionatus, vti erat apud eos summa autoritate

virtutis atque prudentiæ militaris. At dum Cæsar perplexa spe, quòd ad primam sui aduentus famam non esset receptus, de oppugnanda vrbe cõsilium inquit: interim aduentare cum auxilijs Albertus Petra nunciatur. Eares Cæsarem suspicacis ingenij hominem perturbat: veterem etenim Heluetiæ gentis erga se odiorum memoriam, & Ludouici Sfortiæ calamitatem in animũ inducit. hæc omnia eò prudentius cauenda arbitratur, quoniam sub Alberti Petræ aduentum, Iacobus Staffius Heluetiorum ducum princeps stipendiã postulare arroganti habita oratione cœperat, quasi seditioni materiam quæreret non obscura arte exercendæ perfidiæ, ni pecunia, cuius Cæsar erat egentissimus, extemplo singulis cohortibus solueretur. Acciditque per eos dies (Fortuna spes Cæsaris eludente) vt pecuniam quæ è Germania in eius castra deferebatur, Hispani qui in præsidio Brixiaë relictĩ erant, in itinere vti sibi debitam latronum more diriperent. Quibus de causis Cæsar, ne coeuntibus in vnum perfidiæ decretum Staffio & Petra Gallis traderetur, vix cum paucis communicato consilio retraxit castra, & per transuersos calles cum turma equitum intra Tridentinas alpes se recepit. Erat enim Cæsar sicuti natura strenuus & maximè liberalis, ita in consilijs diuersus & parum constans, adeò vt in tota gerendi belliratione, si primæ spes eum deficerent, in secundis minimè consisteret, & reliquas omnino repudiandas arbitraretur. Insubria eo belli motu propè sine vulnere liberata, Franciscus incredibili lætitia est affectus, quòd Cæsarem summæ opinionis imperatorem, validissimis instructum copijs, ita per legatos sustinuisset, vt ille omni pristina existimatione spoliatus discessisse diceretur. Grauius verò tulit, atq; id non omnino dissimulauerat, quòd Leo pontifex, vti ipse sperauerat, auxilia minimè transmisisset, quasi ille obseruata fortuna, ad eum qui victor euaderet, inclinaturus esse crederetur. Quæ res non obscuro initio magna detrimenta Leoni peperit, ita vt omnem in eo postea vitæ iucunditatem perpetua malorum serie inuectã perturbaret. Nec multo post Franciscus postulantibus Venetis, grato animo eis Odettum Lotrechium attribuit cum validis auxilijs magnoq; apparatu tormentorum. Is coniuncto sibi cum Venetis copijs Andrea Gritto Brixiam oppugnare adortus, insigni cum laude Hispanos ad deditiõem compulit. Recepta Brixia exercitus Veronam est ductus. Ea oppugnatio summas habuit difficultates, defendente vrbe longefortissimè M. Antonio Columna, qui lectissimas Germanorum ac Hispanorum cohortes, Italarumque & Græcorum alas dimisso reliquo exercitu ad vrbeis præsidium retinuerat. Sed is oppugnationis exitus fuit, vt Verona quæ vi capi non poterat, numerata Cæsari pecunia reciperetur. Ita Veneti post octauum belli annum adiuuante Gallo, qui antea acerrimus hostis extitisset, suas vrbes recuperarunt. Tum vero tres exercitus confecta pace dimissi. Horum milites omnis generis & maxime Hispanos Franciscus Maria Feltrius exiguo oblato stipendio conduxit, eo consilio vt Vrbinum repeteret, cum Laurentius omnibus rebus imparatus nequam satis maturè occursurus esse videretur: quando nihil minus putaret, quam media hyeme bellum se gesturum aduersus eum, quem omnibus fortunis expoliatum Mantua exulantem, & desertum à regibus toto eo anno magnopere contempsisset. Affuere Feltrio in primis supra quinque milia Hispanorum peditum, qui Maldonato viro impigro & duci maximè veterano pa-

rebant: diuersarum quoque nationum alæ equitum spectatæ virtutis sequebantur. Præerat Hispanis Gaiosius, Belgis Zucharus Heduus, Græcis autem & Epirotis Andreas Bua, & Constantinus Boccalus: inter Italos eminebat Federicus Gonzaga cognomento Bozulus, quem paulò antè Iulianus maximi vexilli honore dignum fecerat: sed is demū succedente in imperio copiarū Laurentio, fuerat repudiatus, ita vt alienato animo acceptā iniuriā vlcisci properaret. Feltrius itinere summa celeritate confectō, vbi primum intra ditionis fines sese ostendit, incredibili populorum omnium alacritate suscipitur. Iulius Vitellius cum Urbini tria millia peditum exactis ciuibus coegisset, defensionemque pararet, concurrentibus ad arma feminis & paucis senibus, Feltrianoque milite ad portas clamorem extollente scēdissimè sese atque urbem dedit Laurentianis militibus vita impetrata, ita vt exuti armis extra fines pellerentur. Feltrius Urbino potitus, & paratis tormentis, quæ Iulius Vitellius in fossas præcipitarat, bellum circumtulit, multaque oppida deiectis præsidijs in potestatem redegit. Hæc vbi Romæ sunt nunciata, Laurentius ad bellum proficiscitur, expedit pecuniam Leo pontifex, cohortes vbiq̄e conscribuntur, gerendi belli summa committitur Rentio Ceriti, adiunctis Vitellio Tifernate, Guidoneque Rangono. Ii tanta infelicitate frequentibus affecti detrimentis id bellum gesserunt, vt fatali quadam imperitiâ ac ignauia, vbi conferendæ manus essent, vti erant magna ex parte tirones subitarūque milites, a paucis veteranis facile vincerentur. Semel Laurentio oblata est occasio rei bene gerendæ, quum Feltrio Metaurum amnem transeunte in aduersa ripa opportunè instructa acie constitisset. Erant ei sexdecim milia peditum, in queis aliquot erant Vasconum cohortes, itemque vexilla quatuor Germanorum & Hispanorum, quos Romæ conscripserant. Aderat Paulus Baleonus cum auxiliariis Perusinis, aliquanto cæteris vsu militiæ vigoreque animi præstantior, verum in eo nequaquam insignis vigebat authoritas, quoniam Rentio atque Vitellio, quibus vnis Medices se totum crediderat, ob similitates erat inuisus. Aderant tormenta ænea in castris supra viginti, quibus copijs in vado fluminis transeuntes superare atque proterere facile potuisset, nisi Rentius atque Vitellius, imperitiâ an metu incertum, optima tamen fide, non in aduersos hostes, sed in collem proximum signa ferri continuo iussissent, quasi opportuniorem locum castris capturi, vnde demum transeunti hosti expeditos equites magna detrimenta inferrentur. Id consilium tanquam inscitæ aut ignauæ plenum Feltrius, qui pedes amnem conferta legione transferat plurimum irrisit: indeque vti planè victor recipiendis oppidis oppugnandisque præsidijs totam eam regionem est paruagatus. Nec multo post Laurentius, dum oppugnaret Mondulfum oppidum, sclopetto caput ictus extremum vitæ periculum adiit. Cæteri duces, ipso Anconam lectica delato, pessimis artibus bellum gerere cœperunt, adeo vt multis transfugijs dissolutaque disciplina milites passim signa desererent, neque de victoria conficiendique belliratione, sed de diripiendis castellis, deque omni prædæ genere cogitarent. Quibus de rebus dolore incensus pontifex, quum ignominiam animo ferre non posset, a Carolo Hispanorum rege, ipsoque Francisco auxilia petit, Casparem prætorianæ cohortis præfectum ad Heluetios mercede conducendos mittit: copias ex Hetruriæ delectu adauget: Hispanos duces, &c

ces, & ante alios Maldonatum per idoneos homines aggreditur, pollicendo amplissima præmia, si Feltrium deseruissent. Erat in exercitu Feltri Carolus Baleonus Perusia exul, quod multis antè annis Pauli Baleoni fratrem patruū que & alios eius consanguineos dira coniuratione inita trucidasset: hunc Feltrius reducendum existimauit, vt validissimæ totius Umbriæ vrbes opibus, pulsis Caroli hostibus vteretur. Sed dum ad Perusiam promotis castris accedit, fit certior plerisque Hispanorum duces pontificijs largitionibus corrupti: quæri tempus exercendæ perfidiæ: & sibi non obscure insidias parari. Nam antè didicerat ab Honorato Gaetano Minturnensium Traiecti regulo, qui Leoni affinitate erat coniunctus, percussorē sibi submissum Cauillanū Hispanum equitum præfectum: ad has quoque suspiciones accessit Hispanus viator cum literis interceptus, quibus monebatur Maldonatus, vt ea quæ staturat, perficere maturaret: hortaretur consilij socios, atque inde ingentia præmia ex liberalitate optimi principis expectaret. Feltrius tanto imminente periculo perturbatus, eorum quos fideles putabat, animos explorat: queritur à paucis perfidijs hominibus proditoris exercitum tentari, vt flagitiosissima defectione ipsum deserant, atque hostibus prodant: hæc præclare conuinci literis quas in concione esset prolaturus, si pristinam fidem præstare, iterare sacramentum, ea infamia & nota perfidiæ fortissimam gentem verique decoris auidam liberare vellent. Igitur centurionum & signiferorum fidissimio quoque sese grauter & summa cum iracundia perpurgante, comminanteque condignam pœnam his qui deliquissent, signo repente tympanis dato, armati coronam lato ambitu in castris efficiunt: in medium citatur Maldonatus. Nec mora, ipse & Maccius, & Plasola, Consaluusque Rius, & Suares Ruffus centuriones literis conuicti, tumultuarioque succlamantis turbæ iudicio damnati crudelissimè trucidantur. Eares exercitum in fide magis ac magis Feltrio confirmauit, longiusque omnium opinione bellum protraxit:

L I B R I T E R T I I

F I N I S.

VITÆ LEONIS X. LIBER
Q V A R T V S.

INTEREA Romæ Alfonso Petrucci cardinalis scelestum facinus infano animo meditantis consilia deteguntur. Secesserat is in Latinum agrum patria pulsus, vti antea memorauimus cum in vrbe esse nolleret, & libero ore iuuenilique impatientia, veluti commota mente quereretur, se per summam iniuriam à Leone cum patria tum paterni etiam principatus possessione fuisse exturbatum: dū enim in Vrbe esset, mollissima tantum verba factis ipsis cōtraria retulerat, adeo vt inde grauisimo concepto odio, exitiali percitus insania Leonem tollere cogitaret. Fama est, eum non semel cum occulto pugione, instructum omni impetu furoris in senatum venisse, vt nullo protegente, opportunum i;

ctibus aggredereur, interque tumultuantes & trepidos senatores erumpendo prætorianos falleret. Fertur etiam; eum in venatione incautius diu agentem prætorianis passim dispersis, adoriri voluisse: quas omnes cogitationes propter inauditi sceleris infamiam vitæque periculum penitus abiecit. Itaque ad struendas subtiliores insidias conuersus, Vercellium circumforaneum chirurgum admirandis quibusdam experimentis clarum, sibiq; intima coniunctum familiaritate, maximis pollicitationibus perpulit, ut in necem pontificis operam præstaret, si curandæ fistulæ quæ illi in ima sede nata erat, excluso veterem medico vocaretur, quando tum facile foret nihil verentem linamentis venenato medicamine intinctis absque vlla tanti sceleris suspitione protinus enecare: In hanc spem Alfonsus Vercellij peritiam atque felicitatem laudando, per Iulium Blancium cubicularium & cardinales gratia familiariteq; valentes assidue commendabat, iamque exturbato veterem medico, locus Vercellio erat parafactus, nisi Leo cunctis aduersantibus salutari quadam verecundia, minimè se nouo medico aperiendum esse iudicasset. Et per se quidem Vercellius homo erat impurus, crudelis, fallacissimusque veterator, sed qui ingenio expedito, & singulari digitorum argutia supra cæteros eius artis excelleret. Detegitur autem res intercepta epistola, quam ad Antonium Niniũ scribam suum in Vrbe commorantem Alfonsus à Latio perferrebat. Erat enim per eos dies fama edita in vulgus, Feltrium infesto exercitu ab Umbria Senas deflexurum, ut Lactantium Petrucium Suanensem episcopum Alfonsi patruelem in patriam, Raphaelē expulso, reduceret, atque inde per agrum Florentinum euagaretur. Ea consilijs Alfonsi agi pontifex existimans, omnem curam & diligentiam his rebus cognoscendis intenderat. Itaque Antonius scriba cum scrinijs epistolarum capitur, subiectus quæstioni, literas ignorabilibus ac arbitrijs notis conscriptas tessera prolata interpretari cogitur. Vercellium qui tum erat Florentiæ specie curandi Gallici morbi, quo Gorius Reip. negocij præfectus laborabat, vberissimo proposito quæstu distinet: obseruant tñ hominem dissimulanter, ne fugã arriperet, si periculum alicunde pressensisset. Interim Leo per idoneos homines spẽ facit Alfonso cõponendarũ rerũ, veluti reuocato Raphaelē ipsum certa cõditione patrie redditurus. Nec Alfonsus cupiditate patrie ac exilij tedio adductus accepta fide aduentũ differt admirantib. cunctis leuitatẽ incauti iuuenis, ac effusè ridentib. Itaque contemptis amicorũ præcipuis, qui ne iret, suadebãt, in exteriore Leonis cubiculo capitur, in arcemq; deducitur. Cõprehenditur & cũ eo Saulius cardinalis, qui Alfonsum pecunia iuuerat, & cum eo de Vercellij opera, de futurisque comitijs ambitiosius quàm par esset, consociata voluntate fuerat collocutus. Perusco autem filci præfecto peracerbè quæstionem habente, tormentis totius consilij veritas exprimitur. Aliquot etiam cardinales iracundiæ, & decreti sui participes nominat Alfonsus, quos varijs de causis in Pontificem alieno animo esse, atque eius interitum expectare intelligebat. ad hos potissimum iniuriæ acceptæ querelas deferre erat solitus vultusque sæpe furoris pleno, ac immanibus verbis tanquam ingratum atque maleficum execrabatur. Iurabatque flagrantibus oculis se aliquando despecti & seruientis senatus liberatorem fore, ut pro iniquissimo Pontifice alius mox ex eo seniorum globo ad rerum fastigium eueheretur, qui suffragiorum & totius comitalis operæ gratiam

tiam liberali animi gratitudine esset relaturus. Erant ij Raphael Riarius, Franciscus Soderinus, Hadrianus Cornetanus, & ipse Saulius, qui iuuenem effrenatè loquentem cum risu et ioco castigabant, vtpote qui eum ingenio parum constantem, ac venationi, amatorijsque leuitatibus deditum tantum facinus nunquam aggressurum rebantur: quanquam ipsi animis ambitione atque odio corruptis, nihil magis expetere viderentur, quam vt ille infania præceps id scelus vi aperta, aut occultis insidijs perpetraret. Riarius enim vetustate honoris ac opibus facile senatus princeps, proximis comitjs iuniorum fraude seniorumque socordia pontificatum sibi ereptum fuisse existimabat, sequentum amplissimis fortunæ muneribus fretum, si pontifex ab humanis excederet, in summam imperij sedem facile euasurum arbitrabatur. Insigni siquidè ædium magnificentia, epularum sumptu, decore familiæ, & nobilissimo deducentium comitatu, quum veras virtutes cunctis adulantibus minus necessarias putaret, in se vnum inanis populi studia conuerterat. Soderinum recentes iniuriæ plurimum incitabant, quòd Petrus frater Mediceorum vi, summi magistratus honore deiectus & patria pulsus extitisset. Erat ei ingenium graue, perspicax, optimisque literis egregiè excultum, sed sordidis auaritiæ maculis, & lubricæ fidei spectatis probris magnopere deturbatum. Hadrianus verò nulla malauolentiâ, sed vana regnandi cupidine inductus Leonis mortem expectabat: certam enim spem adipiscendi pontificatus conceperat ex oraculo fatidicæ mulieris, quæ quum pleraque iam pridem interroganti de sua & publica rerum fortuna exactissimè prædixisset: constanter etiâ affirmarat, fore, vt Leoni immatura morte sublato succederet vir senex nomine Hadrianus, obscuro natus loco, literarum studijs insignis, qui sacros honores gradatim sola nixus virtute, sine vlla maiorum commendatione meruisset, hæc omnia sibi vni aperte congruere videbantur. Nam Corneto infami Tuscorum oræ oppido, familia tenui & propè sordida ortus, vno bonarum literarum beneficio, singulas sacrorum ordinum dignitates fuerat consecutus. Neque vetulæ oraculum fidem fefellit: Nam Hadrianus senex Batauus egeni opificis filius, doctrina illustris post Leonem prodigiosa felicitate pontificatum est adeptus. Saulio etiam mathematici complures quæstui in adulationem proni supremum fortunæ fastigium destinabant. Sed is quanquam à Leone propter suauitatem morum & elegantis vitæ modestiam inter familiarissimos esset ascitus, sese tamen occulte à pontificis amicitia certis offensionibus auerterat. Nam Leo initio pontificatus sacerdotia, quæ suis studiosis et suffragatoribus veluti de se benemeritis ex occasione collaturum promississet, plerunque summis precibus expugnatus, aut consanguineis, aut nouis hominibus concedere cogebatur. ob id plerique Cardinales, ea quæ pontifex liberaliter non dedisset, iniquè sibi erepta fuisse querebantur. In his intemperantior Saulius est inuentus, adeo vt in petitione Malsiliensis sacerdotij, Iulium Medicem cardinalem summa tum maximis in rebus autoritate potentem, indignè sibi prælatum: neque eam iniuriam animo vnquam depositurum apud incertæ fidei amicos prædicaret. Igitur Vercellij, scribaque Antonij indicijs, qui diu torti cuncta fuerant confessi, Alfonso in tormæntis conuincitur: Saulius tortoris aspectum vix sustinet. eo modo tabulis totius quæstionis ordine conscriptis, Leo senatum cogit: Riarium sellæ impositum

in arcem deduci iubet: cæteris metu pallentibus, graui habita oratione queritur suam lenitatem, beneficentiam, comitatem acerbissimis iniurijs remunerari: & quod esset inauditum, parari sibi nefaria crudelitate insidias, scelerstique eius consilij aliquos esse conscios, qui in senatu essent, quibus veniã sincerã fide esset daturus, si sponte crimina faterentur, quod si pernegando id facere differrent, nequaquam postea captis & conuictis vllum veniæ locum futurum. Nec mora, Soderinus et Hadrianus ad tribunal accedunt, suplicesque veniam impetrant, mulctantur tamen decẽ milibus aureis. Soderinus in Fundanum agrum libero exilio secessit. Hadrianus autem trepido suspicaciq; ingenio vir, Leonis clementiæ diffidens, ab vrbe messoris habitu profectus, vsque ad vitæ exitum nullo persequente latebras mutauit. Riario salutis fuit ætatis honor, & veteris inimicitia respectus: ne Leo patris vulnera patriusque cædem, cui Riarius interfuerat, confictio nouo crimine vlcisci videretur: centum tñ milibus aureis mulctatus est, restituito pilei honore, ei secessus ad Neapolim, vbi demum interiit, liberaliter est permiffus. At Alfonso & Saulius damnati exutiq; purpurei galeri dignitate, in subterraneos carceres tenebris ac odore tetro maxime horribiles separatim detruduntur. De Vercellio autẽ ac Antonio scriba acerbissime supplicium sumptum, adeo vt curru per vrbe circumducti, carptimque discerpti candentium forcipũ morfibus, ac ad extremum strangulati in frustra secarentur. Ea seueritate pontifex magnũ terrorem omnibus incusserat. pleriq; enim in decernenda pœna mitiorem sententiam dixerant: nonnulli etiam liberius postulabant, vt questionĩ atque iudicio reorum cardinaliũ senatorij ordinis duo iudices adhiberentur, quod indignum esset viros sacros, tanq̃ nocturnos fures, prefecti rerum capitalium acerbitate atq; sæuitia violari. alij confingi ea crimina, falsoq; damnari insones viros, vt pecunia in sumptus bellicos iniquissima ratione pararetur. Quoniam magis ac magis exardente in Umbria Feltriano bello, Romæ atque Florentiæ ærarijs penitus exhaustis, pontifex contra naturam suam metu sæuus, ac inopia rapax euasisse diceretur: adeo vt nemo ferẽ optimi beneficentissimisque pontificis vicem doleret, qui immanitate Alfonso & cæterorum, qui nefaria ambitione præcipites insanierant, perfidiosa taciturnitate penẽ oppressus extulisset. His de causis ira atq; indignitate permotus, alio sibi senatu opus esse iudicauit, si principẽ nequaquam incautum contemptioneq; ridiculum, sed sibi maxime sapientem fortemq; agere vellet. Itaq; incredibili ac inusitata liberalitate, vno atque triginta cardinalibus senatum repleuit, Patribus planè despectis, atque his contracto pallore mussantibus. In his fuere octo Romani, quorum princeps extitit Pompeius Columna, aliquot post annos ab immoderato studio Cæsaris, & ob id patriæ excidio insignis. Creatus est & antè alios Hadrianus e Batavia, qui Leoni ipsi in pontificatu successit. Fuit autem is nouus maxime repentinus tot senatorum delectus, non modo Vrbi, Romanæque aulæ, sed prouincijs omnibus longè gratissimus. Nam incredibili fretus iudicio, ex omni propè natione, doctrina, nobilitateque clarissimos extulerat, ita vt omnis generis homines Mediceæ familiæ incomparabili eo beneficio in omnem temporum fortunam obligare velle videretur. Obscurauit tamen in magnanimo viro eximiæ liberalitatis laudem quaestiuosa nonnullorum ambitio, qui necessitate vrgentis belli ad ancipitia con-

filia adactum, opportunè pecunia iuuerant : nemo tamen paulò virtute cla-
 rior pecuniæ subsidijs indiguit, quum mediocribus aliqua ex parte profecif-
 sent. Cæterum in omnem lætitiã ad gratulandum effusa ciuitate, quum
 epulum in Vaticano nouis patribus daretur, Alfonfus in carcere Orlando
 Æthiope strangulante necatus interijt. Saulio vitam impetrauit Franciscus è
 Ciboa familia sororis Leonis maritus : ei quoque mox honorem pilei cumu-
 lata benignitate restituit, quum eum auribus tantũ, non atroci voluntate pec-
 cauiffe iudicaret. Sed is aliquanto post, quum ad Eretum exularet, supre-
 mum contraxit morbum : atque ita placato iam pontifice, impetratoque re-
 ditu, in Vrbe defunctus est. Dum hæc Romæ fiunt, in castris pontificijs o-
 mnia scæda obuenerant. Legatum Bibiennam seditio militaris afflixerat :
 nam Germani Italiq̃ue, & Hispani simul ac Vascones ad calonum rixam ex-
 citato tumultu multisq̃ue interfectis propè more militiæ conflixerant ; adeò,
 vt præferente crucis signum Legato, & in medios intra volitantia tela depre-
 cantis habitu procurrente, vix dirempta sit pugna. Ex ea seditioe vnaquæq̃
 natio militum, veluti diffusa alijs, ira & timore consternata, seorsum factis ex-
 cubijs tetendit : quæ res sicuti ducum ipsiusq̃ue Legati auctoritatem immi-
 nuerat, ita sublato metu pudoreq̃ue petulantisq̃ue militari viam aperuit, adeò vt
 cunctis in proxima castella ad prædam dilabentibus, totus propè exercitus
 flagitiosissimè solueretur. Vascones etiam supra eius detrimenti calamita-
 tem, magno pontificiorum incommodo, ad Feltrium Ambra, & Carbone
 ducibus transfugerunt. Ipsi vero Rentius atque Vitellius in tanta rerum de-
 formitate contempti à suis, & ab hostibus irrisi, vt in aduerso rerum successu
 sepe accidit, omnem administrandi belli rationem amiserant. Itaque Leo in-
 genti semper spiritu aduersæ fortunæ obuiam ire assuetus, ex recenti pecunia
 copias instaurat, à regibus auxilia mittuntur, Gallicum equitatum Sisseius
 adducit : venit & Potentianus regulus è Neapoli cum trecentorum cataphra-
 ctorum ala ornatissima. Heluetiæ quoque cohortes, adducente Gaspare præ-
 torianorum præfecto, Ariminum perueniunt. His rebus cognitis Feltrius è
 Piceno regreditur : superioribus enim diebus eam regionem infesta popula-
 tione percurrerat, delatusque Pisaurum, pontificios ad Imperialem collem
 castra habentes, nocturno prælio superat. Itaque ad opprimendos Heluetios
 ingenti celeritate Ariminum contendit. Venerat enim in spem potiundæ vr-
 bis, explorato occultiore aditu ad eam partem, qua marmoreus pons antiqui
 operis vrbi committitur. Sed eum subter fornices audacter ingressum, atque
 amnem vado se transire posse existimantem, maris æstus, quo amnis ea sortè
 hora plenius intumuerat, importunè fefellit : ita vt milites ægrè pectoribus
 extarent. Pugnatum est tamen cum Heluetijs, qui in suburbanis tectis conse-
 derant, prælio ancipiti & maximè cruento : Nã & ipse Gaspar cum fortissimis
 suorũ cecidit. Verum signiferi, quanq̃ angusto atque difficili loco pugnare-
 tur, mira cōstantia sustinēdo illata vndiq̃ vulnera, & tuendo aditũ, egregiè
 sese defenderāt. Feltrius ipse sclopetto thoracē ictus vite periculũ adijt. Bozo
 lus plũbea pila vulneratus est. Valastichinus Hispanus, singularis prompti-
 tudinis sclopettariorũ præfectus, et Guinea cēturio insignis cecidere. Arimi-
 no frustra tētato, Feltrius per cōualles Apennini in Hetruriã se cōuertit non
 lōgè ab Anglaria in Florētiorũ finib, castra ponit, planeq̃ victor inde Peru-

finis, Tifernatibus, Senensibusque terrorem infert. Sed antequam expedire consilia & promouere castra posset, ab Hispanis destituitur. Nam Leo duces ac centuriones omnes effusa largitione corruperat, cohortibus triplex stipendium fuerat pollicitus, dabatque audissimæ genti aliquanto maiora premia si Feltrium desererent, quàm illi sibiipsis ex optima victoria poposcissent. Intelligebant etiam non insani acutique homines, sibi cum validissimis copijs esse confligendum, neque ullam omnino spem misericordiæ ab iratis hostibus sibi superesse, si aliquo insigni accepto incòmodo vincerentur. Vgo quoque Moncata Caroli regis nomine apud cohortes Hispanorum concione habitata fuerat contestatus, eos contra reipublicam & regis imperia facturos, subindeque futuros in Hispania reos maiestatis, si pro Feltrio contra Pontificem arma ferre perseverarent. Quas ob res in non dubiam sulatis suspitionem adductus Feltrius, sese vniuersis nequaquam demisso animo cõmendat; gregariorum etiam militum implorat fidem, & præclare ostendit ipsos ignominia inexpiabili notatos iri, si se de ipsis optimè meritum, in ea spe summæ victoriæ prodidissent, proinde si sacramenti militaris obliuisci vellent, vt Caroli regis iussis obsequerentur, debere eos nequaquam priuato paucorum arbitrio, sed publico cohortium omnium ac alarum consilio pacisci, vt sibi honestissima conditio, de salute, fortunisque omnibus caueretur: nec vti planè deserto à suis ac immerita necessitate circumuento spes omnes ad tolerandum exilium sibi ereptæ scelerata conspiratione viderentur. Acclamauere milites vt optimè speraret, ipsos enim & de pudore suo, & de ipsius salute magnopere sollicitos nequaquam commissuros esse, vt traduci vel decipi à quoquam posset. Nec multo post quum de compositione pensitatis & exæquatis vtrinque conditionibus tabulæ scriberentur, disertè appositum est, vt Feltrio Umbria excedenti, secum tormenta ænea suppellectilemque omnem & bibliothecam, quam Federicus auus insigni cum laude condiderat auerere liceret: atque ita post octauum mensem grauissimo bello finis est impositus, tanta cum lætitia pontificis, vt magno metu magnoque periculo liberatus, nihil octingentis milibus aureis (tot enim in belli sumptus impenderat) omnino cõmoueretur. Dùm hæc geruntur, Selimus Turcarum imperator, Campsone Gauro Memphitico rege ad Alepum acie cæso, Syriam imperio suo adiecit: progressusque ad Memphim, Tomumbeium, qui post Campsonem imperium ceperat, aliquot prælijs superatum ac demum ab Ægyptijs proditioe traditum necauit, in ipsa Memphi laborioso ac ancipiti pugne genere Mamaluchis omnibus trucidatis: adeo vt ab Amanomonte ad Rubri maris angustias, atque ite à Cyrenaicis finibus ad Arabum solitudines & Euphratem late omnia in potestatem redegerit. Contuderat & biennio ante Persarum arma victo in Calderanis campis Hysmaele Sopho. Is Parthorum & Medorum copijs ac studijs fretus admirabili celeritate Assyriæ & Persidis maiorisque Armeniæ regna sibi vni parere coegerat. Quibus de causis Leo pontifex, qui Turcarum potentiam finitimis vndeque subactis in immensum excrecentem maximè formidandam esse existimabat, supplicationes per Urbem indixit, ipse insigni concepta pietate discalciatus ad Mineruæ templum profectus est, vt reipublicæ Christianæ incolumitatem Deiparæ virgini commendaret. Exinde ad totius Europæ reges è Cardinalibus virtute ac eloquentia insignes Legatos misit,

vt subla

vt sublatis offensionibus, ex autoritate sacrosancti pontificis, communi omnium consilio confociatis viribus, impotenti barbaro bellum terra marique; ad publicam salutem ac laudem inferretur. Sed quum singuli reges in id consilium suscipiendi belli preclarum maxime studium magnificis pollicitationibus ostentarent, nequaquam tamen, vt in vnum voluntate ac opibus iungerentur, adduci potuerunt. Gerendi autem belli ratio sic a Leone adhibitis in consilium peritissimis ducibus fuerat constituta, vt Maximilianus Cæsar Germaniæ robora in legiones conscriberet; Pannonio autem & Sermatico equitatu maxime vteretur, & secundo amne Danubio in Mysiam, atque inde in Thraciam rectam contenderet. Franciscus vero Gallorum rex cum florentissimis Gallie ac Italiæ copijs à Brundisio in Epirum trañceret. Hispani Lusitanique; ac Britanni, comparata classe ducentarum nauium ad Byzantium vsque nauigarent. Ipse pontifex veræ laudis et gloriæ cupidissimus, cum centum rostratis nauibus se ab Ancona confestim nauigaturum pollicebatur. Erat enim in summa spe trahendi Veneti senatus in partem belli; nam eos tacitis votis nihil magis exoptare intelligebat, quam vt Christiana arma in Turcas veros & proprios hostes ingenti omnium consensu, atque apparatu verterentur. Sed mox fatali socordia nostrorum principum, quum quisque; alienæ gloriæ inuideret, ea consilia decoris, & pietatis longè plenissima perierunt. Nec multo post Maximilianus Cæsar, quum febre laboraret, & parum opportunè pharmacum sumpsisset, Veltij in Noricis montibus est defunctus. Eo mortuo ad petendum Romani imperij honorem nonnulli candidati prodierunt. Non iam enim Cæsares, vt antiquis mos fuit, à militibus creantur: quum inueterata consuetudine septem regulorum suffragijs fiant. Ex his tres sunt sacri amplissimarum urbium sacerdotijs insignes, Coloniensis, Moguntinus, Treuerensis, & totidem militares nobilissimi Germaniæ reguli, Saxonum dux, Comes Palatinus, & Marchio Brandeburgensis: septimi vero suffragij prærogatiuam obtinet rex Boemiæ, vt si ex equo dissideant, ipse ad maturandam electionem superante suffragio, in quam voluerit partem, accedat. Petebant autem alios Franciscus & Carolus Christianorum longè maximæ ac opulentissimi reges, huic tanquam præclara indole auitam hereditatem adeunti Germaniæ studia non deerant: illum verò mirifica virtus & bellicæ laudis specimen, atque item ingentes opes ad tuendum imperij nomen haud dubie pares vehementissimè comendabant. Ipse Leo Franciscum magnis innixum largitionibus, in ea contentione fouendum adiuuandumque; susceperat, Robertumque; Vrsinum ad id in Germaniam legatum miserat. Sed postquam animaduertit nonnullorum procerum avaritiã vel amplissimis donis expleri nequiuisse, & vigere ingenijs Germanorum vetera odia aduersus Gallos, Francisco suadere conatus est, vt pro se petere desisteret: amicorum verò opera vteretur ad subleuandum Brandeburgensem regulum, ne Carolus imperio potiretur. Præuidebat enim vni ei ad maxima quæque audenda incredibilis potentiae facultates parari, adeo vt Galliae pariter, Italiæque, & pontificio præsertim nomini non temere metuendus esse videretur. Sed Franciscus immoderata spe sua inductus utpote qui nihil de eorum studio dubitaret, quorum suffragia optima fide venditari existimabat, in decreto ambitiosus & perseuerantius quam oporteret persistit. At Leo comitiorum euentum minime expectandum ratus, ita Gallo fauere

desijt, vt Carolum haud dubiè gratia superantem suffragatoribus commenda-
re videretur. Atque ita Franciscus dum effusa largitione pro seipso vehemen-
tius cōtendit, nihil earum rerum, vti magnopere cupiebat, est consecutus: nā
& ipse in primis repulsam tulit, consternatis metu Germaniæ proceribus, ne
ad Gallos imperium turpissima licitatione transferretur: & Carolum demū,
quem vnum maxime exclusum volebat, conuersis omnium suffragijs ad sum-
mi honoris fastigium prouectum vidit. Eo nuntio pontificem nequaquam
vti præfererebat, sincera hilaritate lætatum ferunt, quanquam prioris studiij
sui inuidiam postremo conuersa commendatione deterfisset. Diuino siqui-
dem ingenio, cum tot regna in vnum collata conspiceret, nimiam Cæsarum
potentiam veluti fatali disensione pontificiæ dignitati semper infestam ve-
hementissimè formidabat: & antiqui quoque vatis carmina eum iuuenem
non obscuris formæ ac ingenij lineamentis expimere videbantur, qui à septē-
trione toti Italiæ, Romæque præsertim, & prinripi sacrorum summas clades
esset illaturus. Sub id tempus quo Maximilianus Cæsar excessit è vita habi-
tisque in Germania comitijs, Carolus eius nepos imperator est salutatus. Lau-
rentius Medices ab iuuenili intemperantia concepto lethali morbo Florentie
interijt. Is vxorem duxerat è Gallia regiæ cognationis: erat enim è familia Bo-
lonia in Ambianorum finibus ad Oceanum valde illustri. Nam Feltrio expul-
so, recuperatoque Urbino, Laurentius se totum insigni cupiditate ad Franci-
sci regis amicitiam contulerat, Hispanos maxime perosus, qui recenti bello
Mediceam domum in extrema salutis & dignitatis pericula coniecissent.
Leo quoque per libenter cognationem morte Iuliani fratris intercisam cum
florentissimo rege renouandam existimauerat. Hæc noua nupta incredibili
apparatu Florentiæ suscepta, post decimum fere mensem maritum ad vitæ
exitum vltro festinantem quinque diebus antecessit, in supremo morbi im-
petu puellam enixa, quam hodie Francisci regis nurum conspiciamus. Erat
Laurentius corpore ad equitandum gestandaque arma peridoneo atque ha-
bili, vultu verò admodum atroci, & in eam speciem superbe sæpe composito:
nam adulatione corruptus supra naturæ vim & ferus & militaris videri vole-
bat: defuit ei ingenium ciuile & temperatum, vnde illi nullæ lachrymæ ab
ciuibus, quum insigni pompa funeris efferretur. Erat enim fama edita in vul-
gus, eum Lucenses & Senenses subigere, Florentinorum ceruicibus munitis-
simam arcem imponere, & denique ab infero mari ad superum latè prolatis
finibus regnum condere cupiuisse, vt ipse Porsenæ exemplo, adiuuantibus
Gallis, Hetruscorum rex appellaretur. quibus consilijs vti nimis ambitiosè
temereque susceptis, ipse Leo & Iulius cardinalis, moderando ac differendo
obuiam semper iuissent. Laurentio vita functo, pontifex Iulium cardinalem
Florentiam misit, vt ad clauum reipublicæ sederet. Is incredibili humanitate
atque munificentia singulos omnium ordinum ciues complexus, ita rempu-
blicam constituit, vt æquissimæ libertatis status, renouata felici illa veterum
temporum conditione, reductus esse diceretur. Florebat & tum maxime Ro-
ma incredibili rerū omnium vbertate, lætitiâq; omnis generis hominū. Nam
pontifex quietis atque oçij studio Romanorum inimicitias capitalis odij con-
ciliatione edictoq; sustulerat. Tradebatur enim posteris dira animorum ob-
stinatione memoria iniuriarū, adeo vt affines innoxij tracti in causam metu
mortis

mortis publico carere cogerentur. Peregrinos verò immunitate multarum rerum, & perbeata illa sæculi securitate vndique ad incolendam augendamq; Urbem inuitabat. Nam ab Insubribus atq; Cenomanis Circumpadanisq; populis ingens multitudo exagitata diuturnis barbarorum vexationibus fortunas suas Romam auidissimè transferebat, adeo vt ad campum Martium extructis domibus per amplam coloniam cōdere videretur. Nam sicuti eximijs artibus spectatus honor, ita mediocribus opificijs certa merces non deerat. Cuncti enim pro fortuna sua ædificando ornandoq; domos & villas, elegantiae magnopere studebant. Censebantur eo tempore ciuium & inquilinorū octuaginta quinque milia: vt hinc quoque clades nostras non iniqua æstimatione desleamus, quum ad triginta duo milia capitum urbem redactam proximi censores in annonæ caritate reppererint. Dabat item operam diligenter, vt in prouincijs omnia pacata & læta præfectorū vigilantia & seueritate tenerentur: & quū esset natura lenissimus, sæpissimè patientiam abrumpebat, si renouatis improborum iniurijs post primam delicti veniam contumeliose læderetur. Paulum antè alios Baleonum claris militiæ honoribus functum, & erga Mediceam domum studio ac operibus insignem, è Perusia Romam vocatum, eiusq; lenitati impense confidentem, quin capitali supplicio afficeret, vel deprecantibus Vrsinis exorari non potuit. Vir enim impotens & factiosus apud Perusinos cruentam maximè & rapinis infamè despectis pontificijs epistolis tyrannidem exercebat. Est & laqueo suspensus Amadeus Recinatiū tyrannus, rerum nouarum author. Itemq; è Fabriano Piceni oppido nobili Zibichius, qui turbulentissimis concionibus passim habitis exules et oberatos ad arma concitabat. Luit & capite pœnas apud Beneuentanos Hector Seuerianus, vir sanguinarius, factione potens, & virium robore insignis. Verum ab initio pontificatus singularem strenui expeditique ingenij laudem est consecutus, Rencio Mancino nobilissimæ stirpis Romanæ ciue in arce securi percusso. Is ab immani audacia trunculentus affinem suum Cornetanum in templo Mineruæ confoderat, & vecordi impetu cunctis minitari, magistratus imperia despiciere, vexare denique omnes vel in media vrbe consueuerat. Ab exercitu Veneto, in quo aliam sagittariorum equitum ductabat cum ignominia quondam eiectus, quod turmalem suum defuga cogitantē deligatū arbori totius alæ sagittis crudelissimè transfixisset. Exercuit & supra naturæ consuetudinē summius in damnandis, qui falsos libello ipsius subscribentis manū mentiti in iudicijs protulissent: adeo vt Sebastianū Taruisinum tū in gymnasio Romano leges profitentem, & alioqui ea calamitate indignum in campo Floræ concremarit. In cæteris criminibus puniendis eum ciuilis animi tenorem semper obtinuit, vt ad clementiæ laudem auidè properare remissa seueritate diceretur. Cæterum nulla in re ardentius & effusius, quàm ad liberalitatis gloriam anhelauit, eos principe loco indignos existimans, qui nequaquã benefica manu Fortunæ muneribus vterentur. Nemo vel ciuis, vel peregrinus, qui paulo nobilioris artis famam teneret: nemo vel maleficus poeta: nemo alicuius optimarum literarum partis non ignarus vnquam fuit, qui benignitatem humanissimi principis non senserit. Quinetiam ipsum cœnantem spectantes, & ex his aduentitios & parum notos homines vltro pecunia donare erat solitus, eò præsertim libentius, quum obsoleta veste

indutos conspiceret. Purpuream etenim crumenam quotidie aureis nummis sibi repleti iubebat, ad incertas exercendæ liberalitatis occasiones. Sacerdotes quoque, fraterculos, & sacras virgines, quæ intra septa religiosè pudiciam custodirent, menstruis subsidijs elemosynæ nomine iuuabat. Magnum veteranorum militum ac exulum alebat numerum: nihilque vehementius contendebat, quam vt nemo calamitatem, & Fortunæ aduersæ mala & incommoda pateretur. Sed has præclaras liberalis excelsique animi virtutes, cum nimia sæpe vitæ luxuria, tum obiectæ libidines obscurabant: ita tamen, vt iucunditate blandæ facilisque naturæ potius, ac regia quadam licentia, quam certo deprauati animi iudicio in ea vitia prolabi videretur, quum frequenti blandientium turba cubiculi fores obsessæ paucos admitterent, qui alioqui docilis verecundique hominis solutos mores cohiberent, amicorum optimis ad ea conuiuentibus, ac libenter sese illecebrarum ministris immiscentibus, ne gratiam apud summos princeps in lubrico positam in discrimen adducerent, si ingratum auribus potentium reprehensionis officium honestatis atque benevolentia specie suscepissent. Verum hominem hilaritati humanisque sensibus facile seruientem mirum in modum incitabant plerique cardinales opibus ætateque florentes, qui illustri loco nati, ac liberaliter educati, regio luxu vitæ in venationibus, conuiujs, atque spectaculis libentissimè traducebant, cum his pontifex vetere studiorum consuetudine, & recentibus comitiorum officijs vehementer esset obligatus. In his fuere Ludouicus Aragonius, Hyppolitus Atestinus, Sigismundus Gonzaga, Alfonsus Petruccius, Marcus Cornelius, & Federicus Sanseuerinus, qui decoras domi familias, plerisque ingenuis vltro se in seruitutem ambitiosè dicantibus, magnumque equorum & venaticorum canum numerum inusitatis sumptibus alebant. Accesserat & Bibiennæ cardinalis ingenium cum ad arduas res tractandas peracre, tum maximè ad mouendos iocos accomodatum. Poeticus enim & Hetruscæ linguæ studiosus, comædias multo sale, multisque facetijs refertas componebat: ingenuos iuuenes ad histrionicam hortabatur, & scenas in Vaticano spatiosis in conclauibus instituebat. Propterea quum fortè Calandram comædiam à mollibus argutisque leporibus periucundam in gratiam Isabellæ Mantuani principis vxoris per nobiles comædos agere statuisset, precibus impetrauit, vt ipse pontifex è conspicuo loco despectaret. Erat Bibienna mirus artifex hominibus ætate vel professione grauibus ad insaniam impellendis, quo genere hominum pontifex adeo flagrantè oblectabatur, vt laudando & mira eis persuadendo, donandoque plures ex stolidis stultissimos maximè ridiculos efficere consueuisset: Vti Euangelistæ Tarascono Parmensi ab epistolis honesto seni accidit, qui se repente nouo studio ac leui persuasione summum esse musicum putabat: huic adeo industriè ac suauiter est adulatus, vt vna inflatus opinione, incredibilia ac ridenda quædam musices præcepta commentaretur: citharæ enim lacertos obligari, vt quadam intensione neruorum in articulis & digitis argutias firmitus & clarius exprimerent: quum verò pho-nasorum chorus induceretur, aulaea detrahi iuberet, vt voces nudis parietibus illisæ, acutius atque suauius resiliunt, quæ omnia ad alendam hominis insaniam probabat pontifex, quando ipse in ea arte consumatissimus secum de tonis & chordis totaque numerorum proportione disputaret, ac se omnino su-

no superari egregia simulatione fateretur. Baraballi quoque Caietani eximia stoliditati, procacius quam sacrosanctum pontificem deceret, illudit: quum ille insulsissimos versus ab omni vocum ac numerorum enormitate ridendos facere, & palam recitare solet, seque alterum Petrarcham in Hetruscis rythmis esse prædicaret: eò enim perpetuis addulationibus inflammatū gloriæ cupiditate perpulit, vt meritum gestandæ laureæ honorem postularit, ac subinde vt insigni pompa in Capitolium duceretur, quod in Capitolio Petrarcham coronatum quondam fuisse audiuiisset. Tanta verò vis singularis insanix fuit, vt quum ad famam publici apparatus legatio amicorum & affinium Caietanorum properè in Urbem conuolasset, vt hominem à concepto furore deterrent, acerbissimis verbis eos repulerit, tanquam malignè benignitatem pontificis interpretantes, ac rarissimi honoris immortalis gloriæ suæ prorsus invidentes. Ergo, quod vix credibile foret, nisi ea nos mira cum voluptate vidissemus, sexagenarius senex honesta ortus familia, proceritate, vultu, & canicie venerabilis, toga palmata & lato clauo, auro purpuraque nitenti, cæterisque triumphis sumptuosis insignibus exornatus in conuiuium præcinentibus tibijs deducitur, quum de more pontifex diem festum Cosmæ & Damiano Mediceæ familiæ Diuis tutelariibus dedicatum hilarius celebraret. Ibi quum diu ad ostentationem absolutæ artis ineptissimè multa carmina decantasset, omnibus iam in ipsa risu compressione defatigatis, ad extremum in area Vaticana despectante pontifice elephantem adscendit, aurato ephippio superstante triumphali sella instratum. Cæterum inter tympana, & tubas, & voces acclamantis populi consternata bellua, ultra pontem Hadriani deduci pompa non potuit, cuius triumphis memoriam lignarij cælatores quum tessellato opere lasciuerent, in interioris pontificij cubiculi foribus scitissimè inscriptam reliquerunt. Mirè quoque fauit Pogio seni, Pogij historici filio, itemque Moro nobili à gulæ intemperantia, articularibus doloribus distorto, & Brandino equiti, Marianoq; sanzoni cucullato facetissimis helluonibus, & in omni genere popinalium deliciarum eruditissimis. Nam inter alia portenta insanientis eorum gulæ lucanicas concisis pauonum pulpis factas commentifuerant: quod obsoni generis, mox successor Hadrianus vir Batauæ frugalitatis mirabundus expauit, quum sumptuarias rationes Leonis inspiceret. Verum festiuissimis eorum facetijs, salsisque & perurbanis scommatibus magis quam vllis palati lenocinijs oblectabatur. In certis anni temporibus, quum genio liberius esset indulgendum in extrema inferioris mensæ parte ea conditione regnabant, vt contumelias, quas citra valetudinis incommodum architriclini & structores inferrent, æquis animis paterentur. Multa enim eorum palato ac auiditate aliena cibaria, falsa gratissimarum rerum specie concinnata, vt simias et coruos cœnatibus apponebant, quæ tametsi iucunda omnibus ac urbano nobiliq; principe digna erant, in eo tamen, qui augusti pontificis dignitatem sustineret, à seueris et tristibus notabantur. Vt verò ea conuiuia plenior voluptate exhilararet, Calendis præsertim Augusti, amicissimos cardinales ad ludum pictarum chartularum inuitabat: in quo seni septeniq; lusores in coronam ducti versabantur: nec vlla in re blandius liberalitatem exercuit, quum victor pariter ac victus in circumspectantium turbam aureos nummos beni-

gnè dispergeret. Aleam damnauit semper, vti rei familiari moribusque pestiferam: latrunculis autem adeo subtiliter & acutè vel cum exercitatisimis coludebat, vt nemo ei, vel peritia vel celeritate commitendi conficiendiq; prælii æquari posse videretur. Non caruit etiam infamia, quod parum honestè nonnullos è cubicularijs (erant enim è tota Italia nobilissimi) adamare, & cum his tenerius atque liberè iocari videretur. Sed quis, vel optimus atque sanctissimus panceps in has maledicentissima aula liuidorum aculeos vitauit? & quis ex aduerso tam malignè improbus ac inuidiæ tabe consumptus, vt vera demum posset obiectare, noctium secreta scrutatus est? At si aliqua ex parte eo nomine sugillari in dya virtus potuit, Leo certè cum superiorum principum fama comparatus æstimatione rectissima continentiae laudem feret. Quod si falso notatus (vt credi par est) iniquam subiit inuidiam, miserabilem profectò principum conditionem existimauerim, quando eorum mores ad arbitrium paucorum improborum sæuam potius quam benignam interpretationem accipiant. Sed alia principis, alia hominis esse vitia quis nescit? hæc vni priuata condicione quum noceant, etiam aliquibus fortasse profunt: illa verò ab dira potestate, & luctum & calamitatem vniuersis mortalibus apportant: idque verissimum esse constat præclaro quondam populi Romani testimonio, qui neminem sibi principem Traiano meliorem exoptauit, quanquam eum illicitæ libidinis ac ebrietatis censura notasset. Sed demus aliquid humanitati Leonis vti in summa licentia feruidæ ætatis ac prosperæ valetudinis æstum ægerrimè sustinenti, postquam in magnis salutaribusque virtutibus optimi atque benefici cognomentum facile meruerit: constat tamen eum, quod à prima adolescentia opinione omnium summam continentiae laudem fuisset adeptus, non importuna quædam pudicitiae castitæque præsidia quæsiuisse: quando nequaquam pristinae vitæ more tam multis delicatisque obsonijs vteretur. Itemque animo verè pudico die mercurij carnes non edere, die autem Veneris nihil gustare præter legumen & olera, ac die demum Saturni cœna penitus abstinere, incorrupta lege instituisset. In his verò quæ rem diuinam respicerent nequaquam secunda fama prægruari est visus. Nam indulgentias vetera pontificum ad parandam pecuniam instrumenta adeo plenè atque affluenter prouincijs dedit, vt fidem sacrosanctæ potestatis eleuare videretur: in hoc etiam detestabili legatorum avaritiâ deceptus, qui se animas defunctorum singulis acceptis aureis expiare, à purgatorijsque pœnis eripere profitebantur. Prolatis enim ingentibus bullatis membranæ per templa concionari erant soluti, adeo vt hæc impudenti corruptela exciti complures è Germania viri doctissimi, eam pontificis piæ benignitatem tanquam avaritiæ sordibus inuolutam irriferint, inducto subinde Luthero ex Augustiniana secta fraterculo, qui male sana vehementiq; eloquentia dum in pontificem & Romanæ aulæ mores inueheretur, euulgatis passim sui dogmatis libellis, religionem euertit: vnde illi Heresiarchæ cognomen partum, non ambigua fortasse cum laude, si in vnum tantum pontificiæ causæ iugulum nihil turbatis veteribus cerimonijs incubuisset. Sed facundiam eius, sacrarumque literarum peritiam ab infami transfugio abiecta in primis cuculla, & mox assiduæ in ganeis comotationes, & cum sacra virgine ad libidem quæsitus thorax magnopere defœdarunt. Non defuerunt tamen gra-

men grauiora astutioraq; ingenia, quæ nequaquã vexatis sacris, pontificiam maiestatem avaritiæ nomine sugillarent: quando fama esset eam pecuniam cognatis & amicis in profanos sumptus erogari, quũ oppugnandis Turcis, edificandq; Diui petri tẽplo religiosa fide seruari debuisset. Diruerat enim Iulius magnã templi partẽ, vt admirabiliore structura reficeretur: sed insanie vastitatis cœpta testitudine, & pilis ingentibus erectis, tanta absoluendi operis difficultas proponebatur, vt Leo, quem nulli vnquã pro laude suscepti sumptus deteruerunt animũ negotij vastitate superatum facillè desponderet. Eius quoq; sacræ pecunię partẽ in Vaticanæ domus ornamenta transferri dicitabant: vt ipse pontifex Diuo Petro melius ac elegantius habitaret. Triplices enim porticus ad orientẽ obuersas, vnde subiectam vrbẽ et Neroniana prætoria iucundissimo prospectu quotidie despectare erat solitus, mirę pulchritudinis extruxerat, condecoratis scilicet fornicũ atq; testudinum ordinibus excellenti pictura, & pauimento ad argumẽta insignium Mediceæ domus elegantissimè variegato. Conclauia quoq; per quæ aditus est ad intimũ cubiculum: laquearib. auratis & iucundissimis signis albario opere depictis in luculentiorẽ formã redegerat. Quinquaginta etiã milia aureorũ nummũ impendisse ferebatur in aulea Belgica, ab intertexto auro nobilitateq; artificũ magnoperè pretiosa, quæ tametsi supra fortunã presentis seculi sumptuosa erant, vel ob id tñ non veniæ modo, sed laudis etiã nomẽ ferre posse videbãtur, quando nõ inaniũ rerũ figuris ostentãde luxuriæ: sed expressis Apostolorũ historijs Sixti sacello, ad augustiorẽ altariũ & sacrorũ maiestatem dicarentur. Sacerdotium verò nullum vnquã venale proposuit, vt Alexander & Iulius sæpissimè fecerant, quum ab ambitiosis & ditib. pretium duarum aut trium decimarum, & biennales etiã redditus antecapere, & officijs sacerdotia permutare sibi iure optimo licere arbitrarẽtur, adeo vt mirum sit Leonẽ largiore manu pecuniam effundere solitum, ab hoc vberimo lucri genere abstinere potuisse: præsertim Laurentio Pucio cardinale magno pœnitentiario nullum omnino quæstum pontificibus illicitum esse prædicante. Is enim natura officiosus atq; beneficus sæpissimè à veterum decretorũ seueritate, vel exigua cũ spe mercedis industriam suam & autoritatẽ ad implenda petentium vota facillè transferebat. Acciditq; nonnunquã vt pontifex de pudore sollicitus, quũ libelli de grauissimis reb. subscribendi porrigerentur, ipsius maxime Pucij, q̃ diuini iuris esset peritissimus, fidem imploraret, obtestando ne se imprudenter in errorem labi pateretur: quando mox ab aliqua enormi concessione æquitatis fines transgresso pœnitentiã simul atq; infamia laborãdum foret. Sed necesse erat vnis tantum belli pacisq; muneribus deditũ ac alieno quæstu potius q̃ suo gaudentem, nonnunquã inusitatæ concessionis infamiam subire: verum ad id adeo inuitus trahebatur, vt aliquando Iulium Blancium è cubicularijs sibi gratissimũ eluserit, importunis scilicet precibus postulante, vt iniuncto libello subscriberet, quo duo regionibus distincta sacerdotia, tralato alterius reditu, vnus tantum templi dedicationem subirent. Leo nanque, quod neq; obtemperandum, neq; omnino negandum censeret, percunctatus quanti ea gratia clienti venderetur, libero ore ducentis aureis respõdenti, totidem è crumena numerauit, libellumque discerpit. Venationibus etiã & aucupijs nobilioribus adeo perditè studebat, vt spurcissimas sæpe tempestates in-

salubresque ventos & frequentia mansionum ac itinerum in comoda obstinate contemneret: confusus ætati ac firmæ valetudini, quam equitatione varioq; motu corporis se tueri posse existimabat, præsertim si inambulationibus, apertis vagaretur, ac animã innati caloris copia æstuantem & cælo libero & multo spiritu recrearet: quando & super hæc antiqui vlceris beneficio iuuaretur, quo ab ima sede, quicquid stomachi vel iecinoris vicio conceptum foret, sensim effluere consueuisset. Manlianam villam secundum Tyberim quinto ab Vrbe lapide, quanquã proximi stagni halitu & caliginosi aeris intemperie propè toto anni tempore infamem, hyeme maximè frequētabat. Ex ea enim veluti ex portu venatorum classes in subiectos salinarum campos ceruorum copia celebres educebantur. In venando autem sicuti præcepta artis ad normam exactioris disciplinæ patientissimè obseruare erat solitus, ita seueritatē asperè admodum vir alioqui lenissimus semper exercuit, in eos præsertim, qui petulantia discursu aut vocibus temerè aditis improuisa feris effugia præbuisset: ita vt claros sæpe viros acerbissimis contumelijs oneraret. At si quando imperitia, vel fortuito errore hominum, aut feris subtiliore aliquo insperatæ fugæ compendio seruatis, vel ijs denso in nemore contumacius latentibus infeliciter venaretur, incredibile est quali vultus animiq; habitu dolorē iracundiamque præferret. Propterea amici familiares ea temporis momenta prouocandæ liberalitati maximè aduersa sedulo deuitabant: quando aliàs secundum opimam venationē, ac præsertim vario ac insigni labore aliquo nobilē maxima beneficia incredibili benignitate collocaret. Ipso fermè semper æstatis exitu, quum primum cælum pleniore pluuia temperatius foret, ac insalubres æstus frigidiorē aura mitescere viderentur, Vrbe statim Viterbium ad aquas calidas euolabat, vbi coturnicum perdicumque & phasianorum aucupijs aliquandiu erat intentus, quod genus auium accipitribus ac asturibus arte edoctis singulari cum voluptate sectabatur. Ad Vulfinos demū, propter lacus amoenitatē ac eximiam eius tractus rerum omnium fertilitatem, exitinere deflectabat, & in insula & ad exitum Martæ amnis piscabatur. Quibus in locis regali apparatu excipere tū solebat Alexander Farnesius cardinalis, qui eam regionem frequētibus villis atque prætorijs ingentia erudito sumptu passim ædificatis consitisq; fructiferis arboribus exornabat. Inde per Tusculum agrum venabundus modicis itineribus ad mare circa Grauiscas & Centumcellas descendebat. Quo viæ flexu apud Cornetum in Tarquinienis longè celeberrima ceruorum aprorumq; venatio parabatur, & ea quidem in perampla planitie ac maximè ad tendendas insidias opportuna, quæ artificio naturæ humanis voluptatibus arriedntis, perpetuis terrenis collibus cincta, ingentis amphiteari speciem ad ferarum exitium venantibus præbet. Sub ipsas demum Nouembres calendas à Centumcellis per Alsiū & Cereueteris syluas in Urbem redibat, nec multo post in Manlianam reuertebatur, vixq; inde reuelli poterat, nisi aut senatus habendi, aut solemniū sacrorum causa ad Urbem vocaretur. Erat enim is locus edendis ardearum ac miluorum prælijs peridoneus, quæ geminis aut pluribus mansuefactis falconibus in sublime manu emissis aduersus id genus auium vario, ac ob id maximè spectabili euentu per immensa cœli spatia miscebantur. Tanta autem agrestium populorum omnium gratulatione atq; lætitia excipiebatur, vt cuncti eius aduentum

tum se vel fructuosissimis messibus fertiliorem sentire faterentur, utpote qui senibus ac pueris puellisq; in viam effusis, ac rustica munera passim offerentibus, non modò pecuniam largissima manu rependeret, sed etiam appellando humaniter ac sciscanto, qua nam maximè in parte rei domesticæ acrius à Fortuna premerentur, virgines dote præbita subleuaret, affectis autem morbo ac ætate, vel numerosæ familiæ onere prægrauatis æs alienum protinus dissolueret. Nihil enim in magno principe dignius atque præstantius arbitrabatur, quàm iuuare mortales, alienæ calamitatì obuiam ire, lætosque omnes ad se dimittere, ut ad beneficium humani generis se, uti antea in minore fortuna concupiuisset, supremæ potestatis dignitatem appetiuisse testaretur. Eo modo diuina ac humana moderantem, & cunctis læta pace fruentibus, fatalis necessitas Gallico bello implicuit. Cæsar enim, qui ab Hispania enauigato Oceano in Germaniam venerat, & Francofordiæ ab exercitu acclamatus fuerat imperator, Robertum Sedanium in Eburonibus armis persequabatur. hunc cum Franciscus defendendum suscepisset, repente bellum exarsit valde atrox et maximè diuturnum, quo Europa propè omnis, diffuso latè incendio, per nouem annos deflagrauit. Repetebat ex aduerso Nauarræ regnū Franciscus, quoniam Ioannes Rex, qui à Ferdinando sub Britannici belli tempus fuerat expulsus, in fide & clientela Galliæ regum extisset. Quibus de causis Galli Asparosio duce pulcherrimam nacti occasionem, Vasconibus & Cantabris arma intulere, quòd validissimæ vltioris Hispaniæ ciuitates propter incredibilem Cæsarianorum præsidum avaritiam ad arma consternatæ haud obscure rebellarant. Itaque superatis Pyreneis, et Pompelone metropoli capta, arceque tormentis expugnata, Galli ad Hiberum vsque felici successu signa promouerant. At Cæsar per id tempus totius Germaniæ concilium Vormatiæ in Vangionibus ad Rheni ripam peragebat, sublatisque liberarum vrbiū & procerum controuersijs, legibusque & fœderibus ex auctoritate suscepti imperij æquissimè constitutis, pio excelsoque ingenio se totū ad cognoscendam Lutheri causam conuertebat. Venit in concilium Lutherus sub fide publica, atque ita infano ore causam dixit, ut eius sectæ placita veterum hereticorum dogmatibus inclusa damnarentur, quæ iam pridem in pluribus concilijs, & Constantiæ Basileæque præsertim à doctis & Christianis hominibus explosa, & seuerè vindicata penitus exoleuissent. Summa verò iudicij Cæsaris fuit, ut palàm diceret, Lutherum eloquentem & literatum videri, sed ab infano ingenij impetu penè furiosum. Itaq; ipso castigato, eius libros, uti in religione pestilentes, in foro concremari iussit. Quæ Cæsaris decreta vsq; adeo Leonis animum ab eo insigni cum publicæ tum priuatæ pietatis officio deuinxerunt: ut tum præclare decerneret à Cæsare se staturum, si bellum in Italia ab Hispanijs & Gallis transferretur. Erat Romæ Ioannes Manuel Cæsaris Legatus, vsu grauissimarum rerū insignis: cum hoc Leo transegit, inijtque fœdus ut Galli Italia pellerentur: Franciscus Sfortia Mediolanense imperium iure paternæ hæreditatis obtineret: Placentia verò & Parma Leonì tanquam à Gallis impotenter ereptæ redderentur. Id bellum ingenti animo suscepit. angebant enim virum decoris & laudis studio deflagrantem eæ vrbes veluti infami pactione, & turpissimo metu amissæ, quos Iulius pontifex egregia virtute Gallis ademisset. Super id ferre non poterat Gallorum

præfectorum superbiam, qui sacerdotia totius Galliæ Cisalpinæ, despecto planè pontifice, contra eius authoritatē, vti libido ferret, indignis hominibus adiudicabant, quos ad Urbem de more citari & vocari in ius proposita pœna vetuerant. Ea res periniquæ impotentisquæ insolentiæ plena Leonem dignitatis ac existimationis nomen tueri solitum ab amicitia Francisci regis auerterat, qui & dissimulanter Feltrianum bellum aluisse credebatur non inanibus coniecturis, quum eius auxilia Ambra Carboneque Vasconum ducibus ad Feltrium transfugissent, & à Sisseio equitum præfecto, qui nunquā in conspectum hostium venisset, quædam oppida ex fidelissimis fœdè ac hostiliter direpta fuisse constaret. mortuo quoque cum vxore Laurentio, & Iuliani fratris vxore in Galliam remissa, regiæ affinitatis iura magna ex parte abrupta videbantur. Eo etiam libentius pontifex ad Cæsarem inclinauit, quoniam à Gallis se Florentia pulsum, & ad Rhauennam demum captum, Soderinianisque temporibus eorum armis, quominus patriam repeteret, diu prohibitum fuisse memoria retinebat, neque recentis beneficii ingrato animo obliuisci vellet, quum Ferdinandi regis studio, ac insigni opera Hispanorum militum Florentiam reductus, ac etiam non obscura eius amicissimi regis commendatione ad pontificatum euectus extitisset. Hæserat quoque memorianimo vetus iniuria ab Octauiano Fregosio accepta, qui Frãnciscum regem initio cum eo occulto fœdere, contra authoritatem atque iudicium benemeriti de se pontificis in Italiam euocasset. eum enim omnino Genua pelere, & acceptam ab eo contumeliam grauissimè vlcisci decreuerat. Nec ad id cohortator concitatorque vehemens & opportunus deerat Hieronymus Adurnius, ab omni virtute lectissimus, qui cum Manuele Leoneque egerat, vt ipse per amicos factionis eiecto Fregosio Genuæ principatum adsequeretur. Ad hæc peragenda in bellicos sumptus ingentem auri vim collegit, nequaquam prouincialibus expilatis, sed instituto nouo equestri ordine ad numerum quadringentorum: ñ equites coemptis priuata pecunia eius dignitatis officijs, ex vectigalibus demum quotannis centenos aureos accipiebant, & immunitatis prærogatiua iuuabantur. addidit etiam cubiculorum scutiferorumque collegia, officijs eorum venalibus, ad eam spem vberrimi redditus, sicuti antè Iulius officia annonæ præsidentium instituisset. Summa belli Prospero Columnæ demandata est, cuius prudentiæ virtuti que bellicæ Leo plurimum confidebat. Subsecutus quoque est ipse Piscarius cum Hispanorum cohortibus xx. & Antonius Leua cum valido equitatu. Præfuit pontificijs Federicus Gonzaga Mantuæ princeps, adiunctoque ad Italicam legionem, Germanorum ac Heluetiorum peditatu, ad oppugnandam Parmam profecti sunt. Eam urbem Lescutus Lotrechij proregis frater, & Federicus Bozulus imposito præsidio tuebantur. Quassati sunt tormentis muri à Placentina porta, eo euentu, vt Pontificij nullo propugnante per ruinas irrumperent, & citeriore vrbis parte potirentur: nam Galli clam deductis & retractis vltra amnem omnibus copijs, intercisisque pontibus, ampliorem & nobiliorem vrbis partem, vbi forum, & prætoria, & templum maximum visuntur, erectis subitarijs munitionibus acerrimè defendebant: iamque multis acceptis detrimentis Galli in statione ægrè vim tormentorum sustinere cœperant, cum Lotrechius traiecto Pado, adiunctis sibi Venetorum copijs, vt

fratr

fratri obfesso opem ferret, ad Tarrum peruenit. Tum verò nihil dubitatum est, quin reuocandi educendique occupati præda milites forent, ne cum duobus simul exercitibus ancipiti prælio & iniqua conditione dimicare cogentur. Itaque is conatus fœdum habuit exitum, dissensione atq; æmulatione potius quàm imperitia ducum, aut militum ignauia. nam haud obscurè iam enata erant initia pestiferæ simultatis inter Prosperum atq; Piscarium, quum hic elato animo alienis consilijs obedire, ille verò inueteratam nominis existimationem præferre, ac demum vti imperio, & prouectæ ætatis honore conciperet. Castris ad Niceam amnem retractis, incredibile dictu est, quantam Leobilem doloremque conceperit. non ferebat enim æquo animo contumeliam acceptam, & dedecus militare admissum, quando non hostium virtute, sed suorum contumaci discordia ac exitiali altercatione victus esse videretur. Itaque Leo in vnam abolendæ ignominiaë parandæque victoriaë curam intentus, supremas spes in Iulij patruelis virtute collocat, cuius singulari prudentia in omni grauiore negotio, sicuti & moderatione in regenda republica Florentina, nudatis omnibus sensibus vtebatur, ad hunc Florentiaë commorantem, manu sua literas, quas nos tum vidimus, in hanc sententiam scripsit. Vides mi Iuli quo loco res nostræ sitæ sint, quum eas duces ipsi turpissima dissensione penè præcipites dederint. In hac enim rerum deformitate dignitatis nostræ, quæ viris vita potior esse debet, iniquam aleam subimus: tu verò vnus omnino es, qui spectata virtute tua, atque autoritate dissidentes conciliare facile potes, & quod in summo voto est, victoriam è manibus propè ereptam recuperare, si maturè in castra contendis. Obsecro te igitur per decora maiorum nostrorum, & per publicam salutem, vt legati nomine militaris imperij munus suscipias, & confestim ad Niceam prouoles. Te enim auspice præclarum lætumque huic bello exitum Dñi superi dabunt, & votis nostris, vt in optima causa rectè pieque susceptis secundissimè subscribent. Vale. Nec mora, Iulius quanquam dubia spe, alacri tamè voluntate fratris precibus paret, profectusque Florentia, & mutatis ad celeritatem iumentis in castra peruenit. Tum verò duces eo disceptante atq; adhortante, in vnum gerendi belli consensum redire, lætari milites, atque optimè de victoria sperare. Erat enim in eo viro cum humanarū artium, tum bellicarum etiam rerum peritia singularis, longo vsu, & varijs vtriusque fortunæ experimentis cōparata. Super hæc vigebat in eo summa autoritas, & vis imperij ad explicanda finiendaque consilia: magnum etiam auri pondus ad stipendia secum attulerat. Quas ob res confirmatis & erectis omnium animis, tota castra ingenti spe atque lætitia complebantur. Eodem die in consilio decernitur, Padum amnem relicta in tergo Parma, ponte cōfecto superandum, vt ad incitanda Insubrum studia bellum in Hostico gereretur. Nec multò post ad Casale oppidū vniuersus exercitus Padū trañcitur. Idem ad Cremonā facit Lotrechius, minutisq; prælijs ad Bebriacū sæpe contēditur. Sed Lotrechio ad Olj amnis ripas egregiè propugnante, Pōtificij per Mattheū Sedunēsem cardinalem, ad quē ab initio depulsis Italia Gallis fama gloriaq; pertinuit, Heluetios in auxiliū euocant, atq; illi vberiorib. stipendijs inuitati, per Bergomatiū fines deturbatis ad Eupilim lacum Gallorū, Venetorumq; præsidijs, in castra perueniūt. magna siquidē hominū admiratione, quū eodem tēpore Frācisco

regi in Belgio, Lotrechioq; item in Gallia Cisalpina, atq; ipsi maximè pōtifi-
 ci magnis vndiq; susceptis emolumentis stipendia mōerent. Erant etiā reli-
 cta cis Padum circiter duo milia Heluetiorum: eos initio belli Antonius Pu-
 cius, quem nunc cardinalem videmus, in Italiam adduexerat, cum his hic vir
 sacratu, adiūcto sibi Vitellio cum duabus equitū alis, ad Bondicum Alfonsi
 Atestini copias profligauit, quo die Ferrariensium res in magnum discrimen
 adductæ fuissent, nisi Vitellius cohortanti Puccio, & recenti victoria vtē-
 dum esse predicanti, parum pugnaci consilio parere recusasset. At Lotrechius
 hostes tantis aduictos copijs Abduæ amnis trāsitu prohiberi posse ratus, ad
 ulteriorem fluminis ripam, extentis ad multa milia passuum perpetuis mu-
 nitionibus, cum toto tormētōrum apparatu consedit: sed dum à Piscario ma-
 ximaque parte exercitus contra Ripaltam oppidum per simulationem con-
 struendi pontis distinetur, Itali pedites in superiore Abduæ loco lintrib. no-
 ctu transfuēti, Vaprium oppidum in hostili ripa deiēctis Gallorum præsi-
 dijs occuparunt. Ea re cognita Lotrechius Lescutum fratrem cum valida e-
 quitum manu, expeditisque Vasconum cohortibus Vaprium misit, vt ho-
 stes egrè vno atq; altero tantum nauigio transeuntes antè opprimeret, quam
 maioribus subsidijs firmarentur. Sed Iulio legato Prosperoque ab aduersa ri-
 pa administrantibus & cohortantibus, Grisonorum manus duce Teccano,
 & Hispanorum cohortes duæ opportunissimo tempore transuerunt, quo-
 rum aduentu confirmati Itali, qui ab ædificijs omni telorum genere ac igni-
 bus oppugnati acerrimè locum defenderant, sese ad conferendas manus effu-
 derunt. Pugnatum est per quatuor horas vario euentu, quum etiam Lescu-
 tus vltro demissis equis, insigni audacia cum cataphractorum globo per an-
 gusta viarum pugnam, fessis iam Vasconibus, excepisset. Ad extremum Gal-
 li egregiè repulsi, multis desideratis, amissoque vexillo, ad Lotrechium redie-
 runt. Tum verò exercitus omnis ad transeundum amnem adcurrit, tota scili-
 cet ripa nudata præsijs. Nam Lotrechius Mediolano timens, reductis tor-
 mentis, sublatisque signis eò contenderat. Is quanquam abstinentiæ atque iu-
 stitiæ laudem ferret, superbia tamen & crudelitate erat inuisus: nam per eos
 dies Manfredum Palauicinum, qui à Lario lacu cum Germanorum manu ir-
 ruperat, captum in frustra discindi iusserat, atque item Bartholomæum Fer-
 reriū eius rei conscium, eximie nobilitatis equitem eadem supplicij acer-
 bitate trucidarat, ita vt denegato sepulturæ honore, damnatorum capita,
 hastis infixæ propinquis & ciuibus spectanda in arcis area ponerentur. Chri-
 stophorum verò Palauicinum opibus & claritate generis illustrem, nequa-
 quam regis iudicio damnatum, postridie quam Mediolanum est reuersus, ca-
 pitali supplicio affecit, vt Mediolanenses crudeli exemplo territos, validius
 in fide contineret. Peruersa etenim ratione Lotrechius quæsitis nouis amici-
 tijs hostili animo Triuultiorum Palauicinarumque principes fuerat persecu-
 tus, qui antea Gallico nomini maximè studuissent, fortemq; operam aduer-
 sus Sfortianos superioribus bellis præstitissent. Nam & ipse Triuultius tan-
 tus imperator, qui tot victorias Gallis regibus spectata virtute perperisset, ac-
 cusante Lotrechio, ad dicendam causam media hieme in Galliam vocatus,
 concepto ingenti animi dolore apud Carnutes obierat. Ceterum Lotrechio
 cuncta præsidia in exteriori suburbanæ regionis munitione collocante, Pon-
 tificij &

tificij & Cæsariani Placentæ & Cremonæ Ticiniq; ac demum Parmæ egregia omnium voluntate recipiuntur. Quo successu victorię, duces erecti in spẽ potiundi Mediolani instructis agminibus ad Romanã portam ire pergunt: Erat in vrbe otium summæ securitatis, adeo vt Lotrechius inermis cum globo ducũ interiores vrbis regiones obequitaret, & nihil omnino de aduẽtu hostium præsentire crederetur. Existimabat enim hostes sine tormentis nequaquam aggerib. esse successuros, quòd itinera vt pluuio die maximè lutulẽta, prouehendis currib. inextricabiles difficultates allatura viderẽtur. Sed Piscarij virtus atq; celeritas cuncta ad victoriã aperuit. Is enim cum expeditis Hispanorum sclopettarijs antecedens, aggerib. successit, ad ortusque Heluetiam stationẽ, & Venetos in proximos tẽdentes, penè priusquã conspiceretur, intra munitiones irrupit. hos secuti Germani atq; Itali tantã imparatis & ægrè resistantib. trepidationem intulerunt, vt sæda fuga vndiq; facta, Theodorus Triuultius Veneti exercitus imperator, qui ad tumultum inermis adcurrerat, vulnere accepto caperet, ipse Gritus legatus vix beneficio noctis nõ plane cognitus euaderet, & Gallorum equitatus magno circuitu intra vrbes deferretur. Tum verò direptis hostium castris Piscarius continenti cursu ad Romanã portam cõtendit, ibi ab amicis demisso põte recipitur. Nec multo post Iulius legatus, & Prosper, ipseq; Mantuanus Ticinensi porta susipientib. Gibelling factionis principib. interiorẽ urbem intrant. Porro Galli Heluetiq; circa arcẽ signa sistunt, metuq; territi eadem nocte Comensi porta effunduntur, tanta defomitate incedentium agminum, vt quum summi duces Lotrechio adessent Lescutus, Vandenesius, M. Antonius Columna, et Feltrius Vrbinas. his omnib. veluti inopinata calamitate attonitis, omne rei bellicę consiliũ cum ipsa exercẽdi imperij authoritate penitus ereptum esse videretur. Defuit pontificijs ad summã victoriã persequendi hostis facultas, haud dubiè obscure noctis tenebris intercepta. Nam multò maxima copiarum pars et totus fermè equitatus, ipsiq; præsertim Heluetij, qui postremã aciem ea die tenuerant, extra urbem vix accepta per manus rei geste fama, constiterunt. Tãtã victoriæ nuntio accepto Pontifex, quum in Manliana villa esset, incredibile læticia est affectus: nam eo triduo literæ de Heluetiorum ambigua fide acceptæ animũ incerta & ancipiti spe victoriæ suspensum sollicitis cogitationibus excruciarant: nec multò post, priusquam cœnaret, obriguuit, sensimque exorta est febris à quodam miti tepore lögè lenissima, sed quæ ei suprema exitit. ob id sequente die in Urbem est reuectus, iam certius ac plenius erũpente morbo, pessimumq; omen imminentis mortis in ipso cubiculi limine accepit, in quo constiterat architectus ligneam offerens sepulchri effigiẽ, quod tum insigni marmoris cælatura Henrico regi in Britannia parabatur. Sed ea febris, quòd ex interuallis lacefferet à medicis adulantib. aut iudicio deceptis aliquandiu neglecta adeo vehementer demũ incubuit, vt penè priusquã morbus dignosci posset, & fatalis hora sentiretur, turbata ratione sit ereptus: paucis tñ ante horis quàm è vita migraret, supplex, iunctis elatisq; manibus atque oculis in cælũ piẽ cõiectis, Deo gratias egit, cõstantissimè professus, se vel funestũ morbi exitũ equo pacatoq; animo laturũ, postq̃ Parmam, Placentiãque sine vulnere recuperatas, honestissima de superbo hoste parta victoriã, cõspiceret. Vixit an. lxxvii. imperauit viii. totidemq; mensib. et diebus vndeui

ginti. Fuere qui existimarent, eum indito poculis veneno fuisse sublatū: nam cor eius atrilioris maculas ostendit, & lien prodigiosæ tenuitatis est re-
 tus: quasi peculiaris & occulta veneni potestas totum id visceris exedisset. Ob
 id coniectus est in carcerē Barnabos Malaspina minister à poculis, nō obscu-
 ro indicio, quod Leonē pridie q̄ decumberet, in cœna post haustum vini ca-
 licem, statim obducta & tristi fronte ab eo quæsiuisse constabat: vnde nā sibi
 adeo amarum & insuaue vinū propinasset. Adauxit quoq; patrati sceleris su-
 spicionem, quod ipse sub aurorā, quum septima noctis hora pontifex expiraf-
 set, specie venandi cum canibus Vaticanam portā exiisset, adeo vt à prætoris
 nis vti fugitiuus caperetur: his scilicet admirantib. dissolutum hominis inge-
 nium, qui intempestiuas absq; vlllo pudore quæreret voluptates, quū tota au-
 la extincto beneficentissimo domino in lachrymis & luctu versaretur. Sed Iu-
 lius Medices, quū è castris ad comitia in Urbem esset reuersus, insigni prudē-
 tia de veneno quæstionē haberi vetuit, ne in nomen alicuius magni principis
 in expiabili cum inuidia quæreretur. Sed qualiscunq; Malaspine animus fue-
 rit, temerè nō affirmauerim: is certè post nonum annū alterius ambigui cri-
 minis reus, quasi reseruata à dñs in eum diem impij flagitij pœna, Mediolani
 capitali supplicio punitus est. Sunt & qui potius crederent, venenū in pillu-
 lis ex aloe, quibus per hebdomadam ab subducendam aluum vtebatur, sum-
 ptum fuisse, decepto scilicet Serapica cubiculario, qui eas in loculo, vti ad fre-
 quentē vsum, negligentius seruare consueuisset: nam biduo ante quā Leo mo-
 reretur, Lesbius abaci præfectus nullo concepto morbo interiit: quū duas ex
 his pillulis de more ad tuendam valetudinē fortè sumpsisset. Non defuere ta-
 men qui & ministros & principes ea calumnia omnino liberatos vellent,
 quasi pontifex obstructa iā planè fistula, & ob id saniosis humoribus ad præ-
 cordia reiectis, lethalem morbum facile conceperit: præsertim quum & his
 diebus turbidus auster nebulam pestilentem è palustribus campis ad villam
 importunè detulisset. Ego certè haud obscuris ab arte medica innixus con-
 iecturis, nunquā crediderim, ea memborum robora, eamq; vim largissimæ ca-
 loris, in ipsa corporis temperatura fermè æquali, & ob id ad producendam vi-
 tam maximè idonea concidere potuisse, nisi alicuius nobilis veneni sæuitia
 multo impetu ad ipsa vitalia penetrasset, quādo ad perferendam quamlibet
 inusitæ vel etiam continuæ febris contumeliam, ea firmitate corporis atq; a-
 nimi in multos dies omnino paratus esse videretur. Erat enim statura corpo-
 ris admodum excelsa, toto habitu succoso potius quā pingui, & quidē per
 singula membra venustè commensurato, teretibus scilicet directisq; crurib.
 & manibus candore formaq; longe pulcherrimis, sed vna capitis amplitudo
 cetera membra, enormi propè excessu, nec tamen sine dignitate superauit: vn-
 de illi naturæ dono admirabilis ingenij captus & memoria rerum omnium
 singularis: subtrahebant etiam magna ex parte oris suauitatem, obesq; malæ &
 oculi extantes conuolutiq; et hebetes, verum si ad pupillam inspicienda pro-
 pius admoueret, supra fidem acutissimi: supplices enim libellos, vel minutissi-
 mis literis, & crebris syllabarum compendijs properanter exaratos celerrimè
 & distinctissimè lectitabat: admota autem cristallo cōcaua, oculorū aciem in
 venationib. & aucupijs adeo latè extēdere erat solitus, vt nō modò spacijs &
 finib. sed ipsa etiā discernēdi felicitate cunctos anteiret. Ex ore eius voce suauis
 & tene-

set tenera, sermones profluebant ad omnes affectus exprimendos peruenisti. nam neque in serijs astricta grauitas, neque in communibus liberalis lepor, neque in mollioribus vrbana fecunditas vnquam defuit. Dictabat epistolas Hetruscè & Latinè pereleganter & expeditè: componebat etiã versus non illepidè Latinos, Hetruscos verò per amœna iucunditate delectabiles: nouerat quoque Græcas literas, nequaquam ad ostentationem, sed ad præsidia Latinæ eruditionis: Legendi autem ac relegendi oblata quæque, & præaltos etiam codices absque vlla fastidij suspitione audivissimus æquè & patientissimus fuit: adeo vt cum incomparabili memoria frueretur, omnium gentium seculorumq; historias in exemplum, actionum suarum, opportunissimè recitaret. Sed in eo maximè ad absolutam laudem singulis rebus æstimandis viguit iudicium excellens, eruditum, illustre, tanta admiratione omnium, vti pleriq; ex academia fecunditate ingenij insignes, non temerè aliunde q̄ ab ipso Leone rerū suarum censuram expeterent. Sacra confecit singulaq; ceremoniarū obiuit munia, singulari cū maiestate, vt nō falsò nemo superiorū Pōtificū eo augustius & decētius sacrificasse diceretur. Cōponebat etiam vocē, vultū, gestumq; in omni occasione negotij aptissimè atque celerrimè: transferebatq; mores ad personam, diuina quædam præensione petentiū votis occurrens, vt quum fortè aliquid esset negandum tenerrimis excusationibus supplicantis animum præoccuparet, speq; vltro iniecta nouæ liberalitatis totum imminentis repulsæ dolorem extingueret: quòd si erat vti fermè semper fiebat, rogantibus obsequendum, tum verò naturę suæ propensius indulgebat, & ad cumulandum beneficium tota benignitatis & gratiæ vela pandebantur. Neminem enim adeo liberaliter beneficio est profecutus, quin ab eo, veluti concepto pudore, exigui muneris veniam non peteret, vt non obscure multo plura ac vberiora, quàm tum contenderet, ex occasione daturus esse censeretur. Sæpeque accidit, vt sibi gratiæ à pluribus simul competitoribus agerentur, nemine promissa sibi, eripi indignante, quādo vnus demum è multis subscripti libelli voto potiretur, & cæteri explorata benignitate propensius verecundi que principis nequaquam remittendas spes suas, sed omnino ad augendas esse iudicarent. In deliberationibus grauisimarum rerū diu cuncta excutiebat pensitabatque; ita tamen vt decernendi tarditatem mira exequendi celeritate compensaret. Exigebat autem à ministris non modò taciturnitatem, & fidem, sed obediendi extemploq; parendi expeditum & vehemens studium, eos maximè perosus, qui ad ostentandum cautæ subtilitatis ingenij, quominus promptè iussis parerent, importunis & curiosis interpretationibus vterentur. Tria esse prædicabat, vti à Laurentio patre sæpius audisset, quæ magno principi in gerendis rebus & laudem & felicitatem pararent: cū amicissimis iudicij atque prudentiæ opinione præstantibus diffusè consultare, statimque ab ipso animi decreto maturare ad perficiendum: nunquam obliuisci absentium amicorum: & nullam omnino suspitionem superfluum putare, quæ vitæ principatusq; salutem respiceret. Summe verò esse popularitatis ad opulentiam vrbis annonę commercia nullis præscriptis pretijs aut legibus violare, sublatiisq; monopolijs omnia sicuti & ora hominum, libera & vacua metu, priuatis negotiatorū arbitrijs relinquere: quoniã ea proposita libertas, mercatorū auiditatem incitaret, quorū concursu et emulatione cuncta demū

vilefcerent, & vrbs ipsa repletis horreis copiosissima redderetur. In vindican-
dis autem publicis priuatisque iniurijs existimabat, vti ipse consueffet, vren-
dum esse temperamento, ratione non omnino difficili, veluti personis atque
temporibus accommodata, vt neque ex nimia feueritate odium, neque ex i-
psa clementia existimationis iactura pararetur. Volebat enim cum a familia-
ribus et consanguineis, tum a peregrinis et ciuibus magnoperè timeri, verum
incolumi omnium erga se beneuolentia: nam damnabat illam diræ immani-
tatis vocem: Oderint dum metuant: & certè non obscuro nobilissimi con-
siliij proposito id in tota vita præcipuè spectauit, vt benefaciendo & prome-
rendo ab omnibus hominum ordinibus amaretur, fama que Medicei nomi-
nis ad perennem laudem quam longissimè proferretur. Sed qui ab ipsis vere
virtutis operibus omni honore dignissimus habebatur, in hoc vsque tem-
pus, quo Pauli III. summa virtute renascentis Urbis auspicia conspiciamus,
temporario ac ignobili tumulto conditus iacet. Sed meliore fortasse conditio-
ne ad spem diuturnæ laudis, quam n̄, qui inanis elogij cæ lato è marmore sepul-
chra propinquorum expedita pietate meruerunt. Nam & poetæ, gratissimū
atque liberrimum hominum genus, per aliquot annos deplorata conditione
temporum, & congestis in Leonem laudibus, certatim carminibus adfixis
tumulum nobilitarunt. & nos quoque pari studio & pietate conscribendę e-
ius vitæ munus suscepimus, vt postquam sumptuosa condere pro fortuna no-
stra non licuit, ab exiguo certè, sed eo fortasse immortalis liberalis ingenij mo-
numento, iusta & solennia sanctissimo cineri soluerentur: & tum profectò
non ineptè, quum iam pridem extinctus princeps, inter tot accumulatas cla-
des, quæ postea inciderunt, veluti quotidie renouato funere, verissimis to-
tius populi lachrymis efferretur: quippe tum decedente inuidia præclarissi-
mè vt in publica Urbis & totius Italiæ calamitate, Leonis virtus enituit. Hæc
enim haud dubiè ad salutem humani generis auream ætatem condiderat:
quum nos statim ab optimi principis excessu, verè ferream pateremur: adeo
vt quum fatali errori nostro barbara vis, cædes, ciuciatus, pestilentiam, famē,
vastitatem, & dira malorum omnium incommoda nobis attulisset:

literæ imprimis eximixque artes, & rerum omnium copia,
communis item salus & publica hilaritas: & denique
bona omnia tanquam eodem sepulchro cum
Leone condita lugerentur

FINIS VITAE LEONIS

DISTICHON LEONIS DECIMI SEPUL-
CHRO INSCRIPTVM.

*Delitiæ humani generis Leo Maxime, tecum
Vt simul illuxere, interire simul.*

P A V L I O V I I N O
V O C O M E N S I S E P I S C O
P I N V C E R I N I .

A D G V L I E R M V M C A R D I N A L E M
D E R T H V S E N S E M I N V I T A M H A D R I A -
N I V I . P O N T . M A X I M I

P R Æ F A T I O .



MOUIT me præclara quadam emulatione gratissimi animi tui
studium Gulierme Cardinalis amplissime, vt Hadriani Sexti me-
moriæ literarum beneficio ad posteros quàm longissimè profer-
rem. Nam tametsi magnis opibus & liberalitate penè incredibili
sepulchrum marmoreis signis inter cætera Vrbs ornamenta con-
spicuum sanctissimi viri cineribus operosa celeritate persolueris, id
tamen ad æternitatem, quam quisque optimus pro gloria avidissi-
mè semper spectauit, nequaquàm firmissimum erit, & maximè diu-
turnum: quòd vel elaborata excelsaque artificum opera, vt fortunæ atque innumeris inui-
diæ casibus subiecta, vel vna, nec longi quidem temporis iniuria celerimè consumantur. I-
taque & meo vetere decreto, et tua præsertim auctoritate impulsus, non iniucundum tibi fo-
re putauit, si ad dignitatem sumptuosi operis, fidelis etiam historiæ, & literarum honos, opi-
nionem meam facile sempiternus adderetur, Scilicet vt posteri diffusè intelligant, quantum Ha-
drianus virtute animi pietateque in omni fortuna præstiterit: nec è titulo tantum marmori-
bus inciso, sed è perpetuis actionum omnium annalibus, Christianæ vitæ exempla, sacratis
præsertim hominibus petantur. & herclè desiderio votoque tuo dignum videtur, vt optimi
viri nomen, non in Vrbe tantum legatur, inclusum scilicet angustis vnius ædiculæ spacijs, ve-
rum etiam vbique terrarum Latina voce celebretur. Huius autem publici beneficij laus, a-
pud te aliquantò, quàm apud authorem verior & cumulatio erit, quum imperasse scriptu-
ro maius sit atque præclarius, quàm iubenti liberalique animi magnitudine flagitanti, me
nequaquam grauatè, vel infeliciter obsecutum fuisse. Sic enim turbidioris seculi mores fe-
runt, vt ditissimus quisque laudari effingique literis ineptum & absurdum putet, quando i-
psum scribenda facere, & benigna manu excitare ingenia oporteat, quod occupatis auaritia
animis fieri nequit, vnde seruili improbæq; adulationi certior atque nobilior sit locus, quàm
liberalibus eloquentiæ studijs, quorum præsidio perillustre, nec periturum quidem spectatæ
virtuti lumen adferatur. Nec mirum est si existimaris, optime Gulierme, inter multos bo-
narum literarum præcipuus, et liberalis æstimator: decurristi enim felici passu per omnes for-
tunæ gradus, vt in hanc summi propè honoris sedem prouehere, quum tibi ab ineunte ætate
perpetuæ comites adessent rarissimæ virtutes, innocentia, modestia, fides: adieciisti demum
pietatem, quæ est vna omnium virtus senatore sacerdote dignissima. Hac enim multos diui-
tijs atque natalibus florentes facile superas, & cum prisce ætatis optimis cardinalibus cer-
tissima cum laude contendis. Studia porrò tua plena officiosæ humanitatis, moderationis,
atque iustitiæ ita in senatu, in Vrbe, totaque Italia, atque Germania nudantur, vt quum ne-

minem omnino ambitiosè colas, vel astutè captes, vel malignè circumscribas, hic ipse, quo emines, pilei purpuræque honos, merito tuo inferior habeatur. Ob id ferè nemo est in Vrbe bonus, & studiosus, qui tibi fortunas amplissimas, & in hac viridi, venerabilique canitie, seram felicemque senectam non optet. Miseri etiam, quorum sanctissimæ sunt præcationes, pro tua salute vota suscipiunt, utpote quos vel durior egestas oppresserit, vel atrocior, & sædior afflixerit morbus, vel immitis Fortuna iactauerit. Et hoc loco annumerare fæminas lubet, quas profigato quondam pudore, nunc demum ab honesti decoris cura, religionis amor, abdicatis voluptatibus, intra pudicitia septa conclusit. ea enim suppliciter vitam, & dignitatem tuam superis commendant. quoniam his omnibus alendis, fouendisque pia, liberali, opportunaque manu semper occuris. Et id quidem iucundiore, & clariore cum laude, quòd quum tibi vni, qui aurea, & verè beata mediocritate delectaris, sis frugi, moderatus & diligens, erga hos demum, veluti contemptis opibus, pietate singulari profusissimus habeare. Igitur ea mente, qua tot virtutes colis, atque ea fide qua scripsimus, hoc ingenij mei munus suscipias velim: periucundus enim labori fructus cedit, si vnâ ante omnia egregiè propensi animi voluntatem expendes, postquam id, vti volebas, & ego ipse cupiebam, elaborata florentiq; facundia præstare nequiverim. Vale.

H A D R I A

HADRIANI SEXTI

V I T A



NEMO vnquam ab vlla sacrorum comitiorum memoria, ex his qui literarum & virtutis opinione claruerint, vel minore sua ambitione, vel tenuioribus amicorum studijs Hadriano Sexto Pontificatum est adeptus: quippe qui tot candidatis, qui gratia, meritis, atque opibus nitebantur, sine contentione superatis, ipse Romæ nulli cognitus, & vix auditus ab Hispania, extremisq; Germanie oris ad summum rerum fastigium, tam felici, quam inopinato euentu facile peruenit. Ita vt hinc liquido constet pontificatum fato dari, comitiorumque suffragia nequaquam libidine decretoque hominum, sed certa, &

incredibili deorum immortalium prouidentia gubernari. Natus est Hadrianus in inferiore Germania ad Belgicum Oceanum in vrbe Traiecto, quæ prouinciæ dat nomen, ac inter Batauos & Canenifates summam obtinet claritatem. Nam episcopus sacrorum princeps armatis etiam præest, & latè dominatur, estque ex eorum procerum insignium numero, qui Cæsaribus adesse, & bello paceque operam præstare consueuerunt. Hunc vltimum terræ tractum Hollandiam vocant, cuius fines ab occaso Oceani fluctibus alluuntur, cætera ad insulæ formam bicornis Rhenus intercipit. Hadriano pater fuit Florentius, qui familiæ nomen tulerat, vir animi probitate, & ciuili industria potius quàm honestis opibus insignis. Nam adeo angusta re familiari utebatur, vt quum in filio à primis statim pueritiæ initijs miram indolem nobilioris ingenij deprehenderet, & ob id eum altius omnino erudiendum arbitraretur, pecuniam vel in frugalissimæ vitæ sumptus facillè suppeditare non posset. Itaque Louanium missus impetrauit, vt in collegio Portiorum gratuito aleretur. Sunt enim in eo celebri gymnasio quatuor collegia disciplinarum omnium referta doctoribus, Liliū scilicet, Falconium, Castrense, et Portiū, in quibus vetere instituto, honestis atq; ingenuis, quos egestas presserit, in aliquot annos ad capiendum ingenij cultum, alimenta publicè præbentur. Per huncmodum Hadrianus patre Florentio annuæ impensæ metu liberato, sese ita liberalibus studijs exercuit, vt nemo eo attentius aut ardentius literis operam nauare diceretur. Nulla ferè eum vnquam à scholis iuuenilis voluptas euocabat, & quum esset supra disciplinæ duritiem, vini, cibi que parcissimus, etiam cæteros æquales suos perenni continentia, & lenitate animi superabat: eratque in eo tanta discendi felicitas, vt quæ alijs essent obscura, vel nimia commentantium subtilitate abstrusiora, ea iucundè rimanti apprehendenti que longè facillima viderentur. Ita paucis annis singulas scholarum classes ingenio & doctrina facillè princeps, secundissimo cursu percurrit. Primum ei dialectici honorem detulerunt, quum nemo esset eius ordinis, qui ei solertia & acuitate disputandi conferretur. Pari quoque fauore apud philosophos, vt sæpius spectata eruditione insignis, ante omnes candidatos lauream promeruit. Porro in mathematicis ei propè vnica contigit laus, quum plerumq; sine præceptore conuolutas earum artium subtilitates, & per se caperet sedulo, & cæteris admirantibus lucidissime recitaret. Ad extremum tantis instructū disciplinis theologi in scholam auidè receperunt, quibus in studijs perpetua cum laude vsque ad senectutem religiose conqueuit, ita vt carptim tamen, & subcisiuis temporibus pontificij iuris decreta perdisceret. Cæterum (quod vnum ei viri elegantes defuisse prædicant), eloquentiæ cultioris flores, et poetarum amœnitates continere erat solitus: siue quod putaret eas sibi aliquid de grauissimorum studiorum autoritate detrahere, siue quod castis, & pijs ingenijs poetarum lusus, prauos mores importare; & religionibus plurimū officere arbitraretur: erat enim seueritate Christiana adeo verecundus, vt nihil nisi sobrium, & pudicum, vel ioculariter auribus admitteret. Eo modo probatissimi nominis fama fruentem Margarita Maximiliani Cæsaris filia, quæ tum Belgis imperabat, sacerdotio parochiali in Hollandia liberaliter honestauit: quod tam sibi inopinatum est visum, quàm postea pontificatus summus, per singulos officiorum & sacrorum ordines euadenti, inexpectatus fuit. Enimvero

uero præclara virtus adeo ei prosperè Fortunam, & principum animos conciliarat, ut quum nihil prorsus ambiret vel appeteret, sed in altitudinem studiorum abditus, sæpe hominum qui literas nescirent, colloquia deuitaret, ad honores et dignitates occultiore vi siderum non inuitari, sed rapi crederetur. Nec multo post ab hæc morum & doctrinæ prærogatiua, suffragiis sacerdotum omnium Louanij in templo maximo Decanus est effectus, qui est in ea vrbe inter sacros homines summæ dignitatis locus. Id quoque sacerdotium aliū honorem secum traxit: Is est in gymnasio præcipue potestatis & præcellentie magistratus, Vicecancellarium vocant, in scholis collegiorum omnium cuncta moderantem. Nam ei professores deligendi, commutandique, & quod est præcipuum, & insigne munus, benemeritos de optimis studijs laurea exornandi cura demandatur, tanquã viro in omni doctrinæ genere peritissimo, qui non temerè quenquam, nec nisi acerrimis è graui iudicio disputationibus excussum, omnibusq; obiter probatū suffragiis, laurea corona, & per amplis priuilegiorum codicillis decoraret. Ab hoc sacerdotio, magistratuq; ditior factus, nihil mox antiquius duxit, quàm Louanij collegium, ut quintum adijceretur, sub Hadriani nomine luculenter ædificare, adiunctis prædijs, quibus studiosi adolefcetes oppressi inopia cū doctoribus alerentur. Grauisimo namque animo, quum Porcij collegij benignitatem agnosceret, priuati beneficii gratiam publica liberalitate reponendam statuebat. Quod adeo supra eius vires Louanienibus est visum, ut non minus ambitiose quàm piè tantæ rei inchoandæ consilium suscepisse diceretur, quando facultates eius, quæ erant mediocres, vix iacendis fundamentis suffecturas appareret. Sed quum parsimonia, & sancta frugalitate auctiores sibi efficeret rerum omnium redditus, adeo ingenti animo cuncta est complexus, ut sibi iam tum amplio-rem, & supremæ quidem proximam, Fortunam prælagire videretur. Ferunt, Bernardinum Caruaialem Hispanum, qui erat inter cardinales autoritate, atque opibus insignis, quum id collegium tam felici ausu cceptum, quàm facili successu operis perfectum admiraretur, quodam ingenuo dolore cõcepto, fortunæ suæ indignantem suspirasse: quoniam id opus ad laudem sempiternam Decanus haud planè diues condere fuisset ausus, quod ipse tantus cardinalis sicuti ab antiquo animi decreto destinasset, nondum inchoare potuisset. Per id tempus Philippus Hispaniæ rex Maximiliani Cæsaris filius apud urbem Burgos morbo correptus interijt: relicto Carolo septenni filio, qui nunc amplitudine imperij, & Augusti Cæsaris nomine insignis rerum potitur. Huic ipse auus Cæsar felici prudentia, cum præceptorem esset daturus, vnum Hadrianum præcipua quæsitum cura delegit, repudiatis qui se ambitione obtulerant, vel amicorum studio producti, ingenium varijs artibus ostentabant. Enimvero ille grauis, & pius imperator non modò lectissimarum literarum magistrum, sed optimorum etiam morum egregium formatorem tantæ indolis & fortunæ puero adhibendum existimabat: quasi eum iam supra Hispaniæ regni hæreditatem, quæ ei materno nomine obueniebat, sibi in imperio successorem fore diuinaret. Dicere enim solebat, turpe quidem esse magno principi nescire literas, sed longè turpissimū his eum moribus atq; virtutibus omnino caruisse: quæ populis & gentibus imperantē, cum eximia pietatis, atq; excellentiæ laude contra superbiam atq; libidinem, & reliquas im-

moderati animi cupiditates inuictum penitus, & incorruptum præstarent. Nec Hadrianus Cæsaris opinionem fefellit, cum nemo ferè ipso solidæ doctrinæ opinione celebrior, nemo sobrietates & castimonie laude ornatior, nemo vitæ modestia, innocentia, religione præclarior haberetur. His enim exactæ disciplinæ præceptis Carolum adolescentē per se natura docilem, ingenioq; pacatum ad has, quas in ipso maximo atq; optimo imperatore impetrata pace, & Francisco Sfortia restituto agnoscimus & admiramur, incomparabiles iustitiæ, probitatis & clementie laudes prouexit: ita vt afflictæ tot malis Italia quum æquissimi & moderatissimi principis beneficio sublatis bellis pacem receperit, in eiusque salutari tutela, nunc primum securè admodum respiret, & periucundè reflorescat, non modò gratissimis votis, Cæsari gratias, vt i salutis & quietis auctori, habendas existimet, sed magistrum etiam pro sua pietate in cælum receptū, qui discipuli animum sanctissimis moribus instruxerit, religiosissimè veneretur: quoniã aliquãto maius, & augustius fuit, optimi, & maximi principis cognomē bonorum omnium iudicio meruisse: quum ea omnia, quæ benigna manu Fortuna præbuerit, eius etiam nunc potestate impotentique arbitrio teneantur: illa verò diuina virtus, qua duce, non modò ad totius orbis imperiū, verum etiam consummata victoriarum laude, in cælum certis partibus contendit, firmissimam possessionē sempiterni fructus, & perennis gloriæ præstare videatur. Desuit tamen Hadriano summa felicitas in excolendō puero. Nam Carolus quum mores in principe literis potiores existimaret, nec his perdiscendis tantum operæ, vel temporis, quantum equorū & armorum studijs impertiendum arbitraretur, deprecante præceptore citius quàm debebat scholam deseruit. Ferunt Carolum Ceuriū nobilem Belgā, qui tum erat nutritius, vt integra adolescentis possessione frueretur, alumnū militares iocos sæpius offerendo sensim auertisse à literis, proptereaq; Hadrianū auctoritate imparem, & natura lenissimū officio facile decessisse: ita tamen vt discipulo per blandè diceret, futurum aliquando, vt eum præsentis negligentie pœniteret. Audiui ego Cæsarem quū Genuæ Latinam orationē à quodam recitatā nequaquā præclare intelligeret, suspirantē hæc verba ingenuo ore protulisse. Agnosco, inquit, nunc maxime, & cum dolore quidē Hadriani magistri mei diuina monita, quum hos flores, & elegantias Latini sermonis percipere nequeā, et meminērim eum sepe prædixisse me aliquando puerilis incuriæ pœnas daturum. Itaq; Ceurio ad summam potentiam contendente, Hadrianus ad Ferdinandum regem in Hispaniam mittitur amplissimo quidem cum munere legationis, nisi ea honoris specie vir æquissimus longius ablegari videretur. Erat eo tempore Ferdinandus animo nequaquā pacato erga regulos vltioris Hispaniæ, quod primo statim Philippi generi aduentu, deserta veteri aula sese ad illius amicitiam recepissent, cum ferè omnes pro sene, & eo quidem genere Catalano, & parum liberali, nouum atq; legitimum regē iuuenta, natalibus, & vitæ splendore maxime florentem, cupidè sequerentur: vsq; adeo, vt Federicus Toletanus Albæ regulus ferè omnium solus integra sacramenti religione fidem seruaret. Quibus procerū studijs Philippus eo sese extulerat, vt socerum planè exutum vltiore Hispania iuuenili quadam alacritate contemnere videretur, maneretq; sola inter eos imago necessitudinis & amicitie, non expressa quidē mutuis officijs, sed in-

nibus

nibus tantum epistolarum & verborum titulis sustentata, tanta quidem vtrinque suspicione, ut quum ad constituendas leges, quibus in regendis provincijs vterentur, speciemque coniuncti animi populis praebandam necesse esset, ut in colloquium deueniret, delecto campestri loco parum familiari habitu, tanquam ad hostilem aciem promotis vtrinque equis sint congressi. Nec multo post Ferdinandus Neapolim nauigauit, ut inde magnam Consaluum abduceret, virtute & liberalitate, suspectisque artibus ad imperium aspirantem. Sed eo in Italiam nauigante Philippum vehemens extinxit morbus. Itaque rebus cum Neapoli, tum in Hispania feliciter confectis, rediens Ferdinandus aliquanto amarior & asperior est effectus aduersus proceres, qui propter intempestiuam ingrati animi leuitatem, intemperanti obsequio noui regis gratiam, veteris maiestatis honori praetulissent. Harum igitur offensionum memoriam Hadrianus ex animo regis opportunissimo tempore deterfit. Erat enim ad temperandas affectiones regis, tum exulcerati, & ad vindictam vergentis ingenij vehementer accommodatus: tum ipsa sanctissimorum morum existimatione, tum suauissimis philosophiae Christianae praecipis, quibus rex ipse prudentiae & religionis laude insignis facile obtemperabat. Regulis eo modo syncera fide ab rege in amicitiam receptis, Derthusensis episcopus fato celsit, in cuius locum iudicio regis & procerum omnium, Hadrianus nequaquam eius honoris appetens est susceptus. Existimabatur enim eo sacerdotio longe dignissimus: quoniam praeter incomparabiles virtutum omnium dotes, se etiam tanto oneri fore imparem, verum recunda reluctance praedicabat, & non modo opes, verum & conspicui nominis amplitudinem, non exiguo, sed modesto animo contemnere videretur. His susceptis episcopatus insignibus, nihil secius in vetere obeundae legationis munere perseuerauit usque ad vitae exitum Ferdinandi Regis, qui cum propter eximiae probitatis atque iustitiae laudem sanctissimi patris loco enixe coluerat. Mortuo autem Ferdinando, quem Carolus nepos summo populorum studio tot regnorum hereditatem adiuisset, remansit etiam tum in Hispania ex legato consiliorum rerumque omnium particeps, & moderator effectus, quantum summa regendae Hispaniae cardinalem Toletanum respiceret. Secutum demum est id tempus, quo Leo pontifex in Umbria difficili bello implicitus, eam cardinalium coniurationem detexit, cuius princeps fuerat Alfonsus Petrucius Senensis. Is enim a Leone patria pulsus, quem vindictae libidine atrox facinus animo ageret, iracundiae suae decretum cum aliquot cardinalibus stultissima linguae libertate communicarat, unde mox indicis nefarii consilij facile deprehensus, ipse in quaestione tortus, & demum necatus infanctae suae poenas dedit: ceteri qui neglecta salute pontificis, tanti periculi consilia minimè detulissent, adempto iure punitae pilei cum ignominia senatu sunt amoti. Fuerunt enim Raphael Riarius & Bendi-nellus Saulius Ligures, & Hadrianus Cornetanus: Francisco autem Soderino clementer ignouit, ne si ob recentem iniuriam senatu motus esset, id veteribus odij dedisse videretur. Ad horum calamitatem senatus reputatione periculi consternatus, cum alienos ab ea seueritate animos in dicendis sententijs ostendisset, pontificem impulit, ut nouis cardinalibus curiam impleret, indignatum, quod parum beniuolo fidelique animo detectae coniurationi crederetur. Ea enim tum videbatur senatorum naturae lenitas, ut plerique in misericordiam versi, nequaquam uti debebant, principis periculo permouerent, et eam cogitati sceleris poenam, non iustitiae, sed crudelitatis nomine.

haud obscuris sermonibus appellarent. Quibus de causis Leo beneficij pariter atq; iniurię natura grauis estimator, vt inimicorum contunderet spiritus, & maiores & fideliores necessitudines sibi, & Medięe familię compararet, vnum & triginta cardinales, vna atq; eadem liberali pronuntiatione in senatum legit, egregio ædepol excellentique delectu, si in vniuersum quisque à morum literarumq; censura spectaretur, nec immodicus numerus seueriorū animos offenderet, qui sacrosancti ordinis dignitatem imminui, & scœdari tanta multitudine prædicabant. In his fuit Hadrianus Leoni quidem antea ab egregia nominis fama planè cognitus: sed tū præsertim Maximiliani Cæsaris literis, & Alberti Pij, Guliermique Edchauordij plenissima commendatione laudatus. Erat hic Guliermus ex eadem inferiore Germania vetus eius familiaris, qui cum pontificia in aula ab ineunte ætate honesta cum laude solertis industrię versaretur, Hadrianum impensè laudare, & doctis sanctissimisq; viris omnibus nostræ ætatis præferre erat solitus. Itaque Hadrianum arridentis Fortunæ prorsus ignarum, nec tale quicquam tranquillo ingenio cupientem, is qui pileum ab vrbe detulerat, operandis sacris occupatum inuenit, ita vt quieta admodum, & lenta quadam hilaritate venientem excipere, nec paulò iucundius, & liberalius tanto munere lætari videretur: qui animi habitus ea moderatione definitus erat, vt nihil ad inuidiam propter fastum, sed propter incorrupti animi simplicitatem ad gloriam omnium testimonio verteretur. Sequenti anno Carolus confirmata cum Francisco rege ad Nouiodunum amicitia, quam iniquis conditionibus impetrasse videbatur, in Hispaniam venit, circumuectusq; per vltiores prouincias, passim ciuitates, & regulos in verba iurantes sacramento adegit. nec multò post Cæsar Maximilianus in Germania moritur. Inde pro nouo Cæsare deligendo, procerum comitia habita, in queis ipse etiam Franciscus Gallorum rex magnis innixus largitionibus pro se eum summi imperij honorem petebat. Sed Germani natura Gallis infensi, quanquam nonnulli præsentip pecunia corrupti, & ingentiū pollicitationum spe inducti labare viderentur, facilè tamen rerum omnium, præterquam publici decoris memoriam abiecerunt, atq; ita Carolus cunctis suffragijs Cæsar est appellatus. Nec mora tanto cognomine auctus, vt necesse erat, quam primū in Germaniã redire constituit, vt de more apertis in campis, & Cæsar & imperator militaribus comitijs acclamaretur. Itaq; eo in Calcos ad Columnas Herculis antiquum portū, vt inde per Oceanum in Germaniã nauigaret, contendenti, Hadrianus cū imperio toti Hispaniæ præficitur, tanta cum dignitate, vt Cæsar recusantē, & præoptantē sequi humanissimis precib; vt manere vellet, exorare cogeret: quando rege absente in Hispania præside opus foret præclarę dignitatis & famę, qui populos nequaquã adhuc parēdi obsequio confirmatos, omnib; moderationis atq; iustitię exemplis in officio cōtineret. Verum Hadrianus, vel ob id in Hispania remanebat inuitus, q̄ alienæ improbitatis inuidiã sibi viro innocētissimo minimè subeundã esse iudicabat. Erant enim Hispani fermè omnes Belgis ipsis vehemēter irati, qui Ceurius principe atq; authore, ciuitates inusitatis auaritię cōmētis expilassent. Siquidē Ceurius Caroli nutritius, vt ierat in pcuratione rerū omniū cū incredibili authoritate cōstitutus, in vnã eam præsertim curã rapacis ingenij nervos intēderat, vt quanta vis maximè posset signati auri, vel impudēti ratione cogeretur.

cogeretur. Erat enim nouo Cæsari paranda classis, exornandus in Germania exercitus, remunerandique proceres, qui eximia & constanti suffragiorum benignitate, Augusti imperij coronam detulissent. is erat in Ceurio consilij prætextus. cæterum cū omnia apud eum essent venalia, non Cæsarianos modo, sed priuatos etiam oculos inexhausta cupiditate auro replebat, adeo ut passim fœdissimis auaritiæ probris, & maledictis proscinderetur. Oderat Ceurium Hadrianus propter acerbitatem atque insolentiam auarioris animi; & super hæc manebant adhuc vestigia veteris iniuriæ. nam Hadrianus dum Louanij collegium conderet, coniuncti soli non magnam arcam cū atigua domuncula ad maiorem publici ædificij laxitatem & elegantiam, à Ceurio nec æquo pretio, nec religiosissimis precibus impetrare potuerat. Existimabat etiam se in Hispaniam specie honoris fuisse ablegatum Ceuri impulsu, ut Carolus adolescens vno ipsius imperio pro libidine regeretur. Tum verò minimè dubitabat quin & eius quoque opera in Hispania relinqueretur, ut ad arma consternatæ & planè desciscentis prouinciæ, immani æstu & sæuis fluctibus iactatus & absorptus interiret. Nec eum fefellit opinio: nam Cæsare iam adhuc Toleti agente, haud vanus rumor increbuit coniurare in vnū vltioris Hispaniæ populos, & Toleti esse qui Ceurium opprimere cogitarent. Quibus cognitis Carolus Ceurio trepidè suadēte adeo properè cunctisq; inopinantibus, & spurcissima quidem cœli tempestate vrbe excessit, ut nequaquam proficisci, sed præ metu prorsus effugere crederetur. Vbi Cæsar ad Oceanum peruenit, legationes ad conuentū euocantur: & quæ est conuentuum fermè omnium summa, pecuniæ postulantur, quas imperare nefas est, nisi reges ad promerenda ea subsidia, populis variarū rerum immunitates cōcedant. Petebatur autem ab vniuersis, ut ciuitates Belgis præsidibus liberaret, hiq; honores æquissima liberalitate indigenis hominibus mandarentur, namq; officia ita ad quæstum Belgis dono data erant, ut ea demum præsentī pecunia Hispanis hominibus venderentur. Sed Cæsar durior est inuentus, quoniā ea insolenter atq; superbè petentibus, nihil ferè concedendum arbitrabatur. Comminatus etiam fuerat Petro Gironi regulo, qui non dubitasset contumaci ore profiteri, se ostensurū quid in Hispania autoritate clientelisque valeret, postquam Cæsar sibi iniqua lite circumuento, et semioppresso ius dicere recusaret. Cæterum aliquot ciuitatum legati, qui, ut priuatim gratiam & præmia promerent, Cæsari grauiora pecuniæ subsidia petenti propensiore obsequio obtulerant, à ciuibus ignominia mulctantur, nonnulliq; etiam populari tumultu pulsantur. eodem quoq; iudicio Segobieneses legatos suos, quoniam audaciter & fortiter pecuniā se collaturos pernegassent, nisi amplissima immunitatis priuilegia essent consecuti, tanta cum lætitia & gratulatione receperunt, ut honoris causa triumphatium in ore vrbē intrarent. Quibus de causis Hadrianus initiare bellionis maturè opprimenda existimans, aduersus Segobieneses Ronchillium seuum atq; atrocem rerū capitalium præfectū, cum ala prætoriana, & cohorte custodum corporis mittit: à regulis etiā proximis auxilia implorat, quibus discedens Cæsar ipsum totius Hispaniæ præsidem creatū vehementissimè commendarat. Verū Ronchillio Segobienium agrū deuastante, et commeatus è proximis oppidis in vrbem importari prohibere, ut fame subigeret, Toletani & Salmanticensis in auxiliū Segobienibus aduolāt, & pulso

Ronchillio obsidionem soluunt. Tum verò Hadrianus ingenti cura angi, euocare beneficiarios proceres, et ampliores copias parare quibus effrenes insanientesque populos ad officium reuocaret. Ante alios Antonius Fonseca Cæsaris partes suscipit, & ad Metimnam campi nobile emporium proficiscitur, vt inde ænea tormenta, quæ regijs armamentarijs seruabantur in presentes vsus educeret: facile intelligens nullam vim vel militarib. copijs: nullamque vel optimo duci inesse auctoritatem, quæ iusto tormentorum apparatu caruisset. At Metimnenses vti planè eodem iudicio publicam causam secuti, fœderatique finitimis, captis repente armis, ne tormenta educantur, egregie resistunt. Id verò minimè ferens Fonseca vir nobilis, & ingenio ferox, vt plerunque fit in turbidis & repentinis casibus, consilium planè audax, et successu longè fœdissimum capit. proximis etenim tectis ignem inferri iubet, vt in summo vrbs & fortunarum omnium periculo, ciues à tuendis tormentis, ad restinguendum incendium seruandamque patriam nequaquam ineptatione euocaret. Sed tanta vesanis obstinatisque animis contumacia inerat, vt tueri tormenta, quàm patriam ab miserabili incendio seruare pulchrius existimarent, adeo vt discedente Antonio, seruatisque tormentis, tanquam victores in ipsis patrie cineribus effuse lætarentur. Ferunt ingentes opes, & pretiosa totius Europæ mercatorum, qui nundinas ibi celebrarent, mercimonia omnis generis, & aromata item Lusitani regis incomparabili iactura conflasse. quæ res sicuti Hadrianum incredibili dolore affectit, quòd tantæ cladi causam præbuisse videretur, ita populos iam suoptè ingenio nequaquam regijs magistratibus parentes ad rebellandum ea veluti accepta iniuria vehementer incitauit: nam haud dubiè totius Hispaniæ opes vno eo incendio absumptæ videbantur. Nec mora singulæ ferè ciuitates præter Bæthicas, in vnum coniurant, copias instruunt, & non obscure, vt erectæ ad libertatem, à præsidibus Cæsaris rebellant: Regium tamen nomen in honore habent, & magistratus tantum odisse videri volunt, à quibus expilati oppressique indignissima paterentur. Ante omnia iudices creantur viri fortes acerrimiq; qui causam populorum cognoscant. Tum verò humillimo cuique fas fuit iniurias deferre, & liberrimè conqueri de impotentia acerbitateque prætorum, qui contra consuetudinem antiquorum Hispaniæ regum populos omneis nulla moderatione vexauissent: ea enim disertè conscripta ad Cæsarem, vt flagitia suorum inspiceret, continuo missuros dictitabant. Erat tum Valleoleti Hadrianus cum senatu regio euocandis regulis et parandis præsijs intentus cum ad eum popularium copia, duce Petro Girone, qui vnus ferè nobilissimi generis à Cæsare defecerat, pacato agmine veniunt: quorum aduentu cognito, senatores metu territi, alij alio habitu, atq; itinere dilabuntur. Hadrianus autem eodem animo vrbe egressus, dum abire contendit à Girone Ioanneq; Padillia sistitur. In summo cum honore verborum eum cohortantur, vt redire in vrbem et conuiuiscere vellet, satis superque enim perspectam esse omnibus Hispaniæ populis ipsius virtutem, innocentiam, moderationem, atque ita ipsum, atque ipsius nomen omni tempore propensissimè colituros: se et tū Cæsaris nomini parere, & perpetuo fidè seruatuos: sed decreuisse benemeritas de regū nomine ciuitates nolle eas turpissimè seruitutis cōpedes diutius perferre, quas auariss. & iniustiss. viri adolescētis regis præsidēs nihil tale expectant.

expectantibus innexuissent. Hadrianus itaque tranquillo vultu postquam ita necesse erat, armatis hostibus paret: Verum dat secreto operam cum sacerdote quodam, ut perfosso urbis muro, qui vetustate oblitus facile terebrari poterat, noctu educeretur: quoniam priuato captoque similis, postquam senatores diffugissent, parum incolumi dignitate, sibi naquaquam diutius permanendum apud rebelles arbitratur, & in proximo Riuosicci oppidum erat Amiranteris reguli, ad quem perfugere cupiebat. Nec multo post omnibus deceptis intempesta nocte perforato muro sese eiecit, conscensisque ad id præparatis equis cum sacerdote in pacatū euasit. Eius fugam Valleoletani quantum grauius tulissent, tamen familiam cum vniuerso apparatu ad eum inuiolatam postero die præclara venerationis atque obseruantię testificatione dimiserunt. Interea Cæsar cognita tredecim ciuitatum defectione, opportuno salubrique consilio, duos summę dignitatis atque virtutis regulos regendę Hispanię præficit, eosque ad persequendos qui defecissent, pari cum imperio duces creat: Indacum scilicet Velasum, qui erat magister equitum, & Federicum Henricum, quem ab ipsa maritimi officij præfectura Amiranterem vocabant. Hi coactis yndique copijs, ad Riuosiccum Egurrorum olim forum, vbi tum erat Hadrianus, cum paucis senatoribus perueniunt, & de gerendo bello consultant, omnibusque consilijs Hadrianum adhibent, quanquam is nouo successorum aduentu veluti abrogata potestate penè priuatus esse videretur: quasi is qui esset externus & Belga, itemque vir sacratissimus & senex, bellicusque penitus ignarus, militaribus consilijs minimè foret admiscendus. Sed singulari humanitate æquitateque ducum facile fiebat, ut pristino honore, & solita rebus in omnibus auctoritate potiretur, ita ut ambo Hadriani domum honoris & reuerentię causa communi quadam benignitate frequentarent. Dum hæc a Cæsarianis ducibus parantur, populares ad summum insolentię prouecti, non modò eos qui à regijs iniurias pertulissent audiebant, & bona spe maturę libertatis implēbant, sed populos etiam nobilioribus regulis subiectos tanquam publici disceptatores causarumque omnium supremi iudices, ut magnis querimonijs iniurias deferrent, inuitabant. quę res importunè mota, procerum omnium animos subito timore corripuit, adeo ut qui modò eius belli tumultusque spectatores esse cupiebant, tam propinquo periculo monerentur, ut sese protinus ad regios conferrent, tempestiuamque inclinatione applicando vires, & promererent gratiam apud Cæsarem, & aduersus populares ditionem & dignitatem suam in tuto collocarent. Eadem de causa Petrus Giro desertis eorum castris ad nobiles se recepit, quo discedente Ioannes Padillia à Toletis, & Ioannes Brauus à Salmantica duces creantur, & ad Tordesillam contendunt. hæc olim fuit Segisama Iulia, vbi regina Cæsaris mater à Philippi coniugis interitu mente commota, in lachrymis, desperatis medicinę remedijs, miserabilem vitam ducebat. Igitur eam ut reginam salutant, suadent ut munia rei publicę suscipiat, & sese aduersus externos præsidet ut Ferdinandi regis filiam deceat, cuncta gubernet. Hęc omnia quum ipsa alacri animo se facturam diceret, & ex interuallo atrę bilis nonnunquam opportuna loqueretur, utpote quę se Cæsaris matrem, ac Ferdinandi filiam tenacissimè meminisset, nequaquam tamen adduci potuit, ut libellis, & codicillis subscriberet, ita ut ea vecordi detrectatione, popularium cōsilijs

magnum incommodum afferre crederetur. Interim Padillia ne ocium tere-
ret, copias ad oppidum Villapandam ducit, cuius discessu præclaram occa-
sionem rei bene gerendæ Fortuna Cæsarianis ducibus ostendit. Remanserāt
cum regina popularium principes, & illi præsertim iudices, ad quorum nu-
tus cuncta gerebantur, exiguo cum præsidio militari. Itaque Velascus &
Henricus opportuno tempore eductis copijs ad Tordesillam aduolant oppi-
dum temere munitum, priusquam Padillia fiat certior atque opem ferat, in-
uadunt & occupant. Iudices ipsi cum magna imbellium popularium turba
capiuntur: diripitur eo impetu oppidum, atq; ipsa etiam reginæ domus. quo
negocio ad momentum summæ victoriæ prosperè confecto, ad Riuosiccum
reuertuntur. Nec multum inde Padillia & Brauushis detrimentis acceptis,
se ipsos colligunt, parandasque maiores copias censent, quibus sese aduersus
regios tueantur. Erant apud oppidum Torum circiter octo milia hominum,
ex his qui pro publica salute libertateq; Zamorensi præsertim episcopo con-
citante, arma ceperant. Zamora autem antiquitus Sarabris fuit, ad hos vt in
vnum iugerentur, Padillia & Brauus motis castris contendunt, & ex itinere
Lupatoniam turrin, quæ erat in ditioe Amiranis, acriter oppugnant. At
regij duces de consilio, itinereque hostium haud inani coniectura iudicâtes,
quin & ipsi protinus copias educerent, nullam omnino consultationi morâ
attulerunt: quoniam magnæ facilitatis arbitrabantur, si hostibus, priusquam
maioribus copijs auerentur, occurrerent. Itaque à Riuosicco cum expedito
tormentorum apparatu obliquis itineribus profecti, nouissimum hostium
agmen apud villam Alariam consequuntur. Erant superiores peditatu popu-
lares, sed eo tamen tumultuarijs armis instructo, & prorsus ingnaro militiæ:
equitatu autem regij superiores erant cum numero, tum virtute: nam quisq;
regulorum secum insignes & veteranos equites adduxerat. Quum in conspe-
ctu utræque acies essent, & regijs antecursoribus abeuntium terga premeren-
tur, & vndique regij toto campo prouolarent, Padillia & Brauus pedestres
copias maturè progredi iubent, ipsique alacriter cum vniuerso equitatu ora
conuertunt, vt dum insultantium impetū à tergo sustinent, peditibus spaciū
detur conficiendi eius exigui itineris ad tutissimum receptum: nam villa A-
laria, vt diximus, erat in conspectu. Cæterum Padillia & Brauus acerrimo
cum primis contracto certamine, dum sese audacter efferunt, & à peditatu te-
merè disiunguntur, intercepti circumuentique à multitudine regionum equi-
tum capiuntur, qua fortunæ iniquitate territi pedites, dum prima acies ad
villam effugit, & postrema victorum impetum non sustinet, toto campo cō-
ciduntur: fugientibus tamen, & ad terram arma proicientibus, non oblitu hu-
manitatis Velascus & Henricus parci iubent: tantus enim pavor amissis du-
cibus militum animos occuparat, vt qui paulo antè ferocissimè atque acerbis-
simè vociferando, regijs extrema supplicia minabantur, puncto temporis a-
nimo conciderent, nec quicquam aliud quam fugam abiectis etiam gladijs
spectarent: ita vt nulla eorum integra manus vti pauore dissipata ex tanta
multitudine in vnum omnino certum locum euaserit. Postridie Hadrianus
prælii campos inuisit, & quanquam sacro homini tot conspectis hostium
cadaueribus non erat exultandum, ea tamen victoria, vel ob id magnopere
est lætaturus, quod nefarij belli duces viui in potestatem deuenissent. Eos Ve-
lascus,

Iulius, & Henricus noxiorum habitu ad ignominiam a sinis impositos per castra circumduci sub voce præconis, & demum iugulari iussere, ut cæteros eo supplicij exemplo deterrent. Ferunt Padilliam æquo pioque animo tulisse eam calamitatem, Brauum verò contumaci ore se proditorem esse pernegasse, ac ob id à licitore virga immaniter fuisse violatum: ad quem Padillia conuersus dixisse fertur, Heri inquit sodes summa virtute nobis depugnandum fuit, hodie autem ea æquo animo subeunda arbitror, quæ fortuna tulit conatibus nostris aduersa: quum nemo nisi parum pius aut insanus ad immortalem Deum in hoc infelici vitæ exitu animum non conuertat. Cæterum vltimis omnium Toletanis vixdum pacatis, bellum Gallicum est exortum. Per occasionem enim tumultuantis Hispaniæ, Asparosius Lotrechij frater Nauaræ regnum inuaserat, occupatoque Pompelone, atque eius arce in potestatem redacta, ad Hiberum vsque amnem arma promouerat. Neque enim vlli humanarum rerum non ignaro dubium erat, quin Cæsari in ipsa occupatione intestini belli aliquod sæuum vulnus inferretur. Sed Fortuna quæ eius rebus effusissimè semper fauit, sublatis discussisque periculis, longe secus ac sanus quisquam putasset, cuncta opportuna atque facilia ad victoriam parauit. Nam populi qui dudum ad fidem redierat defectiois infamiam egregia voluntate, & illustribus factis diluere cupiebant cohortantibus ducibus regijs, atque ipso præsertim Hadriano passim concionante facile contra Gallos arma verterunt: qui certè nisi magnis laboriosisque delectibus latè habitis, magnaque imperata pecunia exciri, armarive in ipso ocio minimè potuissent. Itaque valido exercitu Hiberum properè traducto, hostes in Nauarræ finibus adsequuntur. Galli tum fortè à Grunio, quod antiquitus Iuliobriga dicebatur, ad Pompelonem modicis itineribus sese recipiebant, utpote qui de calamitate popularium, regionumque victoria certiores facti, in tuto sistenda signa, & Pompelone expectanda auxilia priusquam de prælio decertarent, arbitrabantur. Sed quum eorū inordinatus, & segnis admodum esset receptus, Velascus & Henricus transuersis & asperis tramitibus progressi, ita eorum iter celeritate in paucis miliaribus adæquarunt, ut à fronte viam que ad Pompelonem ducit, occuparent. Nec mora, collatis signis pugnari cœptum, & ab initio quidem felicior Gallorum equitum irruptione, qua Cantabrorū cohortes protritæ, fugatæque fuerant: sed vbi Hispani expansis equitum alis à tergo & à lateribus sese intulere, & peditum promota sunt signa, Gallicæ turmæ, & Vasconum cohortes numero valde inferiores sustinere nequiverunt; quin sese in fugam præcipiti cursu mandarent. pauci in acie, multi in fuga cecidere: aliquos etiam præaltæ segetes in fuga prætexerunt. Asparosius dux ipse collisa ferreis clavis galea vehementissimè sauciatus in potestatem Beomontij reguli deuenit. captus est & Tornonius qui pari propè cum imperio copijs præerat. Cæterum Beomontius Asparosium non multo post carcere emisit, ut creditur, pecunia corruptus: cuius admisi sceleris pœnas postea iudicio Cæsaris exilio, si non capite, persoluit. Tornonius autem apud Hadrianum, et duces in libera custodia est retentus. Ea victoria feliciter parta, omnes Nauarræ regni oppidorum atque urbium portas Cæsarianis aperuit: atque inde demum Hadrianus ad urbem Burgos est reuersus, exardentemque bello cum in Belgica, tum in Italia aduersus Gallos, occupatoque in ora Cantabriæ à Gallis

Pontefabido, operam dedit, vt nulla in re Cæſar, aut diligentiam aut fidem omnino deſideraret. Interea Leo pontifex leui ab initio, & ferè contemnenda, ſed mox vehementi atque mortifera febre inopinantibus medicis extinguitur. Tum vero cardinales iuſtis nouendialibus deſuncto perſolutis, ad comitia coeunt: aduenerat Mediolano mutatis ad celeritatem iumentis Iulius Medices, qui pulſis Gallis, apud exercitum erat legatus. Is magnis opibus & clientelis inuixus, recentique fama rerum proſperè geſtarum, & prudentie ciuiliſque modeltiæ nomine commendatus, ante omnes pontificatum petebat, traxeratque in partes ſexdecim cardinales, in queis plerique erant iuniores: qui vel ob id ardentius atque expeditius Iulio fauebant, quòd pro ſe ipſis minimè petendum arbitrarètur, & gratiam apud nouum pontificem præclaro maximè ſtudio, apertisque ſuffragijs omnino parandam exiſtimarent. At ſeniores, quorum plures erant candidati, quanquam duplici ferè numero cæteros ſuperarent, multis tamen de cauſis vt pontificem declararent adduci non poterant, priuatis ſcilicet implicati votis, & varijs factionibus impediti: ita vt nequaquam in vnum ſincera voluntate conſulerent: & ſæpè ad alium atque alium magnis ambitionis fluctibus voluerentur. Sed vnum, & certum ſenioribus deteſtabili conſilio coniuratis decretum erat, nemini niſi ex ipſo ſui corporis ordine ſuffragari, quòd ætatis honore, & opinione virtutis iunioribus præſtare viderentur. Id porro magnas afferebat difficultates, quo minus pontifex libera voce diceretur: nam quiſque ex ſenioribus ſuo ambitu inductus, quum ad pontificatum aspiraret, in eo vehementiſſimè laborabat, vt oſculta mutui ſuffragij pactione alios atque alios ex iunioribus ſibi obſtringeret, daretq; operam fallendo atq; infirmando alienas ſpes, vt in multos dies comitia proferrentur. nam ſi primi competitores repulſam ferrent, nemo erat adeo maculoſus & degener, qui ſibi ipſi nõ blandiretur ad petendum, & certam ſpè minimè collocaret in ipſa ætatis vel doctrinæ prerogatiua, aut in vſu rerũ & generis claritate. Ea enim eſt ambitioſorum natura mortalium, vt quum ipſi nulla inſigni dote præſtantioris ingenij ad laudem emineant, aliena vitia in cenſu tãquam proprias virtutes adnumerent. Igitur plerique inimicos probris, & falſis ſæpè calumnijs onerabant, vt cæteros a ferendis ſuffragijs prætextu pietatis deterrerent: adeo vt non modò malignis ſuforris in ſacroſancto cõclau, verum & per urbem ſingulorum mores famoſis carminibus notarentur, tanta maledicendi libertate, vt populus pariter, et magiſtratus, quos ſeuere poena perſequi debuiffet, vti iucundiſſimos poetas ſingulari petulantia celebrarent. Ea res foediſſimè tolerata, exiſtimationẽ ſacroſancti ordinis magna ex parte conuellit: effecitque vt ſacerdotum nomen paulò antè in prouincijs auguſtum & venerabile, deſpectui & ludibrio penitus haberetur, quum ea carmina contumelioſiſſimè conſcripta, ad extremas vſque totius Europæ nationes permanarent: à quibus non multò poſt tã atrox & mortiferum id acceptum eſt vulnus, quo omnes, capta ac direpta vrbe Roma, dignitate & fortunis exuti turpiſſimè concidimus. Prodierat candidatus antè alios Bernardinus Caruaial Hiſpanus ſenatus princeps: qui quũ vel demiffè prehensando apud ſurdas aures nihil proficeret, facile repulſam tulit. nã per ſe quiſq; Cardinaliũ ab illa valde funeſta & propè execrabili Alexandri Sexti memoria, Hiſpanici nominis ingenia perhorrebat: & ipſe quanquã probe

probè eruditus et grauis, quòd à Iulio pontifice excitato schismate descuiisset, recentis adhuc ignominiaè notam præferbat. Secutus est Alexander Farnesius, magna Romanæ nobilitatis & optimarum literarum præsidia secum ferens: is vti nemini inuisus, nec omnibus gratus, non multum absuit à summo, quod petebat, honoris fastigio: nec hæsisset in cursu, si ad suffragiorum numerum, quem sperauerat tenorem, in accessibus esset consecutus. Siquidem Iulij Medicis nutu auctoritateque iuniorum suffragia regebantur, cuius id vnum erat summæ prudentiæ consilium, vt neminem, qui gratia pollere videretur, suorum suffragijs iuuari permitteret, ne quid temere vel imprudenter admitteretur, quo sibi eripi posset is honos, ad quem tantis studijs atque opibus, & fatali, sed nõdum matura felicitate, contendebat. Ab hac dissensione senatus vtrinque magis & magis studia accendebantur: nam vtraque pars quum in tanta spe sitique obtinendæ vel trahendæ supremæ dignitatis estuaret, si ab altera vinceretur, calamitosum & turpe maximè fore existimabat. Nec quisquam adduci poterat, quin alienæ constantiæ exemplo contumacissimè persistendum censeret. Ita vt liquidò constaret, neminem posse pontificem creari, qui iunioribus, & Iulio minimè placuisset: quoniam ex ordine seniorum nemo reperiebatur, qui se eò honore non dignum putaret, & id studio & præcipiti liberalitate, alteri vel amicissimo concedere vellet, quod priuato ipsius merito, aut ætati, in aliena præsertim altercatione, facile tribui posse videretur. In comitialibus enim superiorum temporum procellis nonnunquam accidebat, vt senatores commutata voluntate, non ad eos, quos antea certis animi decretis euehere destinassent, sed ad obscuros & minimè ambitiosos homines repentino veluti turbine raperentur. Præter hæc, due etiam subortæ factiones Cæsari aut Gallo fauentium: quibus de causis fiebat, vt tota suffragiorum ratione conturbata in plures dies ipsa comitia fremente populo traherentur. Ob id Farnesius quum aliquandiu diligenter ambiendo, & plures sibi amicos adsciscendo, patres ad suffragia vocare, & gratiæ fortunæque suæ periculum facere decreuisset, vt Cæsarianorum certiore studio vteretur, Manueli Cæsaris legato fidem obstrinxerat, tanquam Cæsari eo datæ fidei pignore nunquam defuturus, si eius auspicijs pontifex esset effectus. quæ res nequaquam feliciter occultata, ab eo Gallicæ factionis aliquot cardinales protinus auertit. Sed Medices qui tametsi hominem probaret & coleret, eum tamen sibi minimè præferendum iudicabat, illius spes facile constantia sua præcidit. Et hercle supra omnes insigni studio erga Cæsarem præcellebat: vt-pote qui dudum spectatis operibus, belloque aduersum Gallos præclare suscepto, opes suas & dignitatem cum Cæsaris fortuna miscuisset. Hæc tanta & semper illustri existimatione, & certissimis amicorum studijs fretus, ita iuniorum suffragia moderabatur, & seniorum vota flectebat, vt iam non mediocri inuidia conflagraret, quòd per eum impotenti quadam ambitione comitia retardantem stare videretur, quominus aliquis probatus & insignis senex libero omnium voto pontifex diceretur. Itaq; seniores ad Medicem legatos mittunt Antonium Montanum iuris scientia illustrem, & Thomam Caietanum sacrarum literarum studijs longè clarissimum. Hi meditati orationibus orsi à religione, pontificatum cælo dari non humanis studijs dicebant: propterea debere ipsum pertinaciæ finem imponere, & restitutus in libertatē

iunioribus æquo animo pati, vt tandem aliquis ab ætate, moribus, & doctrina probatus, etiam si ex omni parte minimè placeret, pontifex crearetur: vt is Christianis sacris præesset, qui non malis artibus, sed commendatione virtutis eueheretur. Prouectis enim ad sanctissimam sedem nequaquam amicis & fautoribus, sed Dñs immortalibus habendas esse gratias: quandoquidem pontificatus semper calamitosus & infelix extitisset ihs, qui vi contendendo contra leges ambitus, illum inuitis melioribus essent consecuti: ad futurum pro certo cœleste numen in suffragia euntibus, si cardinales rerum omnium præterquam veræ pietatis obliuiscerentur. Ad ea Medices grati, & moderato sermone respondit, nulli magis quàm ipsis eas adhortationes conuenire, qui nefaria cõiuratione inrita, iurare minimè dubitarent, nemini nisi ex ipsorum seniorum corpore suffragia duros: non deesse apud iuniores omni virtutũ prærogatiua dignissimos, qui expetita senioribus ex æquo mererentur, quos eo summæ iniquitatis decreto, & detestabili secessione ad contumeliam notatos alienassent: neque se, qui tamen si exquisitis literis abundè non sit instructus, nulli vnquã vel moderatione, vel iustitia, vel pietate, vel senatorijs officijs, vel clarissimis erga rempublicã meritis esse concessurum. Ad hæc etiã liquido constare, quanta fide, quantaq; propensione, & frequentia gratissimorum amicorũ confirmatus, id petere, & sperare posset, quod tamen ad declarandam animi temperantiam alteri concedere paratus foret: propterea se nominaturũ virum insignem, vt se illo inuidiæ & ambitionis onere liberaret, & præclara voluntate reipublicæ Christianæ consuleret: quòd si is à senioribus minimè probaretur, tum verò manifestè eorũ consilia obtrectationis, & cæcæ malignitatis plenissima nudarẽtur. Ab eo colloquio quũ esset discessum, Medices prolixè cum iunioribus disputando constituit, vt postero die Hadrianus cardinalis Derthusensis, conscriptis in eius nomen syngraphis, in comitio nominaretur: quoniam is esset omni pietatis & continentiæ laude conspicuus: nec Cæsarianas partes deserturus esse videretur, quibus ipse vehementer esset implicatus. Erat enim ei magnopere timendum, ne si Gallus noui pōtificis studio bellum in Isubribus renouaret, Placentia & Parma vix dum receptæ atque ægrè per interregnum defensæ vrbes protinus amitterentur, & subinde ipse vt bellii socius Florentina patria pelleretur. Iam enim Franciscus Maria Feltrius Gallicis instructus auxilijs, Vrbinum secundissima populorũ voluntate, electis Florentinis magistratibus receperat. Malatesta quoque Baleonus qui tum cum laude apud Venetos militabat, cum Horatio fratre in Umbriã delatus, paternis amicis ad arma excitis, pulsusq; Perugia Gentile patruo, & Virellio Tifernate, Pauli patris necem vlturus esse videbatur, quem Leo pontifex in mole Hadriani biennio antè capitali supplicio affecisset. Nec deerat in agro Romano Rentius Ceres, qui pro Gallis cohortes conscriberet: coniunctisq; cum Baleono & Feltrio copijs bellum atrox Senensibus, & Florentinis se illaturum, tanquam Gallorum hostibus minaretur. Hæc omnia per notas arbitrarias angustissimè conscripta, syngraphis inter fercula sedulo occultatis, intra comitia & conclaue Iulio Medici quotidie nunciabantur. Quibus rerum grauissimarum periculis adductus, nequaquam diutius in comitio perseuerandum arbitratur, ne dum incertam spem adipiscendi pontificatus obstinatius sequeretur, præsentem dignitatẽ, quæ erat amplissima

& re,

& regnum item Hetruriæ togatæque Galliæ ditionem, in qua ipse legationē obtinebat, in manifestum discrimen deuocaret. Super hæc tenuissimam quoque spem vel ob id conceperat, quod certam fidem, vti optimo iure antea sperauisset, in quibusdam cardinalibus minimè reperiēbat, quos præsertim ipso enixè flagitante, Leo pontifex in senatum legisset. Ii erant autē alios Scaramutia Triuultius, Pompeius Columna, Dominicus Iacobatius, Baptista Pallauicinus Ligur, & Raimundus Vicus Hispanus. Itaque Medices desperato vel neglecto pontificatu Hadrianum nominat: iuniorum suffragia perpetuo syngrapharum tenore illi fauent: subit cunctos admiratio ad inexpectatum candidati nomen. Tum verò Thomas Caietanus ad proximos conuersus: Ergo inquit pedibus in sententiam accedamus, vt postquam Dñs ac hominibus placet, vir sanctissimus omnibus numeris Christianæ virtutis insignis pontifex creetur. Nec mora, plerique tactis religione animis alacres accedunt: alij cunctabundi, qui nec eius nomen audiuisent, erectè ramen ac veluti præsentī numine impulsī spes suas abrumpunt, & rationum suarum obliuiscuntur, Hadrianumque Derthusensem pontificem renunciant. Vnus omnium Franciottus cardinalis Vrsinus, vt suffragio accessu ve iuuaret, adduci non potuit: quoniam nefas esse diceret, eum Christianis sacris præficere, quem non vidisset vnquam, nec ab opinione virtutis planè cognouisset. Cæterum exultante Iulio Medice quasi vicisset, quod ab inimicis minimè superatus animum ingenti cura liberasset: alij ferè omnes deformi quadam molestia deiecti & tristes ægris animis reputabant, quis nam rerum exitus esset futurus, postquam amisso è manibus pontificatu, eum hominī externo, nulli ferè cognito, & procul agenti in extremis terrarum oris præcipiti temeritate detulissent. Id verò populus adeo indignanter tulit, vt quum patefacto conclauī cardinales domum redirent, passim maledictis inceslerentur, quod infamibus comitijs non modò urbem Romam suo antistite orbatam prodidissent, sed quod infantiæ proximum videretur, Italiam etiam pontificatus honore spoliassent. Erat enim opinio statim edita in vulgus, pontificem neglecta Roma, vi aut sua sponte permansurum in Hispania, aut enauigato protinus Oceano Germanos esse petiturum, vt ad immortale decus gētis sacrorū princeps in terra patria conspiceretur. Ad aperto conclauī quum globus cardinalium Hadriani pontem esset præteruectus, & opifices, puerique minacibus oculis, voceque & manibus obstreperent, nec à fœdissimis probris abstinerent, Sigismundus Gonzaga cardinalis renidenti vultu his agit gratias, quod aduersus extrema supplicia meritos contumelijs essent contenti, nec lapidibus publicam iniuriam vindicarent. Nec multo post cardinales, ne quid detrimenti respublica pateretur, triumuiros autoritate pontificia cōstituunt: qui menstruo cum imperio ex triplici senatorum ordine sorte ducti, pacis & belli negocijs præsent. Ii in Vaticano pontificia in parte ædium cuncta administrabant. Interim tabellarij cum priuatis literis per Gallias, & Pyrenæos saltus ad Victoriā Vellicam Cantabriæ urbem tertio decimo die peruolarunt. Redibat tum fortè Hadrianus à Federico & Henrico Amiran- te, quem ægrotantem inuiserat: itaque tabellarij ædium scalas conscendenti ad pedes prouoluuntur, eumq; porrectis literis pontificem salutant. Ille nihil ad tanti nunciij nomen vultu animouē commotus paulum substitit, & cū

tabellarios ab osculo pedū auerteret, conuersis ad amicos oculis, Si vera sunt, inquit, quæ nuntiantur, mihi profectò plurimum est dolendum. Nec mora, exultantis & salutantis populi turba, atrium, porticus, atque ipsa etiam superiora conclauia replentur. Ingruente verò nocte nobiles equites, vti in publica lætitia decuit, Maurorum habitu vibratis funalibus decurrerunt. Verum Hadrianus nihil propterea, aut de corporis cultu, aut de pristina vitæ consuetudine sibi mutandum esse iudicauit, quum prius expectandas à senatu literas arbitraretur, quàm quicquam vel muneris vel habitus de pontificia maiestate, vti præpropere leuique similis, vsurparet. Erat enim non fastu aliquo, vtijs plerunquæ accidit, qui in secundis Fortunæ flatibus facile contumescunt, sed à simplici morum nitore stabilique vitæ continentia grauissimus. Siquidem literæ conscriptæ erant à Gerundensi episcopo haud planè graui & certo authore, quibus ille ad promerendam gratiam, pontificatum omnibus suffragijs ei delatum effusè gratulabatur. Sed omnes erecti erant in expectatione literarum quæ à cardinalibus cum senatusconsulto electi pontificis in Hispaniam mitterentur. Obstabat mare hybernis tempestatibus fauuum, infestisque per omnia littora Gallis prædonibus interclusum, Pyrenique saltus iuga cum præaltis niuibus tum perpetuis Gallorum custodijs tenebantur: adeo vt quum tredecim dierum spacio nihil ad confirmandam tantæ rei famam penitus adferretur, iam de ea re plerique dubitarent, quasi Galli hostes fictitijs literis ad eludendam hominis dignitatem totum id commentum in Hispaniam deferri curauissent. Cæterum ipse, mirum dictu, ea omnia de se vti Romæ acta erant, ab initio constantissimè credidit, quasi ab oraculis fatidicarum virginum edoctus, quæ tanto rerū euentu promissis fidem attulissent: siue exactissima syderum scientia, qua plurimum iuuenis oblectabat, in opinione confirmatus, quum in genitura à sede planetarum admodum felici, stella etiam eximie magnitudinis in horoscopo ad ipsam finitoris lineam præclara summæ fortunæ denunciatione præfulgeret: adeo vt Acredio medico anxie nimis, & tristi fronte, tantæ moræ spacium per singulos dies vti spe deposita, supputanti, dicere non dubitavit, vt in spe concepta permaneret, neque amplius eo literarum desiderio torqueretur: se enim Dei optimi maximi beneficio creatum esse pontificem, & breui fore vt ab ipso in sede principis apostolorum in vrbe Roma sub illa solemnī tiara conspiceretur. Interea a Cæsarea augusta os mandibule Diui Lamberti martyris ad eum pro insigni munere delatum incredibili cum lætitia suscepit. id enim antea vel assiduis precibus impetrare nequiuerat, quamuis id Leo pontifex ab ipsis Cæsareaugustanis sacerdotibus per epistolam flagitasset: & Carolus Cæsar eos ad communicandas sanctissimi viri reliquias etiam atque etiam hortaretur. Hinc est illud per facetum Hadriani dictum ad familiares languidiore spe in ea tristi moraliteras de pontificatu ab vrbe prestolantes, si nō vobis, arri dēdo inquit, sed mihi ipsi futurus eram pontifex. mihi quidem amplius non est opus tanta summi honoris potestate: quando iam Diui Lamberti reliquias (quod vnum in tota vitā vehementer optauerim) vel ad falsam delati pontificatus famam felicissimè sim consecutus. Inter hos ambiguae spei sermones, quum per tredecim dies tota eius aula, & omnis ferè Hispania suspensis animis versaretur, cœnantī superuenere nuncij ab vrbe Roma, qui literas à triumuiris cum senatuscon-

tus consulto ipsisq; comitorum actionibus deferebant: quos tanta animi tranquillitate suscepit, vt perlectis literis, atque his quod honestè conscriptæ viderentur, pacata voce, & leni capitis nutu laudatis, nihil plus sit locutus, quam vt nuncios tanquam de via fessos ad quietem hortaretur. Adeo vt in eos sedati animi habitu frigidioræque lætitiæ Vianesius Albergatus, qui à Leo millus sacerdotum defunctorum hæreditates in Hispania colligebat, indignanti similis non obscura voce dixerit: Renuatur ergo hic summus pontificatus, postquam tam lenta hilaritate suscipitur. Petebat senatus, vt postquam legitimis omnium suffragiis pontifex esset creatus, de se benemeritos cardinales diutius frustrari nollet, paratisque ad nauigandum rebus omnibus in Italiam primo quoque tempore maturaret: vt quod Deo Opt. Max. senatuiq; deberet, opportuna ope afflictis Italiae rebus maturè allata, religiosè solueretur. Ferunt, Hadrianum, vti ipse postea testatus est, ea nocte diu mente ambigua voluisse, an pontificatum susciperet: nullaque grauiore de causa inductum suscepisse, quam vt Dei optimi maximi nutibus obtemperaret, postquam aspirante cœlesti numine ab ignotis hominibus tantus honos offerretur. Apparebat enim ipso recusante, Christianæ reipublicæ dignitatem dira dissensione cardinalium conuelli penitus, & ad non dubium interitum fœdissimè lacerari: quoniam instauratis comitijs exitioso diroque schismati materia præberetur. Nolebat etiam vti Cæsari deditissimus, recentis eius victoriæ cursum impedire: nam Gallos Leonis morte plurimum exultare, sublatisque animis in spem noui pontificis, qui partibus adesset, bellum in Insubribus renouare didicerat: quæ omnia abrupta spe pacis atque concordia ad conturbationem humanarum & diuinarum rerum proculdubio pertinerent. Igitur sequenti die stolatus in publicum prodit: calciamenta aureis crucibus exornat: salutanti turbe omnis generis hominum exosculandos præbet pedes, desumptoque Hadriani Sexti nomine, id confestim in publicis libellis literisque præscribit. Tum verò finitimi populi ad constantem famam creati pontificis Victoriam vndique conuenire: vteriores trans Hiberum amnem gentes pia quadam hilaritate postpositis rebus omnibus ad iter excitari: quoniam (quod tum rarissimæ felicitati datum videbatur) ab vlla maiorum memoria pontificem in Hispania nunquam vidissent. Ipsi reguli insignes, natura admodum pijs atque magnifici, opulenti que item sacerdotes, & episcopi imprimis nobilium ciuitatum inter se ambitiosa liberalitate certabant: nam quisque munificentis studio in sacros præsertim vsus sese regalibus donis onerabat, quibus apud pontificem optimæ gratulationis nomine ad parandam gratiam vteretur. Nec defuere etiam pleræque matronæ nobiles, & sacratae virgines cœnobiorum septis inclusæ, quæ linea omnis generis elaborata pictis operibus, & ad cultum pontificis, & in sacras vestes ornamentaque altarium cupidissimè conferrent. Iamque Hadrianus vel ipso comitatu, vel aulæ frequentia, vel instrumentis omnibus in augenda maiestate ad augustiorem pompam exquisitis, Romano, atque ornatissimo pontifici simillimus erat: quum ad Cæsare augustam contendit, ipse purpurea in sella succollantibus Hispaniæ regulis, effusa obuiam ingenti equitum multitudine, urbem est inuectus. Venerat tum Alexander Cæsarinus cardinalis ab Vrbe, qui pontificem sacri senatus & Romani populi nomine vehementer impellebat ad nauigandum, vt Italiam

atrocibus bellis, et in primis Romani pontificis provincias ab ipsa factionum infamia caedibus ac incendijs expositas matura profectio liberaret. Quum esset Cæsareæ augustæ, libido ei incessit ab singulari pietate inspiciendi diui Lamberti cadaueris, è quo paulo antè, vti diximus, mandibulam dono missam tam læto animo suscepisset. Itaque loculum & ossa cupidissimè, & cum eximia quidè veneratione contemplatus est: quæ res in prodigium continuò versa, quoniam primū ipsius operum cadauer extitisset, famā præbuit, eum cito inter mortales esse desitutum. Quam etiam portenti suspiciōnē auxisse visa est lampadis, crystallus in templi mediò ante aram temerè effracta: ob cuius casum, & ipsum pontificem, & qui circa erant solemniter in veste sacerdotes, lucernali oleo fœditissimè conspersos constat, ariolis id totum ad funesti omnis interpretationē facillè trahentibus. Cæterum Hadrianus cū pio tum egregio consilio in vnam eam curam corpore atque animo erat intētus, vt quamprimum Romam relicta Hispania nauigaret. Quamquam plerique Hispani nobiles summis precibus, & ingentibus promissis eum in Hispania retinere conarentur: Henricusq; Britannia rex cum ad se religiosa cōtentione in insulam euocare perseveraret, pollicereturque viaticum regia munificentia venienti pariter: ac demum quā aliquot dies in Britannia substitisset, per Germaniam ad Urbem in Italiam profecturo. Sed nihil hæc in tam pia q̄p̄ decora propositi seueritate permanentē omnino morabatur, quin ipse spes omnium, vti parum honestas, sanctissima castigatione præcideret, & per Derthusiam, in qua vrbe ipse fuerat antistes, Tarraconem ad mare deferretur, vbi classem exornarat, contractis vndecim triremibus, & nauib. triginta onerarijs, quibus presidariæ cohortes decem & totius aulae comitatus imponeretur. Expectabat etiam Ioannis Lusitanie Regis naues aliquot à Gaditano freto, atque item nonnullos terrestri itinere equites, vt aliquanto maiore nobilioreq; frequentia nauigaret. Verum hæc diutius non esse expectanda iudicauit, quum Cæsarem è Germania in Hispaniam redeuntem ad portum, cui in Asturia Villæ Vitiosæ nomen est, felici nauigatione peruenisse cognouisset. Nolebat enim à Cæsare vel retardari, vel omnino in Hispania retineri, quanquā nihil ei foret optatius, quam Cæsarem vbiq; victorem, & dudum à Germanis Imperatorem appellatum cōspicere complectiq; arctius, ac item coram docere, quo in statu singulae totius Hispaniæ provinciæ relinquerentur. Sed se, vti pius & grauis, iam planè pontificem esse meminerat, & propterea publicæ personæ rationibus potius quam priuatae beneuolentiæ seruiendum arbitrabatur, vtpotè qui statim repudiatis minorum negotiorum officijs, rerum omnium cogitationes ad pietatem publicamq; salutem prudentissimè reuocaret. Cupiebat etiam sese confestim eripere ab ea ingentis inuidiæ procella, quæ sub aduentum Cæsaris sibi vni multo grauior, quam cæteris magistratibus imminabat. Erat enim in eos seuerè animaduertendum, qui in tumultuosissima populorum defectione, perturbata vniuersa ferè Hispania à regio nomine rebellassent. nam si eorum nomina deferret, & in tabulis ad cæteros metu liberandos proscriberet, nolebat eos ipsius potius quam magistratus iudicio damnatos videri, quos Cæsar, vti æquum foret, ex merito ad pacandas provincias esset percussurus: Quando ad sanctissimi pontificis opinionem piè & clementer dictis factisque omnibus retinendam, nihil melius atque

atque præclarius foret, quàm à miserorum supplicijs, atque omni cruenta severitate inuiolatum atque purissimum animum seruauisse. Itaque scribit ad Cæsarem ut eas colloquij spes abijceret, et uti pium iustumq; principẽ deceret, æquo animo pateretur, si ipse grauissimis de causis incitatus, omnib. postpositis rebus, quamprimũ in Italiam nauigaret: ibi enim cuncta bello deflagrare, populosque præsertim pontificiæ ditioni subiectos, per se factionibus implicitos obnoxiosque potentiorum iniurijs vexari passim, & vagantibus externarum gentium armis crudeliter euastari. nec populum Romanum, qui suo principe esset orbatus, nec sacrosanctum senatum, qui delato pontificatu tantum de se iudicium fecisset, & spes suas in externi hominis fide collocare minime dubitasset, deserendos videri; quando nihil turpius esset futurum, quàm eorum opinionem fefellisse, qui vni probitatis atque iustitiæ nomini famęq; ante periculum, non minus pię, quàm benignè credidissent: proinde ut maturo aduentu benemeritis de se cardinalibus gratiam referret, dum per lenissimas tempestates mare esset idoneum, continuo ab Hispania soluturum, daturumque operam, vbi primũ in Vrbe confedisset, ut Cæsariani duces aliquanto opportuniore maioreque studio, quàm si in Hispania moraretur, aduentus sui beneficium sentirent. Nec multo post commonefacto sæpius senatu, & Guliermo Enchauordio ob spectatam fidem negotijs in vrbe præposito, circiter quatuor milia peditum & paucos equites nauibus imponit, administrante Ferdinando Andrada, quem copijs & classi præfecerat, vel ob id quod sub magno Consaluo ante viginti annos in Italia cum eximia laude militasset, pridieque Nonas Augusti Tarracone profectus lenissimis tempestatibus Genuã peruenit. Exceperẽ aduenientẽ Genuenses cum pię, tũ liberaliter, quanq̃ ab recenti calamitate direptæ vrbis, neq; apparatu, neq; animis vllam omnino lætitiã ferrent. Erat tum princeps in ciuitate Hieronymus Adurnius, virtute animi & bellica laude insignis, qui dudum expugnata arce Gallicum præsidium expulerat. is ingentia dona recentis præcipuẽ comteatus cum publico ciuium, tum suo etiam nomine pontifici detulit, quæ tanta fuisse, ut Hadrianus quasi non omnia oculis planè contemplatus, singularum rerum indicem deposceret, ut grato ad eius officij memoriã animo cuncta consideratius æstimarentur. Aduenere etiam à Mediolano ipse Franciscus Sfortia, Prosperque Columna, & Ferdinandus Piscarius, ut de statu rerum Italiæ explicando & communicando sociorum atque hostium consilia, ipsum earum rerum non planè peritum acuratè perdocerent. Quum triduo Genuę substitisset, celebratam illam smaragdum excavatam in hexagonium poculum, quæ vna omnium gemmarum pretiũ superare existimatur, tam cupidè quàm humaniter inspexit, miratus quod in tumultu direptæ vrbis seruari potuisset. Ab Genna demum in Delphini portum, atque inde secundissima nauigatione, comitantibus Adurniorum triremibus, ad Liburnum Pisānum portum est deuectus, quod iam venerat Iulius Medices, quinque Cardinales, & totius Italiæ principum legatos secum adducens. Superuenit & ipse Federicus Gonzaga Mantuanus pontificij exercitus imperator. Itaque extructo ligneo ponte, qui in mare prominebat, atque eo festa fronde & pictis insignibus exornato, inter magnas acclamãtis populi gratulationes, & tormentorũ

bombos excipitur. Is primo statim egressu peruenuit totius corporis habitu, omnium oculos simul atq; animos impleuit: erat enim ore probo, graui, verecundo, ab sancta quadam hilaritate valde conspicuo, venerabundis autē cardinalibus, & felicem aduentum enixè gratulantibus, Florentinisque legatis, qui ingentem copiam rerum esculentarum ad alendum aulæ comitatum recreandosque remiges dono attulerant, tranquillo potius quàm læto vultu, & sermone dulci breuitate periucundo respondebat: ita vt quum nulla in gestu aut verbis familiaritate vteretur, nihil temerè, quod esset elatum, & insolens, aut subagreste penitus emineret. Id solum cardinales & reliquos blandimentis Romanæ aulæ assuetos vehementer permouit, quod pontifex parum humaniter, & ferè contemptim secum agere videretur. Nam quum solus cœnasset, & nauæ vtendum nocturna aura suaderent, adeo cupidè & festinanter ad mare se proripuit, vt cardinales in proximo simul cœnantes nec moneret, nec expectaret: itaque omnibus raptim ad triremes contendentibus, de secunda vigilia oram soluit, & ad Centumcellas est prouectus. Ibi affuere à senatu missi Pompeius Columna, & Franciotus Vrsinus Romani cardinales, qui exceptum sub umbella pontificem ad templum deduxerunt. vbi postquã ad aram supplicatum fuit, oratio habita est à Pompeio tanti aduentus lætitiæ accommodata. A Centumcellis postero die Ostiam peruenit periculosa nauigatione, nisi maturasset: nam Tyberinas intranti fauces sæua tempestas exorta est, quæ triremes violento cursu in diuersum abripuit. Ab Ostia etiam pari festinatione est profectus, adeo vt cardinales, qui iumenta ab vrbe expectabant, vel paucarum quidem horarum moram impetrare nequiverint. Per hunc modum tumultuario deformique agmine, quū cardinales ignobilibus iumentis veherentur, & nonnulli minores antistes, & totius aulæ incondita multitudo onusta sarcinulis in feruido sole iter faceret, ad Diui Pauli templū extra Trigeminam portam est peruentum. Postero die quarto Calendas Septembris populus Romanus, singulique sacerdotum ordines, solenni pompa per urbem inuectum ad Vaticanas ædes deduxerunt. Sequenti die se totum præbuit vrbis magistratibus, vt cuncta sigillatim cognosceret, opemque afferret labanti rei publicæ. nam Romæ pestilentia vulgatis morbis, ignobile præsertim vulgus inuaserat, & ærarium non modo erat inane, sed gemmas publicas, & sacrorum solennium ornamenta, & Leo ipse, & triumphum demum cardinales sceneratoribus oppignerarant, vt præsidia afflictis rebus pararent. Ariminum quoque per insidias occuparat Sigismundus Malatesta, quoniam eam urbem à patre Pandulfo diuēditam progenitores eius perducentos amplius annos imperio tenuissent. Nunciabatur etiam Solymanus Turcarum imperator Rhodum validissimis tormentis, & cum incredibili militum & rerum omnium apparatu iam tertium mensem oppugnare: Prefectosque Turcarum, qui in Illyrico fines tuerentur, Pannoniam ceteriorem crebris incursionibus vastare, nec Ludouicum regem vti ætate non integra atque ingenij viribus parum validum sustinere hostes posse, nisi in stipedium pontificia pecunia iuaretur. Quibus de causis necesse erat pontificem rerum Italicarum penitus ignarū, & tum primū vrbium suarum & prouinciarū regulorumque nomina perdiscētē, in omnib. cōsilijs vehemētissimè cōturbari, adeo vt quum his curarum fluctibus iactaretur, aliquando diceret, sibi fuisse iucunde

ſucundius Louanij gymnaſium cum ſtudioꝝ laude moderari, quàm Ro-
 mæ pontificia in ſede Chriſtianam rempublicam adminiſtrare, quando in-
 quit in eam affectam omnibus malis, & recis neruis magnopere debilitatã,
 miſer inciderim. Sed anxium & diuerſis difficultatibus implicatum, vnus ma-
 ximè de amittenda Rhodo metus agitabat, cuius clariffimæ vrbis ſalus neque
 negligi ſine ſummo dedecore, neque maturè ſtrenueque defendi ſine grauiffi-
 ſima impenſa ingentiſque periculo poſſe videretur: cum magnis Turcarum
 claſſibus non modo portus vrbis fretumque ipſum, ſed totius etiam inſulæ lit-
 tora & circumiecta maria obſeſſa tenerentur. Suadebat Iulius Medices ante
 alios, vt delectas ex his quas adduxiſſet cohortes, iſdem nauibus omnium re-
 rum copiarepletis Rhodum continuo transportandas curaret, fore enim vt
 eæ per autumnales tempeſtates validioribus vſæ ventis, contempta aut eluſa
 Turcarum claſſe in portum plenis velis inferrentur. Quarum nauium profe-
 ctione auſuros fortaiſſe aliquid Venetæ claſſis præfectos, qui in Creta cum
 quinquaginta roſtratis diligenter excubarent, inuitariſque percuperent ad
 egregium facinus, ſi caſu aliquo delendæ Turcarum claſſis facultas offerre-
 tur. Quod ſi Venetus nihil omnino contra veteres inducias cum Othoma-
 nis ſibi tentandum putaret, eo certè ſubſidio cum ſortium tum maximè recen-
 tium militum feliciter adducto, neceſſe fore ſpes ipſas ex deſidia Chriſtiano-
 rum principum conceptas Turcis imminui, & contra Rhodijs plurimum
 augeri, qui in ea auxiliorum expectatione erecti, tantam belli molem fortiſſi-
 mè ſuſtinerent. Sed quoniam in fatiſ erat, vt Rhodus amitteretur, Hadria-
 nus eius rei gerendæ occaſionem propter multas, & rei præſertim numariæ
 difficultates penitus amiſit. Hiſpani quoque vtpote qui ſemel terram Ita-
 liam pedibus attigerant, longinquæ nauigationis laborem ad incertum ma-
 ximè rerum exitum recuſabant, & Ludouicus à Corduba princeps Sueſſa-
 nus, qui apud pontificem pro Cæſare erat legatus, Italiæ vrbes certo præſidio
 tueri atque exercitum in primis, qui erat in Gallia Ciſalpina, Hiſpano milite
 ſupplere, quàm Rhodijs opem ferre malebat: quoniam rex Gallus etiam tot
 bellis & prælijs victus, quin Italiam repeteret, minimè quieturus eſſe vide-
 batur: proinde ſingulis in rebus orando, inſtandoque pontificem, ne Cæſa-
 ri deſſe vellet, vehementiſſimè perurgebat. Erat Hadrianus ſuoſte inge-
 nio Cæſaris amantiſſimus, & quantum ſalua pontificij nominis maiestate
 poterat, eius victorijs non obſcurè lætabatur, quanquam vti æquus, & quie-
 tis & otij cupidus, execrato bello, maximè cuperet ſedare eam controuer-
 ſiam, quæ inter Gallum & Cæſarem ſine ſpe compositionis agitabatur.
 Erant vni omnium Hadriano valde intimi Guliermus ipſe Euchauordius,
 quem ſtatim gratiſſima voluntate à ſubnotandis ſupplicibus libellis datariũ,
 & demum Derthufenſem episcopum fecerat, & Theodoricus Hetius à ſecre-
 toribus epistolis vir optimarum literarum notitia, & Chriſtiana modeſtia
 inſignis. Hi Belgæ erant, quibus propter vſum grauiffimarum rerum aliquan-
 do miſcebantur Ioannes Ruffus antiſtes Conſentinus ei antea familiaris,
 quum in Hiſpania apud Ferdinandum regem pro pontifice legationis mu-
 nere fungeretur. Hi Cæſarianis rebus propenſiſſimo ſtudio fauebant, et ſum-
 mam diuinarum atque humanarum rerum nequaquam latè communica-
 ta auctoritate gubernabant, Horum conſilio pontifex bellum aduerſus

Malatestas, qui Ariminum occuparant, missis in Vmbriam Hispanorum cohortibus suscepit. nec multo labore Sigismundus est eiectus, vt potè qui iam Ariminenibus propter naturæ acerbicatem atque sæuiciam odio esse cœpisset: nec alicunde circumuento obfessoque auxilia mitterentur, adiuuante maxime pontificios duces Francisco Maria Feltrio Vrbinate, atq; item Alfonso Atestino Ferrariensi, qui ad promerendam gratiam, eo bello insignem operam nauare cupiebant. Neque tamē abiecta cura Rhodij belli pontifex ad Adurnios Petrum Raborium Genuam misit, qui onerarias naues conduceret. Sed ægrè odmodum expedita pecunia, aliquanto tardius quam oporteret, tres excelsæ naues sunt exornatæ, quibus incredibili euentu felicè cursum Fortuna denegauit. Nam perpetuos duos menses prodigio quodam contra anni consuetudinē Eurus, & Vulturinus, qui sunt venti omnium aduersissimi nauigantibus ad orientem, maria tenuerunt, quum eo tempore naturali terrarum habitu Etesia flare consueuerint. Perijt & Rhodij Magistri insignis oneraria, quæ à Nicæa Prouinciæ omnium rerum ingentem copiam ad insulam deuhebat. Interim pontifex ingrauescente pestilentia Vaticanis edibus & coniunctis viridarijs se tenebat, neq; aditus nisi à maximis viris legatisque principum & cardinalibus impetrabatur. Sustulerat is more Germanorum, qui pestilentiam contemnunt, omnem seueritatem, quam Libiting magistratus exercere consueuerat aduersus eos, qui sese contracto & dissimulato morbo incolumibus miscuissent, quæ libertas & dissoluta euagandi regendi que morbi licentia, Vrbis faciem multiplicatis funeribus mirum in modum deformauit. Itaque hortantibus Triumuiris Romani populi conseruatoribus instaurati sunt magistratus cum officialibus, & reuocatæ leges ad veterē formulam puniendæ multitudinis, quæ edictis minimè paruisset. Interea pontifex ad Germanos regulos, & liberas ciuitates, quarum legationes ad conuentum Nurembergæ vndique coibant, Franciscum Cheregatium misit, qui omnium primus ab ipso episcopus propter veterem amicitiam & virtutis opinionem fuerat effectus. Hortabatur Germanos, vt ad defendendam salutē Ludouici regis auxilia decernere atque summittere vellent, simulque earum hæresum obliuiscerentur, quæ antea rectè atque legitimè pluribus concilijs essent damnatæ. Namque Germania fermè omnis Lutheri diri hominis superstitione imbuta, Romani pontificis maiestatem nefario criminationum genere proscindebat, quum ipse à veteribus sacrorum institutis Christianisq; moribus descuisset. Sacerdos enim è cenobio abiecta cuculla se proripiens cū sacrata virgine nuptias fecerat, ita vt præclari modò nominis theologus in sa-go militari conspiceretur. Proposita tum erāt à Lutheranis centum postulata, in queis pleraque summæ equitatis videri poterant, quod sæpius à Romano pontifice veluti impositis sacrarum rerum vectigalibus auarissimè premebantur. Cæterum corruptis impietate animis id vnum maxime spectabant, vt honestissimo prætextu avaritiæ scædæque licentiæ, vti quisque sua libidine raperetur, ianuam penitus aperirent. Alij nanque dicata templis prædia impudenter vsurpabant. alij professione sacerdotes, abdicato cultu & eiurata continentia sacratas virgines ex templorum septis tanquam vxores celebratis nuptijs ducebant. alij gulæ dediti nefastis diebus contra maiorum instituta carnibus vescabantur, nonnulli etiam immani furore perciti, Deipare virginis

ginis simulachra fœdabant, & qui ingenio atque eruditione insignes erant, sanctissimorum patrum dogmata insanis interpretationib. pervertere conabantur. Quorum immanitati, neque antea quisquam apprime eruditus, neque tum Cheregatus, vel saluberrimis disputationibus feliciter obuiam iuit. Misit etiam pontifex pecuniam in stipendium Ludouico Pannoniæ Regi. nam multis, & quidem turpissimis de causis Pannoniæ regnum paulo ante sub Matthia Coruino per amplum et florens opibus, deformatum atque exutum omnibellica laude penè conciderat, adeo ut rex ætate fortunaque admodum imbecillus, vix tueri fines, & arcere Turcas hostes posset, qui crebris & repentinis incursionibus, modo à Dacis & Triballis, modo ab Illyricis limitibus prouinciam euastabant. Interim Rhodij magnitudine incredibilium operum superati, fessique perpetuo sex mensium labore, & vulneribus ferme omnes debilitati, Solymano deditioem fecerunt. neque enim vlla iam spes auxiliorum supererat, & cuncta intus in maximè diuturna propugnatione lesecerant. Ostentabat veniam præclare victis Solymanus, quasi in parte gloriæ reponeret, si longè fortissimis viris iam planè parta victoria pepercisset. Enimvero vix credibile erat, non amplius septingentos illustres equites cum paucis militibus Græcis, tot mensium vigilijs atque laboribus nequaquam cessasse, quum minore indies sui fiducia, & maioribus semper rerum omnium periculis, aduersus ducenta milia bellatorum nihil intermissa dimicatione restitissent. Equauerat Solymanus murorum et turrium fastigia terrenis duobus ingentibus tumulis, quos coacta ad opus innumerabili fossorum multitudine excauantium, & sensim ante se contra urbem terrenum aggerem prouoluentium paucis diebus erexerat. è quibus tormenta inusitatae magnitudinis directa contra pinnarum summitatem ad æquissimos ictus omnibus horis emittebantur: inuasentque iam fossas Turcæ, muroque successerant, fundamenta ab imo dolabris & vectibus subruendo, ita ut amplissimis ubique cuniculis in urbem penetrarent, & sæpe Rhodijs occurrendo per subterraneos specus decertarent. iustis quoque prælijs sæpè prætoriani, quos Ianizaros vocant, aggressi murum in summa propugnacula euaserant, sed fortissimè repulsi præcipitati que in fossas temeritatis poenas dederant: nam tametsi à lateribus ex obliquo minoribus tormentis sternerentur, nihil vel certissimæ mortis metu, quominus occisis integri recentisque succederent, omnino deterrebantur. Erat Rhodijs tormentum quod ab immani violentia Basiliscum appellabant, excelso in loco constitutum, cuius pilis sesquipedali crassitudine castra & tabernacula longissimè cum miserabili obuiorum Turcarum interitu petebantur. magnam etiam gregariorum, & opus facientium militum manum autumnus solito grauior absumpserat, inductoque, & euulgato ventris profluuiio, dum illi fatigata corpora meridianis ventis intemperanter exponerent. Sed Solymanus stabili decreto innixus, singulari perseverantia has tantas difficultates non minore sua virtute, quam nostra desidia superarat: proposuerat enim emori potius, quam abscedere irritò incepto, suadentique Pyrrho Bassæ, ut in proximam Cariæ continentem transiret, atque inde administrato bello ex tuto victoriæ exitum expectaret, graui ter ignauia increpita succensuerat, nequaquam eam insignem esse victoriam prædicans, quæ presentis imperatoris manu minimè pararetur. Ita que nouis delectibus in Ci

licia, Syria, Aegyptoque habitis, copias egregie suppleuit. Nam Feracatus Gazele victo caesoque, & Mamaluchis ad internicionem deletis maxime illistris, ab Athalia, Ilicoque sinu, & Antiochia, atque item Caierbeius a Memphi Pellusioque & Alexandria in parandis & transmittendis com meatibus & copijs omnem, vti opus erat, diligentiam adhibebant. His tantis adductis difficultatibus Philippus Villadamus militiae Rhodiae magister in consilio disserruit, summæ esse stoliditatis id ultra defendere conari, quod nec recentibus quidem receptis auxilijs, egregia spe tueri possent, quando iam cuncti ferre propugnatores consauciati contectique vigilijs animos despondisse viderentur: non esse funesta pertinacia diutius cum Fortuna contendendum, quando ipsi qui in praesidio essent, satis superque officio & dignitati satisfecerint: amissæ liquidem insulae dedecus ad eos pertinere, qui toties implorantibus opem ferre noluisse: eius herclè admissi flagitij, quod extrema necessitas attulisset, non Rhodios, sed totius Europæ reges infamia deflagratos: proinde summendum esse consilium a prudentia quam necessitas exprimeret, non ab inani animorum obstinatione, qua nihil his qui in extremo casu versarentur, lethalius accidere posset: Sibi ergo tam honestum, quam omnibus ad salutem necessarium videri, dedere urbem, & Solymani qui pro gloria certare existimari vellet, fidem experiri, vt benemeritos de republica Christiana milites conseruaret, nec fortibus viris opportunum in Europa locum esse defuturum, vbi meliore fato Rhodiae militiae signa defigerent, & acceptas a Barbaris iniurias, egregio religionis studio, & commodiore tempore vindicarent. Itaque emissis legatis, atque ipso demum Philippo sub fide publica ad Solymanum in castra profecto, conditiones de dedenda vrbe sunt conscriptæ, quas Solymanus alioqui saeuus hostis religiosissime seruari iussit: ipso enim urbem ingresso neque templa, neque priuatas domos, neque obuios milites Christianos, quisquam vel ingenio ferox Barbarus omnino violauit, ita vt Philippus clementer admissus, & a Solymano Pater appellatus, quum omnia propè præter bellici apparatus instrumentum suis triremibus imponeret, septem etiã aenea tormenta praesidij nomine contra piratas, vti ab eo didicimus, impetrarit. Eo die quo Rhodus est dedita, prodigioso casu epistylum portæ sacelli in Vaticano sponte corruit, quum non plus passu altero pontifex abesset a limine ad operanda sacra solenni die Christi Natalis statim ingressus, ita vt praetoriani duo milites effracti marmoris fragmine opprimerentur. Cæterum is nuncijs toti Europæ admodum lugubris, pontificem incredibili dolore affecit, quasi recens adhuc primorum mensium principatus, aduerso quodam rumore adlatrantis vulgi, ea ferali clade notaretur. Nec multo post ad pacandam Italiam conuersus, Alfonso Ferrariae principem in gratiam amicitiamque recepit, quum is Herculem filium cum ornatissima legatione Romam misisset, ita vt ea, quæ criminosis admodum codicillis a Iulio Leoneque pontificibus aduersum eum tanquam pontificiæ maiestatis reum decreta & publicata fuerant, penitus antiquaret. Eadem clementia & liberalitate Franciscum Mariam Feltrium est profecutus, quem Leo pontifex principatu pulsum atque hostem declaratum sacris interdixerat. Misit & Legatum ad Venetos, vt eos Cæsari coniungeret, nouisque initis foederibus Gallus ab Italia procul arceretur. Erat

tum Florentiæ Iulius Medices præclaro studio omnibusque sensibus cum Cæsare coniunctus, cuius auctoritatem plerique veteres eius hostes, & ante alios Franciscus Soderinus cardinalis conuellere contendebant, ita vt apud Hadrianum eum palam accusarent, quasi veteribus pontificum thesauris potiretur, quos conuiuente Leone fratre in administranda republica rapuisset. Quæ tamen si falsa et ridenda erant, quoniam abundè constabat, Leonem immodicis sumptibus natura gaudentem, & postremò grauissimis implicitura bellis, suos pariter, atque alienos loculos pecunia penitus exhaustisse, contra ctoque insuper graui ære alieno vectigalia etiam publica addixisse foeneratoribus: tamen hæc apud externum hominem ingenio suspicacem, imperitum Romanæ aulæ, & inopia plurimum æstuantem, verisimilia videbantur. Inuoluit & ipsidem propè suspicionibus Soderinus mirabili astu Laurentium Puccium & Franciscum Armellinum cardinales vetere amicitia Iulio medici coniunctissimos, quasi hic, vt prædator insignis nullo iure quæsturæ officio potiretur, ille verò sanctissimis indulgentiis, quibus animæ defunctorum expiarentur, immani quæstu diuenditis, ingentem pecuniæ vim nullo metu pœne peculatus auertisset: quasi hos publica flagrantis inuidia repetundarum postulari, & facile conuictos damnari pateretur, ærarium inane celeriter eorum opibus esset repleturus. Cæterum Iulio auctoritate sua atque innocentia præclare cuncta refellenti potentes amici non deerant, qui eius absentis causam dissimulantes & obliquis maximè sermonibus tuerentur: & manebat quidem apud æquum gratumque pontificem recentis & antiqui beneficii memoria profus incorrupta, ita vt parum ea subtili & accurata Soderini delatione commoueretur, quominus piè & grauius se gereret aduersus eum, qui præclare cum pontificio nomini, tum ipsi Cæsari bellum gerenti totius Hethurriæ viribus nixus semper adfuisset. Verum fortuna sicuti sæpe alias, ita & tum Iulio peregre, atque opportunissimè fauit. In transitu enim Arniæ Soderini literæ à Mediceis exploratoribus intercipiuntur, quibus ille Franciscum regem hortabatur ad transferendum bellum in Siciliam, exulum multitudine et Hispanorum odio nouandis rebus oportuna, vt Cæsariani ab Insubribus ad tuendum id regnum traherentur: monebatque vt nihil pontifici temerè crederet, qui quum de pace agere videri vellet, Cæsari tamen perenni quodam studio cunctis in rebus obsequeretur, nec quicquam aliud propensa voluntate magis cuperet, quam Cæsarem noua semper dignitate nouisque victoriis auctum florentemque conspiceret, neque eum debere existimare in componenda controuersia æquissimum iudicem fore, qui in excolendo attollendoque Cæsare parentis & præceptoris officia semper impleuisset. Erant hæc literæ arbitrariis conscriptæ notis, sed adeo rudi artificio, vt vel à mediocri interprete obseruatis, & deprehensis characteribus facile legerentur. Has itaque Iulius confestim Romam transmittit ad Ludouicum regulum Sueffanum Cæsaris legatum, eumque disertè edocet, quanto cum periculo Soderinus pontificis consiliis, & grauissimarum rerum disceptationibus adhiberetur: eum enim esse hominem eximijs simulationibus ambiguaque fidei artibus valdè instructum, & super hæc infensum Cæsari, & Gallorum amicissimū: propterea se ab eo occultis insidiis & atrocissimis criminationibus peti apud pontificem, qui ab sancta illa naturæ simplicitate nul-

las de magnis rebus suspiciones superfluas esse duceret, vt illo falsa persuasio-
 ne deprauato, ipse concideret, circumuentusq; & distractus Florentia pelle-
 retur, pateretq; Soderinis res publica Florentina, et tota simul Hetruria vetere
 suo studio Gallico nomini iungeretur. His conspectis literis Hadrianus quā-
 quam ab initio confictas crederet, incredibile odium aduersus Soderinū con-
 cepit, ita vt id tamen egregiè comprimeret, donec Iulius ad conuincēdum So-
 derinum ab Hetruria vocaretur. Is nō multo post intrauit urbem à Flaminia
 triumphali fermè pompa incredibili ordinum omnium fauore exceptus: nā
 veteres etiam hostes cum eo in gratiam redierāt, adeo vt Horatius Baleonus
 cuius pater recenti Leonis seueritate conciderat, & Fabius Petruccius, cuius
 frater cardinalis in arce Hadriani fuerat necatus: itemq; ipse Franciscus Maria
 Feltrius bis Urbino Mediceis armis eiectus, à ponte Miluio aduentanti ob-
 uiam honoris causa prodirent. Nec multo post à Pōiſice Soderinus & Iulius
 in Vaticanum euocantur: nam de industria erat euulgatum, Pontificem eni-
 xè pieque daturum operam, vt duo maximi cardinales, qui affinitate essent cō-
 iuncti, se pacificatore atque arbitro, cognitū & sublatū simultatū causis ad-
 amicitiam redirent. Verum vbi eos in penitiorem Borgiæ turris testudinem
 abduxit, & illi inter se parum familiari vultu colloquerentur, pontifex ad So-
 derinum conuersus, interrogauit, an vnquam in Galliam per arbitrarias no-
 tas scripſisset, prolatisq; literis ita conuicit, vt protinus lethali pallore cōfusus,
 cūcta deiectis ad terram oculis fateretur: nec mora cum interruptis verbis de-
 fensionem pararet, & supplex, ne in carcerem duceretur, oblati vadibus locū
 in Vaticano ad dicendam causam sibi dari postularet, à prætorij præfecto in
 arcem est deductus. Id factum Gallicarum partium animos fregit, auxitq; mi-
 rum in modum auctoritatem Pontifici, qui ab ætate vrbana rinq; rerum in-
 scitia, & quadam naturæ lenitate, cum in consilio perplexus & timidus, tum
 in agendo maximè lentus & parū efficax esse credebatur. Cœperat enim Ha-
 drianus arca rerum Soderino liberali fiducia communicare, & magna ex
 parte consilij eius regi. nam is erat ætate atque oris habitu grauis, ingenio &
 facundia insignis, cultiorum etiam literarum humani diuiniq; iuris scientia
 perornatus: quibus virtutum vmbraculis sicuti subtilissimas artes incerti &
 parum sinceri animi peregregiè contegebat, ita Hadrianū nihil vltra perscru-
 tantem facile deceperat. Ob id pontifex neminem fallere solitus iniquissimè
 ferebat se ab eo fuisse deceptum, qui lenocinio quodam bonarum artium tam
 ingratè quàm impiè fidem fefellisset. His de causis aliquanto suspicacior, et se-
 natū nihilo familiarior erat effectus, adeo vt cardinalibus tanquam factiosis
 & parum fidelibus de belli pacisque negotijs nihil omnino comunicādum
 existimaret. Proinde Bernardino Caruaial & Nicolao Flisco cardinalibus re-
 spondere nō est veritus, nemini vel cardinali se temerè credere, quod cum pe-
 riculo rei publicæ credendum foret: cum illi fortè quererentur quòd in consi-
 lium cardinales superiorum pontificum more nequaquam adhiberet, quan-
 do tot graues peritique rerum senatores, ipsi nouo externoque homini, alle-
 uando curas, et in partem laboris impigre succedendo, in regenda repub. sin-
 gulari adiumento futuri viderentur. Ioannes quoq; Ruffus antistes Consen-
 tinus, qui vsurerum insigniq; prudentia plurimum valebat, ab intimis arca-
 rorum cubiculis penè reiectus fuerat; quoniam Foro Liuij in Æmilia, quod
 illi na-

illi natale solum, Gibellini, quibus impensius fauisset, complures Guelphos nocturna irruptione trucidassent. Oderat enim pontifex factiosos homines, nec eos publicarum rerum consilijs adhibendos putabat, qui priuati studij rationes nequaquam syncera iudicij libertate respicerent. Hinc fiebat vt Pontifex durior & habetior in administranda repub. diceretur. Nam cum in valde prudentibus & maximarum rerum peritis varijs de causis nullam omnino vel exiguam fidem reponendam esse iudicaret, necesse erat, vt vnus maxime Belgis, quibus præclara fides abunde superesset, in arduis consilijs vteretur, quanquam in eius maiorem vim rationis atque solertix in expendendis absoluendisque negotijs desideraret. Hinc illud per facetum et plenum ingenij libertatis Hieronimi Balbi dictum emanauit, cum legatus Romam missus à Ferdinando Cesaris fratre, furentib. Lutheranis atq; imminentibus Turcis, à pontifice maturam opem imploraret, & ille contra perplexus, & consideratius deliberata retractaret pleno senatu, Fabius maximus, sanctissime pater, inquit, rem Romanam cunctando restituit, tu vero pariter cunctando rem Romanam simulque Europam perdere cõtendis. Quo orationis exordio adeo pontifex vultu commotus est, vt plerique senatores vix risum cohibere potuerint: offenderat enim primo aduentu in vniuersum cardinales omnes: nam præmia quæ illi triumuirali magistratu, ipso absente, benemeritis de repub. tribuissent, ita antiquatis decretis irrita fecerat, vt officia aliquot, vel grauissimis de causis dono data, repeteret: dicebat enim sibi inopi postquam gratiarum penitus esset inane, ea pecunia opus esse ad tuendam pontificij nominis dignitatem, nec debuisse Cardinales alioqui rei suæ minimè profusos, liberalitatis laudem ex aliena pecunia quæritare, eodem etiam cõsilio venalicia officia his omnibus protinus ademit, quæ singulari benignitate Leo pontifex literatis viris & præcellentibus ingenijs virtutis causa tribuisset: ita tamen vt eius inuitate acerbitatis inuidiam humanissimis verbis deliniret: cum ea detrimenta se totidem sacerdotiorum redditibus pensaturum polliceretur. & certè nemini vnquam lætius atque propensius sacerdotia conferre erat solitus, quam his qui ab optimis studijs commendationem aliquam meruissent. Me quoque dimidia parte equestris officij protinus exutum, quam Leo pontifex, historiã nostrorum temporum ad eius genium non incundè conscribenti, dono dederat, Comensi sacerdotio adeo studiosè remuneratus est, vt Scaramucix Triuultio Cardinali vehementer pro alio impetrare contendenti responderet, Iouium omnino eo, quanquam tenui, sacerdotio esse perornandum, quem audiuisset optimis disciplinis liberaliter eruditum, & scriptorem annalium valde elegantem, nec tamen esse poetam vt cæteri, qui cultiores literas sectarentur. Suspecta enim habebat poetarum ingenia, vtpote qui minus syncero animo de Christiana religione sentire, & damnata falsissimorum Deorum nomina ad veterum imitationem studiosè celebrare dicerentur: ita vt aliquãto plus mihi profuerit, nō attigisse poeticam, quam in ceteris grauioribus studijs perpetuo multorum annorum labore desudasse. Grauisimè etiam tolerat se famosis carminibus apud Pasquilli statuam fuisse laceratum, sed id postea ciuili animo tulit, cum didicisset, eam maledicendi licẽtiam obscurorum hominum libertati atque nequitix dari, vt cum insignes viros impunè carpsent, fortunam suam ea vindictæ voluptate consolentur, Decreuerat Hadria-

nus vti poëtis non obscure subiratus, Pasquilli statuâ, quæ erat in Parione, demoliri, atq; eam in Tyberim præcipitare, sed Ludouicus Sueffanus vrbanofalfoque ingenio id fieri debere pernegauit, subdens, Pasquillum vel in imo vado ranarum more non esse taciturnum, ad id verò pontifex: exuratur ergo, inquit, in calcem, ne eius vestigiij vlla omnino memoria supersit: Tum rursus Sueffanus, rectè inquit, sed tam crudeliter cõcremato poëtæ clientes nõ deerunt, qui patroni cineres inuidiosis carminibus prosequantur, & supplicij locum quotianis statuto solenni die concelebrent. Quibus verborum lusibus pontifex ab iracundia ad iocos hilaritatemq; sensus omnes lenissimè reuocauit, ceterum quib. eximijis doctrinæ & pietatis laudib. primo aduentu omnib. gratus atq; admirabilis euaserat, cū equitum S. Petri, & annonæ præfidentium officia sublatis, aut dimidiatis redditib. deteriora reddidisset, multis ordinib. aulæ & ciuitatis inuisus esse cœpit, nam pleriq; vniuersam patrimoniorum substantiam, & totius vitæ laborum atq; industriæ fructus in officia contulerant, allecti scilicet vbertate prouentus, cum pecuniæ sub fide publica pontificib. creditæ, supra decumam in annum liquidissimè responderent, sed oppigneratis prouinciarum vectigalibus atq; portorijis tantæ facultates minimè supererant, vt debite pecuniæ tenore illo ueteris instituti persolui possent. Hinc fiebat vt pōtifex contra naturam suam ab inopia tenacior et illiberalior effectus, iniquitatis et auaritiæ calumniâ subiret, ne vti ipse crebro dicere solebat, dum omnib. satisfacere cōtendit, omnib. demum decoquere cogeretur. Eo decreto exacerbatis officialium animis, quādo quisq; se impotenter exitum bonis, & sub fide publica deceptum graui vociferatione quereretur, Marius Placētinus vir togatus, sacraque nominis, desperatis honestæ vitæ cōmodis, immane facinus confodiendi pontificis vecordi animo cōcepit, ita vt cū egressurum cubiculo aliquādiu expectauisset, sese demum eodem ferro trāsuerberaret, siue impetu cōmotæ bilis, siue atrocioris supplicij timore, q̄ rem cōmunicasset, nec cōstituto in loco socius facinoris, vti crediderat, esset repertus. Ferunt pontificem eo casu verecūda consternatione perturbatum, sæpius id omnino esse verissimum prædicasse, quod ab antiquis auctorib. traderet, multum scilicet referre ad feliciorē fortunam, in quæ tempora alicuius vel præclara virtus incidisset. Aurea namq; tempora Leonis, omnibus florentis pacis atq; oppulentiæ cōmodis ad luxum beatique omni letitiâ affluentia, ita bella, & fames, et pestilentiâ, tot per interregnum, pontificisq; absentis incommoda detrimentis illatis euenterant, vt ex ea recentis status publici recordatione, cuncta mala vel immerito ad execrationem innocentissimi pōtificis verterentur. Interea Franciscus rex Gallorum magnis vndiq; coactis copiis in Italiam trāsire constituit, quibus rerum motibus exciti Cæsariani duces operam enixè dederunt, vt consecuta pace cum Venetis, ij etiam qui plurimum auctoritate atq; opib. valerent, in partes traherentur. In tractandis enim et exequandis earum rerum conditionib. Hieronymus Adurnius antea vehemētissimè laborarat, moriensq; Venetijs cuncta facilius absoluenda Marino Caraciolo reliquerat. Itaq; inter Cæsarem & Venetos scædus solenne percussum est, nec Hadrianus moram attulit, vti oportebat, quo minus Cæsar omnib. Italiæ viribus ad arcendos Gallos vteretur. Etenim postridie nonas Augusti, qui dies ab admirabili casu multæ niuis festa memoria ad Mariæ virginis templum in Exquilijis est insignis, sacra celebravit, scædusq; proluxa oratione aduersus Gallos est pronūciarum,

quo adscripti erant rex Britannię, et Pannonię Ludouicus, & quicquid minorũ principum & liberarum ciuitatũ in Italia erat: ipseq; Federicus Gonzaga regulus Mantuanus p̄tificis & reip. Florẽtię Imp. est declaratus, deditq; epulum regio apparatu Pompeius Columna Cardinalis cũctis principũ legatis et senatoribus, cum pontifex grauiore sacrorũ mora vt in maximo æstu fatigatus sese in proximum diui Martini templum ad quietioris prandij commoditatẽ opportunẽ recepisset, ibi leuẽ ab initio, sed mox lethale contraxit morbũ, ita vt sensim valesceret febris, adulatione p̄sertim medicorũ, qui nec exusto intus apprimẽq; siticuloso, et de nocturna iactatione conquerenti venas tangebant, ne scilicet in perniciosam propinquẽ mortis suspiciõẽ dubio metu erectũ senẽ adducerent: itaq; non diu deceptus vbi hora fatalis instabat, senatũ aduocauit, commẽdataq; Repub. pileo quẽ ipse detulerat, Guliermum Enchaurordiũ gratissimò animo decorauit, adiuuantib. p̄sertim Iulio Medice, et Ludouico Suesano, quamuis pleriq; cardinales, vt in ipso mortis limine despecto Pontifice, in suffragiũ ituri minimẽ viderentur. Obijt Idibus Septẽbris exacto anno ex quo ab Hispania appulerat, et eo fortẽ die quo Gallicus exercitus Boniuetto duce, repulsis Cæsariis, Ticinum amnẽ transiuerat, ita vt maximũ negotium successori reliquisse diceretur. Morte eius pleriq; & p̄sertim veteris aulæ sectatores effusissimẽ sunt lætati, et secundũ eos non nulli Romanorũ, qui detrimenta rerũ suarum senserãt: nam quum ignotẽ hominum facies Vaticano à Belgis atq; Hispanis occupatõ, aditũ petentibus occurrerent, longum atq; operosum erat, familiaritate difficili nouas amicitias comparare, ita vt quisq; nouo statim principatu, eam luctuosi et pestilentis seculi fortunã preuerti posse existimaret, quasi ea incommoda nequaquã malignitate temporũ, quæ tot calamitatib. essent notata, sed quadam inexperti durique pontificis acerbitate prouenissent. Super hæc manauerat in vulgus fama haud incerto auctore, pontificem nouo summe seueritatis edicto publicatis super id bullatis solennibus codicillis, dissolutæ ciuitatis mores esse correcturum, ita vt atroci pœna tria p̄sertim hominum genera persequeretur, eos scilicet ante omnes, qui ad Christi fidem reuersi impia animorũ deuotione Iudaicę superstitionis ritus obseruarent, quorũ maximẽ pecuniosorum ingens turba, iudiciorum metu ab Hispanijs delapsa, in Urbem, tanquã in portum certissimę salutis confluxerat. His enim Hadrianus vetere consuetudine plurimum erat infestus, utpote qui in Hispania ipsis inquirendis damnandisque cum insigni magistratus honore p̄fuisset. Sub id genus ij quoq; veniebant, qui superis impuro scelestoq; ore maledicerent, & contemptim aut ioculariter de religione Christiana loquerentur: & ij etiam qui minimẽ dubitarent profana negotiatione sacerdotia venditare. Secundo loco erant sceneratores atque mensarij, qui egentium fortunas acerbissimis vsuris euerterent, & annonam impotenti monopolio et diris p̄occupationibus impudentissimẽ flagellarent. Vltimò inquirere punireq; decreuerat iuuentutis corruptores. eius enim criminis nõ omnino falsa suspiciõne, vrbs ipsa conuiuentib. legib. infecta credebatur. Qua inopinata & graui seuerissimę legis m̄tione, maculosos quosdã cum aulæ tũ ciuitatis, veluti desperata pub. securitate, terruerat adeo, vt nõ defuerint petulãtissimi iuueues, qui Ioãni Antracino p̄tificis medico postes festa fronde per intempestã noctem protinus exornarẽt, cum

titulo vncialibus literis inscripto in hæc verba: Liberatori Patriæ s. p. q. r. scilicet vt eo ioculari elogio non medicus vti veneficus aut imperitus, sed maiestas ipsa sanctissimi pontificis, qui salutari censura vt dignum erat principe Christiano, urbem atque aulam probrosis vitijs repurgare cogitasset, non obscure carperetur. Enimvero ea est natura populorum, vt quum dissolutæ vitæ licentia gaudeant, præsentis semper principis mores detestentur, superiorum vitam commemoratis virtutibus in cælum ferant: eius vero qui defuncto sit successurus mores & consilia vti plena prudentiæ, liberalitatis, atque iustitiæ futura pronuncient. Nam, vt plerunque fit, spes hominum euentis rerumque successibus alebantur, quando sibi quisque fallacissima sæpè ratione mutato statim principe meliora tempora destinaret. Laudabant in doctissimo pontifice & longe grauisimo sanctimoniâ, illiberalitatē non probabant, oderant seueritatē, quā vbi, sicuti sæpè erat solitus, lenitate remisisset, eam demū clementiæ laudē calumnijs auaritię inuoluebāt, quasi fontib. et conuictis nequaquā naturæ felicitate, sed parum honesta cupiditate præsentis quæstus omnino parceretur: nec sæuissima temporum conditione, valde egentis, & multis simul difficultatibus circumuenti pontificis necessitatem excusarent: Ita vt tum ciuitatis status miserè deplorandus esse videretur, quum quisque ferè insignium atque infimorum ordinum, recti atque honesti penitus oblitus, cuncta sibi in summa vitæ libertate licere vellet, nec vllum omnino corrigendis moribus censorem pateretur, etiam vel sola pecunia digna supplicio crimina vindicantem. Scilicet vt repudiatis Christianæ medicinæ præsidijs, affecti corruptique eò insanix proueheremur, vt indignantibus demum Dñs atque hominibus, in ipsa quæ imminebat horribili cadentis vrbs ruina, immanibus barbaris corpora atque animos ad omnia exempla crudelitatis atque ignominix præberemus. Acciuerat Hadrianus paulò antè in urbem, in Vaticanasque gdes cupidè receperat Petrum Caraffam archiepiscopū Theatinum, & Marcellum Caietanum veteris Christianæ disciplinæ moribus venerabiles, & in omni grauiore doctrinalongè lectissimos, vt eorum consilio in censura morum, atque administranda ea parte Reip. quæ sacra respiceret, omnib. horis vteretur. Sed mors eius aliquanto maturior cceptis consilijs exoptatum ad publicam salutem successum eripuit. Ferunt Hadrianum alioqui vegetæ viridisque senectæ contraxisse morbum assiduo ceruisiæ potu, quæ Germanica consuetudine ex lupulis ordeoque decoctis exprimitur: nã per se cibi parcissimus erat, & in tuenda valetudine apprimè diligens & morosus. tanta horarū definitione, vt denūciante architriclino paratas esse epulas, vel maximarū rerum colloquia protinus abrumperet: in mensa autè ad remittendum animū sæpissimè delectari solebat Toccino fannione falsissimo, quem ab Hispania secum adduxerat, quo etiam pro speculatore urbanarum rerū utebatur. Ornamenta insignis picturæ & statuarum priscae artis nequaquā magnificat, adeò vt Vianesio Bononiensium legato cōmendante statuam Laocoonis, quam in Beluederij viridarijs Iulius ingenti pretio coemptam ad loci dignitatem collocarat, auersis statim oculis tanquam impiæ gentis simulachra vituperaret. Erga propinuos vsque ad notam naturæ subagrestis, durus & illiberalis fuit, ita vt patruelis filium Senæ Etruscæ in gymnasio literis operam nauantem, quòd Romam nequaquā vocatus intermissis studijs repentè venisset,

venisset, cōfestim meritorio equo impositum remiserit, leuitatem animi idem talem obiectans, & seuerè admonens, vt ab se molestiæ & temperantig exemplum opportunè desumeret. alios quoque necremoto quidem affinitatis gradu necessarios, quum spe celsioris fortunæ è Germania pedibus Romam venissent, mirum in modum increpauit, donatosq; singulis sagis laneis, & frugi viatico, pedibus similiter in patriam redire iussit: quarum rerum testimonio superiorum pontificum profusam liberalitatem erga propinquos, vti grauem perniciosamque Reipublice deestari erat solitus. Quando eo presertim errore, cuncta sensim labefactata, se demum pontifice, ruitura viderentur.

Amicis autem & familiaribus gratissimo animo sacerdotia concessit, & locupletare bonos & studiosos moderata stabiliq; liberalitate cupiuit, honorèque pilei coccinei Theodoricum Herium, quum primum noui cardinales in senatum legerentur, exornandum destinarat. Præcessere mortem eius haud obscura prodigia: nam Borgiæ turris tectum plumbea fastigij testudine insignè, sub qua ipse habitabat, repente conflagrauit. Retulerat etiam inter diuos Bēnonem virum sanctissimum, & admirandis operibus apud Germanos insignem, & Antoninum anstitem Florentinum singulari pietate conspicuum. namque antea sæpius fuerat annotatum, pontifices nō diu superuixisse, postquam aliquem in diuorum numerum retulissent: vti Leone mortuo statim obseruarant, à quo Franciscus a Paula ingenti apparatu relatus fuerat. Conditus est Hadrianus temporario monumento in æde Diui Petri, iuxta Pios Piccolhomineæ familiæ pontifices cum hoc titulo: HADRIANVS SEXTVS HIC SITVS EST, QVI NIHIL SIBI INFELICIVS IN VITA DVXIT, QVAM QVOD IMPERARET. Cæterum Guliermus Enchauordius cardinalis egregia gratissimi animi liberalitate non multo post magnifici operis sepulchrum extruxit in templo Deiparæ Virginis Germanorū ad Circum Flamiuiū, in quo marmoreis pluribus signis, clarissimarum virtutum effigies erudita arte representauit: quarum auspicijs Hadrianus humanæ fortunæ fastigium immortalis cum laude esset adeptus,

& demū moriens, certissimum inter cœlites nunquam interituræ felicitatis locum optimorum omnium iudicio meruisset.

F I N I S.

H A E C C A R M I N A S E P V L C H R O

F V E R V N T A F F I X A.

*Quam potes merito optimoque iure
Inter pontifices Pios iacere
Maximæ pietatis Hadriane.*

*Insignis pietas tua, Hadriane
Vienti tibi profuit, decusque
Aurei diadematis parauit,
Iure id me hercule, at æquius tuæque
Certius pietatis hoc trophæum est,
Defunctus quod honoribus tot, inter
Duos contigerit P I O S iacere.*

POMPEII COLUMNÆ

CARDINALIS VITÆ,

A PAVLO IOVIO EPISCOPO NV-

CERINO CONSCRIPTA,

AD FRANCISCVM COLUMNAM AR-

CHIEPISCOPOVM ROSANENSEM.



ELLEM, Franciscæ Columna amplissimè Antistes, ut Pompeij patrui tui præclara virtus, nunquam sacris honoribus addicta pontificijsque imperij rationibus inclusa fuisset, aut postquam ita fato datum est, in æquiora tempora saltem incidisset. Inusitata enim virtutis ducem, magnitudinèq; animi valde illustrem, cumulatione cum laude posteris traderemus, & ipse omni inuidiæ onere, quo vulgi iudicio fortasse premitur, iure optimo leuaretur. Quamquam eam inuidiam alienis potius quàm suis erratis adauctâ, pulcherrimo demum facto magna ex parte extinctam videmus. Nam si funesti eius belli causas, et consiliorum origines æquo animo expendere velimus, nihil plus vir ille ad arma potius atque imperia, quàm ad sacrorum mysteria natus peccasse videbitur, quàm quòd Cæsarem maximorum principum conspiratione circumuentum, omnino defendendum suscepit, nequaquam aduersarum partium odio, sed vt veterem familiæ disciplinam secutus, his adesset, à quibus Columnij magnis opibus, sacerdotijsq; et militaribus imperijs essent honestati, quum fauente Gallis pontifice, totius familiæ opes vnum eundemque cum fortuna Cæsaris casum subirent. adeo vt nec ineptè nec insolenter fecisse videbatur, quòd sacrata abusus purpura, vsurpatis bellicis muneribus, pro salute & dignitate domus contenderit, quum ipse vnus inter gentiles suos ætate, rerum peritia, ingenioq; et corporis vigore superior ad id honesta quadam necessitate cogere, eo præsertim tempore, quo Columnia domus clarissimis ducibus orbata, illos suos æternæ laudis proceres, Fabritium, Prosperum, & M. Antonium immaturo, aut importuno certè fato ereptos lugebat. Sed quicquid fatali calamitate pontificio nomini contigit, id proculdubio ritè expiatum videtur, quum authore Pompeio & Cæsare dignitatem suam retinuerit, & Clemens ipse pristinæ amplitudini fuerit restitutus. Ceterum vt te patrui tui virtutes imitari velim, ita similem votis tuis Fortunam exoptem, & eandem felicitatem augurer, verum aliquanto honestiorem ab innocentia scilicet, pietate, pudore, temperantia, vt seculi melioris, & antiquæ probitatis sacerdotem lectissimis moribus & Christiana eruditione admirabilem effugas. Nos verò in reddenda Pompeij effigie, ea fide & diligentia vsi sumus, qua libero ore vtimur in historijs, quum in his perscribendis non ingenij modo, sed famæ etiam periculum subeamus: paratis scilicet censoribus qui falsa redarguant, quãdo notissima & spectata omnium oculis referantur. Ceterum hoc munus, te poscente, eò propensiore voluntate suscepi, quòd gratissimo animo veluti debitum memoriæ clarissimi viri persolvere videbar, & iuuabat ea mandare literis, quæ ipse in eius amicitia versatus, & illustris semper familiaritate didicissem: Colui enim eum per XX ferme annos, adeo felici studio, vt in domo tua apprime liberali, nequaquam vel specie vel fructu clariorem locum desiderè, quàm apud Pompeium ipsum virtutis & literarum opinionione fuerim consecutus. Vale.

POM.

POMPEII COLVMNÆ
VITA PER PAVLVM
IOVIVM.



COLVMNÆ Gentis proceres ante sexcetos annos in vrbe Roma, Latioque potentia atq; opibus summum claritatis locum tenuisse, ex annalibus constat: arbitranturque eos nonnulli à Germania oriundos, vel vno maxime argumento, quòd Germanis Cæsaribus in omni fortuna semper adhæserint, quum ex protello Gibellinas secuti partes, Cæsarum nomen perenni studio tue-
rentur, & Guelfis adeo infensi essent, vt plerumque à summis pontificibus dissentirent. Quòd abundè liquet diro Bonifacii Octauo exemplo, qui cum Guelforum quam sacrorum princeps videri mallet, à Sarra familiæ principe acceptas vindicante iniurias captus, in custodia perijt. Gentis verò nomen, haud dubiè deductum fuisse plerique existimant à Columna oppido, cuius

reliquias vigente adhuc nomine, ultra Algidum, Latina via conspicimus. Nam id Bonifacius atque item Præneste, Petrum & Iacobum Columnas cardinales armis persecutus (vt scribit Blondus) immani rabie deleuerat. Columnæ autem oppidi nomen, vetustatis famam non aliunde quam ex Antonini Pij Cæsaris Itinerario accepisse videmus. Cæterum in Columnia domo Stephanus senior vtriusque fortunæ exemplis Romanorum procerum longè clarissimus, quum eandem familiæ disciplinam sequeretur, insignique virtutis atque potentiæ fama floreret, Romæ per quinque annos continuo magistratu senatoriæ dignitatis fastigium obtinuit. Ab eo Henricus & mox Ludouicus Bauarus Cæsares in Capitolium recepti, & ad Vaticanum vel inuitis pontificibus imperatorio diademate coronati sunt. Ad huius studiij officijque memoriam Ludouicus coronam auream dono dedit, vt in gentilitijs insignibus supra Columnam perpetuo gestaretur. Sed Stephanus non multo post à tribuno plebis Rentio, atque item ab eius æmulo Varoncello, qui plebem aduersus nobilitatem concitarant, Roma pulsus, victor tandem redijt, plebē inimicosque prostrauit, filijque & duorum nepotum indignam cædem vltus, Vrbi quietem, & Capitolio suum decus restituit. Hic est ille qui per ciuiles discordias contendendo pugnandoque exactæ ætatis senex factus, hortatu Francisco Petrarchæ familiari suo, vt animum ab intestinis contentionibus ad otium deduceret, præclara & patritio ore digna voce respondit, Romano & generoso viro ad sepulchrum vsque pro dignitate & libertate esse dimicandum. Huius domus quum filiorum atque nepotum nobilissima sobole floreret, in queis cardinales & episcopi, sacratique minores viri literis & pietate insignes, summæque virtutis & indolis militares duces visebantur, optimorum studiorum, & veræ virtutis domicilium fuit. Stephano autem quum in Galliam ad Pontificem nauigasset, in magistratu successit Vrsus Anguillarius eius gener, à quo se Petrarca in Capitolio laurea donatū scribit. Sed mihi veterum annales excutienti, & quales quantosque viros tulerit Columnia domus memoria repetenti, Ioannes Columna cardinalis Odoardo genitus, omnes qui antea fuerint, vel postea virtute ac armis illustre nomen sint consecuti, cum pietate & magnitudine animi, tum rerum gestarum gloria superasse videtur. Is enim trecentos & viginti ante annos ab Honorio pontifice Christiani exercitus & ingentis classis legatus in Aegypto ad Pelusium Nilii hostium, Æliopolim, quam Damiatam vocant, validissimam urbem expugnauit: sæpe & diuerso quidem euentu cum Saracenis acie conflixit, captusque & demum solutus, & victor ex ancipite periculo laboreque honestissimum sacrato viro atque incomparabile, omniq; armorum specie splendidius triūphum Romam detulit, Columnam scilicet, in qua Christus seruator Hierosolymis deligatus, & flagris cæsus fuit, quam in sanctæ Praxedis templo supra Suburram ad Exquilias hodie veneramur. Huius quoque opibus hospitales domos ad Lateranum cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum calamitosorumque hominum cum singulari pietatis laude edificatas constat. Sed familiæ nomen & opes aduersis sæpe ciuiliū bellorum motibus nutantes, post ducentos annos à Ioanne Cardinale Oddo Columna confirmauit atque auxit, cum apud Constantiam in concilio Christianorum omnium virtutis commendatione & Sigismundi Cæsaris insigni studio pontifex esset renun-

ciatus.

tiatus, Martini nomine desumpto. Huic ex Agapeto patre fuere tres fratres, Iordanes Salernitanus princeps, Sarra tertius, qui sine prole decessit, & Laurentius Albæ Marforum comes, & Neapolim magnus erarij præfectus. Hic in quadam turre fortuito incendio absumptus Prosperum, summæ authoritatis cardinalem, atq; item Antonium præfectum vrbis, & Odoardum Amalphitanū principē filios reliquit. Ex Antonio Prosper, ex Odoardo Fabritius editi, ante alios præclara familiæ lumina maiorū omnium famam virtute bellica et fortunæ prouentu ætate nostra feliciter adæquarunt. Prospero ex alia matre frater fuit Hieronymus Pompeij Cardinalis pater, qui Sanctacrucis Valleios ciuili exorta seditione oppugnantibus, cum armatus prodisset, pilo ab aduersa acie eminus contorto, per thoracem traiectus interiit. Pompeius & reliqui fratres, de quib. mox dicemus, patre orbati, singulari diligentia Prosperi patruī perdiscendis literis in ludum sive cōiecti sub erudito, sed admodū rigido præceptore, et procul ab vrbanis delitijs. Is enim in monte Compatrum in Tusculanis collib. eos alebat simul et docebat. Enituit in eo statim ingeniū acre, viuudum, sublime, & in perdiscendo, pangendoque carmine adeo glorię audum, vt cū M. Antonius idem patruelis frater, et in ludo socius, aliquid ipso felicius dictaret, aperto quodā æmulationis dolore torqueretur. Decimum octauum agens annū, eō ingenium corporisq; staturam ad militares artus protulerat, vt quanq̄ imberbis imperia præceptoris eluderet, nihil tñ de literarū studio remitteretur. sed cū M. Antonio ætate paulo maiore de bellicis laudibus & de maiorum suorū præclare gestis assidue disputaret, ita vt euolare atq; arma tractare malle videretur, quā consensescere in literis, quæ præstantissimis tantum ingenijs gloriam afferrent, mediocrib. autem vix necessaria vitæ frugalimenta præbere consuescent. Contendebant eo tempore inter se armis Columnij Vrsinique proceres, cum dissidentib. inter se Sabellis, duo eius familiæ Syluius atque Traianus ad Vrsinos se contulissent, vsiq; illorum armis, Iacobum & Troilum paternis oppidis expellere conarentur, quos aduersus parum æqua postulantes, Columnij pro dignitate Gibellini nominis defendendos suscepissent. Eam verò controuersiam in immensum alebat Alexander Pontifex mira simulatione, modo his, modo illis fauens, et occultè vtriusq; pecuniam atq; arma submittebat, scilicet vt mutuis attriti cladibus ab ipso demum sine negotio delerentur. Descendebant à Crustuminiis vallib. Columnij Prosper atq; Fabritius, vt secus Palumbariā in Latium redirent. Vrsini sub monte Cælio castrā posuerant. Itaque Pompeius et Marcus Antonius contineri non potuerunt, quin in castra conuolarent, interessentq; memorabilī prælio, in quo triduo post vtriusque factionis clarī duces, partium opib. aucti confirmatiq; Germanorum atque Hispanorum auxilijs concurrerunt. Nullo vnquam prælio maiore æmulatione vehementioreque odio certatum est, quum ab insignibus & de facie noscerentur, & in prima vtrinque acie cristis & voce insignes inter se noti amplius viginti proceres depugnarent, qui postea celeberrimi nominis duces euaserunt. Cessere Columnijs Vrsini capto Carolo Vrsino Virginij filio, qui cæteris imperabat, ceciditque apud Columnios Antonius Sabellus omnium pugnacissimus. Eo die insigni militiæ rudimento Pompeius profligatos insecutus hostes insignem equum deiecto caraphracto in castra retulit. Secundum eam victoriam Prosperi consilio, & Fa-

brith pugnaci manu haud dubiè partam, sequenti die victores vltra Labicanum Anienis pontem in Tiburti sub diuo epulati sunt, Carolusque generosè dimissus, quum vtrinque insidiosi pontificis consilia serò detexissent, initaq; pace & compositis rebus Prosper Pompeium ad Federicum regem Neapolim perduxit, apud quem statim inter carissimos est habitus, quum fortè spectante rege nobilissimi iuuenes triplicato saltu decertarent, ipseque productus in stadium, cæteros omnes cum multo spectantium plausu superasset. Interea Alexander Pontifex diro scelestoque consilio, vt amplum Cæsari filio imperium pararet, cum Ludouico Gallorum rege foedus inijt, cui & Venetus audugendi imperij maximè auidus aderat, ea conditione, vt Ludouico Sfortia Cisalpinæ Galliæ imperio depulso, Venetus Cremona vrbe, Alexander verò Togatæ Galliæ vrbibus circa Flaminiam viam potirentur, & reguli omnes qui pontificiæ ditionis essent, mulctandi delendiq; Cæsari Borgiæ traderentur. Ita Columnij vim imminentis procellæ felici coniectura metuentes sponte atq; opportunè diffugerunt. Ioannes Columna cardinalis Prosperi frater post multas latebras in Siciliam euasit, Fabritius & Prosper apud Federicum cum vniuersa familiæ iuuentute, militiae adscripti substitere. Secutus est Iubilei secularis annus funesto totius Italiæ motu & immani pontificis sæuitia insignis, quo Ludouicus Sfortia & Ascanius Cardinalis frater opera Heluetiorum capti, detrusiq; in Gallicum carcerem, paterno imperio exciderunt. Catharina Sfortia bello capta Forocornelij & Foroliuj possessione excessit. Eustorgius Manfredus adolescens necatus & in Tyberim proiectus, Fauentiam cum vita reliquit: Varanij Camertes reguli quatuor strangulati: Vrsini nullo salubri consensu coeuntes Paulus & Franciscus, itemq; Vitellocius Tifernas, Liberoctusq; Firmanus necati. Baptista cardinalis Vrsinus cantharidum veneno sublatus. Bernardinus et Iacob. Sermonete in Latio reguli, hic ferro, ille aconito extincti. præterea Malatestæ Arimino, Sfortiæ Pisauo, Feltrij Urbino pulsi, & in exilium acti: ita vt vni omnium Columnij proceres, admodum prudenter in ea turbulentissima tempestate egisse sint visi, quod paternis oppidis quæ Borgiarum nefariæ cupiditati inuadenda reliquerant, salutem pretulissent. Secutus demum est annus quo Ludouicus et Ferdinãdus reges in Federicum Aragoniũ conspirantes, nobilissimũ inter se regnum diuisere auctoritate pontifice, breuique Federicus desertus ac proditus in insulam Ænariã profugit, atq; inde superante odio in Ferdinandum q̄ propinquitatis & fidei iura violasse videretur, Ludouicũ pretulit, ad quem supplex in Galliam confugeret. Fabritius et Prosper id cõsilium improbant, vtpote qui salutem suam Gallis minimè committendã existimabant, exilioq; ignobili in remotissimis terris senescere, repetendisq; paternis oppidis spes suas corrumpere nolebãt, enauigante in Galliam rege, ad Consaluum Agidarium Consentiam se contulerunt, à quo summis honorib. excepti, magnisq; aucti stipendijs, in id tempus permansere, quo bellũ inter Hispanos & Gallos exarsit, cum de finib. primò insolenter verbis, mox immodicè armis contendissent. Eo conflato bello, Pompeius quanq̄ planè imberbis alam leuis armaturæ equitũ ductandã sumpsit. Euaserat enim iam & habitus vigore & animi spiritu planè militaris, ita vt inter Hispanos industria atque vsu claresceret. Cesserant Hispani ab initio Gallis, Barolumque in Apuliam se receperant, vti maritimæ vrbis copijs

iuuaren-

iuuantur, atque interim à Sicilia atque Germania nouas copias expectarent. Editæ fuere per id tempus aliquot tumultuariæ equestres pugnae, complura ex insidijs peditum prælia, iustisq; per hyemem expeditionibus oppida multa tentata captaque, et in his Rubium Columniorum maximè consilio & manu tormentis expugnatum, oppressis ibi duarum Gallorum alis, et Palitia claro duce capto. Neq; vllum illustre bello facinus est editum, in quo non Pompeius aut acriter pugnando, aut sese fortiter explicando nominis famam extenderit. Suborta demum est præclara contentio de virtute inter Italos & Gallos, quum Galli se Italici equestri gloria præstare dictarent, atque id se paribus armis cum totidem cataphractis, concluso in stadio ad certum victoriæ præmium ostensuros affirmarent. Nam paulo antè vndeni etiam Galli Hispanique equites ambiguo Marte & incerta victoria ad Tranium dimicauerant, prouocante Motta Gallo, quem postea vti Borbonij satellitem in occupata Cæsarianorum armis vrbe Roma prætorum vidimus. Indicus Lopes Hispanus pro Italicis recepit, idque mox ratum habuere Prosper atque Fabritius, qui pro decore Romani nominis, retundendam Gallorum insolentiam existimabant, quo illi numero præscripserant tredecim equites constantis præsertim ingenij & indomiti roboris delegere. In his adnumerari Pompeius magnopere cupiebat, sed patris seueritate ei vix dum erumpentem primam lanuginem obiectantis, ab eo grauissimo facinore deterritus, id tamen impetrauit, vt alienæ virtutis spectator foret, armigerique habitu hastam cassidemque Iano Capoccio equiti Romano deferret. Audiui ego sæpe ipsum id memorabile prælium recensentem, affirmantemque se nunquam postea, aut pulchrius spectaculum, aut honestiorem voluptatem oculis atque animo percepisse, quum Itali stratos vulneratosq; hostes Gallos in castra captiuos cum acclamatione totius exercitus adduxissent. Nec multo post adulto iam vere commissa est insignis pugna ad Gerionem propè Canusium. Iam enim Octavianus Columna Pompeij frater ad Maximilianum Cæsarem in Germaniam missus à Tergeste per Hadriaticum lectissimas Germanorum cohortes adduxerat, Consaluusq; eductis Barolo copijs prælio certaturus ad Gerionem peruenerat, estuoso siticulosoque itinere, ita vt pedites siti fatiscientes ab acie soluerentur. Prosper Romana disciplina idoneum castris locum aggere ab agrestibus facto, & ad aucto opportunè munitum, conuiescendum atque ibi expectandos hostes esse censuerat, vt Gallorum magna vi irruentium impetus obiecto aggere frangeretur. Nec eum omnino sefellit opinio: nam Ludouicus Namarcius ex Armeniaca familia, cuius erat exercitus imperium, vt planè iuuenis, quin confingeret retineri non potuit, tametsi toto eo die cum Fabritio Columna totius equestris leuis armaturæ præfecto, ex itinere lacessendo præliandoque suos ad magnam sitim ac lassitudinem perduxisset. Inter vtrumque enim exercitum medius constiterat Fabritius tam felici labore quam periculoso munere defuncto, vt latè diffusis alis in queis Pompeius nauiter operam præstitit, prospectum omnem in ea nuda planitie Gallis hostibus adimeret: ita vt non satis perspicuè conspiciere, aut coniectari possent, quonam ordine compositæ acies incederent, quibus præsijs impedimenta firmata essent, quo interuallo peditum agmina ducerentur, quem deniq; itineris flexum Consaluus cum signis atque tormentis teneret. Iam serum diei erat ad Quartum Ca

lendas Maias, quum appropinquantes Hispanos atque Germanos Prosper intra munitiones salubri consilio recepit, quanquam illi elatis ferocia animis ea munimenta despicerent, profiterenturq; se æquali & expedito in campo, vel cum duplicato hoste pugnatos: sed in Prospero ea erat autoritas & prudentiæ militaris opinio, vt facilè paruerint, quum humaniter alloquendo mirum in modum in eis magnitudinē animi laudasset, vt demum arrogantiā, vti exitiosæ temeritati proximā castigaret. Superueniente Consaluo instructe sunt acies, ipse mediā, Fabritius et Prosper cornua tenuerunt. Emisere interim tormenta Galli puluerulentoq; agmine progressi, & proposito pugnae signo, hinc equites, illinc Heluetij Galli; pedites æquata fronte incitati cursu in hostes procurrere. Non tulissent vim irrumpentiū Hispani, nisi ea vel exigua munitionis iniquitas nequaquam ab ipsis Gallis explorata eorum impetū retardasset atq; fregisset. In ea cunctatione Ludouicus quum aliū tētaturus in hostē aditum cōfertissimas cāthraactorū turmas reflecteret, Germanica glāde traiectus occubuit. Ciandeus & ipse Heluetiorū dux cristarū sylua conspicuus à Germanis atq; Hispanis, qui cum eius peditatu pugna exceperant, interficitur, vixque semihoræ spatio tota Gallica acies cesa prostrataque est. Equitum Gallorum acer impetus fuit, sed mox insignis fuga, hēsītq; eorum tergis Fabritius in multā noctem, quum Alegria et Arsius duces diuersis itineribus euasissent. Prosper diuersa via cum Pompeio tumultuarijsq; equitum turmis delatus ad hostium castra ingēti præda potitus est, ita vt etiā hostium mēse omni cibariorum copia vsq; ad luxum exornatæ, lassitudinē victorum abundè recrearent. Prosper ingressus Ludouici tabernaculum omne argētum quod in abacis expositum erat, Pompeio ob nauatam fortiter operā douauit, quod ipse demum ad rationē spectatæ virtutis liberali animo penè totum equitibus suis diuisit. Pernoctarunt in ipso interfecti hostium ducis prætorio Prosper atq; Pompeius, et id quidem cum insigni dolore sollicitudineq; Consalui, ipsiusque Fabritij, qui quod ea nocte in castra nō redierant, ambos haud dubiè cecidisse existimabant. Pompeius eo die ter summum vitæ periculum adiit, nam quum in densatos hostes irrumperet, trinis Heluetiorum iudutus contis, ex equi sella in sublime eductus, ita cecidit inde elabente equo, vt ferè protritit ereperit, destitutus eo modo in pedes quum vacuum sessore hostilem equum correpto freno ascendere conaretur, ab Hispanis eius prædæ auidis penè est interfectus, seruatusque beneficio M. Antonij & Marcelli fratris, qui opportunè semioppresso opem attulerant. Exinde persecutus effusos in fugam hostes priusquam patruum adsequeretur, quum in nobile Galli ducis scortum magno auri onustum pondere incidisset, disiecto fugatoque eius comitatu atque præsidio iam manibus prædam teneret, superuentu hostilis turmæ, penè ei sese explicandi & refugiendi ad suos tempus defuit. Profligatis eo modo Gallis, Neapoliq; subinde capta, admirabiliq; artificio Petri Nauarri duabus arcibus expugnatis, Pompeius ad recipienda Fundani agrī oppida cum ala sua & peditum manu missus, Caietanæ familiæ principes celeriter inde expulit, vsusque Hispanorum victoria in Hernicis aliquot castella occupata paulo antea Comitum familiæ regulis in potestatem redegit. Interim Alexander pontifex moritur, quum ad fontem Vaticanum instructo conuiuio cardinales aliquot conuiuas veneno tollere cogitaret, & errore

ministri à lagenis, Dijs veluti tot insignium virorum neces vindicantibus, Falernum aconito dilutum ebibisset. Descenderat per eos dies è Gallia Cisalpina Franciscus Gonzaga atque Tramilius Gallorum duces cum validissimis Heluetiorum cohortibus equitatuque ingenti, Romamque peruenerant, vs Neapolim repeterent. Consalvus soluta obsidione Caietæ ad tuendam Liris amnis ripam in Sueffanum Minturnensemque agrum copias adduxerat. Cæterum multis paruis vtrinque susceptis expeditionibus res eò deducta est, vt magna vi multoque apparatu Galli, Liri amne ponte constrato, transeundū omnino, & cum aduersarijs patenti in campo confligendum decernerent. Erant Gallis ampliora numero, expeditioraque agilitate curruum et equorum ænea tormenta, quibus è sua ripa & extremum pontis caput, & patentia cæporum spatia petebantur, ita vs erumpentibus per pontem Gallis, nequaquam sine certa pernicie occurri atque resisti posse videretur. Sed ambigente Consaluo, atque cum casum reformidantibus plerisque fortissimis ducibus, Fabritius Columna ad Consaluum cōuersus: *Negotium hoc (inquit) nequaquam cunctanter consulendo considerandoque patrandum est, sed forti manu & expedito pugnacis animi vigore, quum iam transeant, et mox duplicatis turris inuicti roboris densatum agmen, cui pares esse minimè poterimus, circa pontem sint inducturi. Extemploque collaudatus à Consaluo Fabritius, euocatis excitatisque ad pulcherrimum facinus familiarium promptissimis, & vno maxime Pompeio audacter progredi iusso, quum plerique Hispanorum sequerentur, inter volantes colubrinarum pilas, multosque milites passim earum violentia discerptos, ad pontem peruenit, tanta vi in primos irruens, vs Galli cæsi pulsique partim retrò per pontem verterentur in fugam, partim hinc & inde auersi & resistentes, quum ab extrema ripæ margine deciderent, profundo & rapido amne mergerentur. Neque vnquam Gallis postea fractis, aduerso rerum euentu ducum animis consilium fuit, vt de transitu amnis cogitarent. Eo die Pompeius à spectata virtute ab ipso Consaluo publice laudari, donarique insigni equo promeruit. Nec multò post, quum auaritia Gallorum ducum qui stipèdia militum auertere, & commeatus procurationem ad infamem questum reuocare perseuerabant, Gallorum copiaz per hiemem imbribus & gelu incommodam inedia afflictæ, & multis extenuatæ malis calamitosi exitus fortunam tulerunt, ita vt castris, et demum Caieta vrbe post cruentam & miserabilem fugam pellerentur. Per id tempus Iulius secundus Alexandro Suffectus, vti erat Columniæ familiæ amicissimus, capto Cæsare Borgia atque eo Hispanis dedito, occupata paulo antè oppida Prospero atque Fabritio restituit, missusque ad ea Pompeius vt inuiseret atque reciperet, eo cumulationem lætitiæ est consecutus, quod Alexandri sumptu, & in Algido, & Genetiani, & apud Neptuni portum in Antiata, et in Luculli Tusculano, arces ædificatas comperisset, quibus ipsi Columni proceres singulari atque insperato ab exilij calamitate beneficio accepto, absque vlla armorum contentione & sumptu potirentur. Eo modo Columni patriæ restitutus, ad augendas insuper eorum opes, Pontifex Lucretiam sororis filiam M. Antonio Columni exquiritis ingenij naturæque muneribus ornatissimo in matrimonium collocauit, donoque ad dotem adiecit Frascatum oppidum in Tusculano, per celebrem olim Lucij Luculli villam, atque item ædes magnificas præ-*

altaque turre insignes ad Apostolorum templum sub Quirinali, quas ipse in minore fortuna cōstruxerat. Ob id Prosper graui quidem iudicio, Pompeiū sacris initiandum existimauit. Iam enim Ioannes frater cardinalis Alexandro morte sublato è Sicilia redierat, erantq; illi sacerdotia per amplius redditus, quæ omnia senescente patruo Pompeius iuuenis ad corroborandam rediuiuis opibus familiæ dignitatem excepturus esse videretur. Verum ille ab ingenio planè militari vti bellicę laudis quàm sacræ dignitatis auidior, vix auribus patruī consilium admittebat, vtpote qui speraret, postquam militæ rudimenta initiaque secundissimè prouenissent, maioribus suis se pari cum laude successurum, qui familiæ opes armis enitēdo contendendoq; amplificasse, & militaribus imperijs atque honoribus virtute partis insignem gloriam Columnio nomini quæsiuisse videbantur. Sed eo acrius reuientem vrgebat Prosper, & seuerè admodum castigabat, quòd Marcellus & Iulius natu maiores fratres iam vxores duxerant, et Octavianus pariter connubio ex vsu factionis opportunè quæsito, operam liberis esset daturus. Per hunc modum obstinato animo sacerdotales honores repudianti per quietem apparuit ei Hieronymus pater, minaci & seuera fronte acribus itidem castigans verbis, & dextra quatens flagellum, eo scilicet nudum vehementissimè percussurus, ni extemplo propinquorum iussis obtemperaret, atque vt in fati esset sacris initiaretur. Itaque Pompeius post multos æstus fluctuantis animi, quum paterno ostento & patruorum imperijs parendum foret, valde mœstus, & reluctantè quidem genio protonotarius creatur, superinductaque linthea striata stola apud Ioannem cardinalem patruū familiæ magister est effectus. Tum verò, vti noui sacratiq; ordinis professorem decebat, intermissa diu optimarum literarū studia, sedato compositoque ad otium ingenio, repetere cœpit. Aderant ei viri elegantes, clarique poetæ Tamiras Macarocius, et M. Antonius Casanoua Comensi patre genitus, Phædroq; in primis Volaterrano, et Camillo Portio Romanæ eloquentiæ professoribus familiaritate coniunctis vtebatur, adeo vt ingenium excoleret feliciter, extemporaneisq; sermonibus memoria rerū omnium fretus præcellenti, & sublime iudicium, & luculentum Latinæ eruditionis apparatus proferret, ita vt non sit mirum, si demum supremis vitæ annis graui ter scribendo ingenij fecunditatem ostenderit. Nequaquam tñ illos eluti & generosi animi spiritus militares, à patre simul familiæq; moribus ductos, ad auctosq; demum in castris abiecerat, quum in omni cōficiendo negotio expeditus quidam & verè bellicus vigor, gestu, sermone, fronte, singulari alacritate semper emineret, adeo, vt cum Hiscero Hispano, ob exortam cū ipso simultatem ex Reatini sacerdotij redditibus, ad singulare certamen prouocante congregari sit conatus, proiecto in solum pileo, & stola sacerdotali iracundiæ feruore dilacerata. Vetuere insanī propositi exitum propinqui, Ianus Bracalonius eques Romanus eius controuersiæ ferro finiendæ munus suscepit, quòd indignum esset et procul à Christianis moribus, eum præsertim qui sacris esset initiatus, in arena decertare. Sed Hiscerus Bracalonium repudiās, quum arrogantius quàm decebat, Pompeium itidem laceffendo prouocatorijs libellis irritaret, res eum habuit euētum, vt præco Hispanus ad Columniæ domus aream missus, quo Pompeium ad ignominiam tubæ cantu certamen detractasse pronuntiarer, à seruis sit trucidatus, postquā ea atria superbo ausu

violasse

violasset, quæ damnatis & perfugis, propter inueteratam familiæ existimationem, salutis securitatisque esse consueuissent. Ob id Rogerius Hispaniæ regis Legatus de præconis cæde multo fastu & vehementi oratione apud Iulium questus, cum obnixè peteret, ut id facinus, quod ad publicam gentis iniuriam pertineret, insigni exemplo puniretur, rectissimè factum pontifex respondit, quod serui à pedibus, ut tantam iniuriæ indignitatem vindicarent, Hispanicam insolentiam Romana superbia contudissent. Nec multo post Ioannes cardinalis autumnali febre extinctus interiit, impetrantemq; Prospero ab amicissimo pontifice sacerdotia in Pompeium translata. Ea fuere episcopatus Reatinus, et sacerdotium diuæ Scholasticæ per amplum, amœnicq; secessus ad Sublaqueum, aliudq; item Deiparæ virginis ad Cryptam ferratam in Tusculana Ciceronis villa. Exinde lautius & luculentius vitam egit, literas ardentissimè amplectens, nihil tamen intermissis cogitationibus, quæ ad magnas res gerendas pertinerent: ut scilicet varias Romanorum ciuium, externorumque hominum clientelas pararet, gratiamq; suam atq; item gentis auctoritatem subleuandis his qui opem implorarent, vehementissimè conferret. Id enim unum in eo viro eximium & perenne studium fuit, ut amicis præclaram constantemq; operam prestaret: persequeretur verò eos pertinacibus armis, quos ipse aut partium nomine, aut amicorum metu appugnandos omnino suscepisset. Interea Iulium Pontificem vehemens inuasit morbus, dolore animi ab aduersis belli successibus, haud dubiè conceptus. paulò antè enim Francisci Mariæ Vrbinatis, qui ex fratre nepos erat adolescentis & imperiti ducis copias, & Venetorum item auxilia Triuultius veteranus imperator sine ullo suorū vulnere profligarat, Bononiã que Bentiuolis veteribus tyrannis reddiderat. Qua freti victoria cardinales septem qui à pontifice descuerant, indicto Pisis et denuò Mediolani concilio, vehementius & arrogantius ad dicendam causam Iulium uti pseudopontificem criminosis editis libellis citabant. Itaq; manante per Urbem fama Iulium intra paucas horas expiraturum, coiuere in Capitolio Romani ciues, atq; itè utriusq; factionis proceres miro consensu de re publica consultantes. In his principes erant Pompeius Columna, Robertus Ursinus Pauli, qui à Cæsare Borgia necatus fuerat, filius, Georgius Cæsarinus, et Anthimus Sabellus: qui nobiles opulentasq; secundæ classis familias, atq; item populum & infimam plebem rerum nouarum cupidam, ad publicum audendum facinus pertrahebant. Summa consiliorum omnium erat, ut veterem libertatem tanquam fallacissimis sacerdotum artibus ereptam, armis recuperaret, nec se in posterum per inane iusiurandum noui pontificis et insidiosas cardinalium pollicitationes fœdè decipi, circumscribiq; et indignæ seruitutis compedibus vinciri paterentur, Urbem et vectigalia, et iurisdicundi magistratus antiquissimæ possessionis iure ciuium esse Romanorum. Porro sacrorum curam sacerdotum atq; pontificum iuris esse, quorum augustæ dignitati equum esset summos honores exhibere, et in tota administratione reip. Christianæ eorum auctoritatē sequi. Ceterum veterem Romani nominis gloria indignum videri, quod paucorum sacerdotium impotenti avaritia libidineq; cuncta comoda interciperentur: illorum enim profecto esse emolumenta rerum omnium: porro ipsi veluti ad solatium sensim inductæ seruitutis, veterum tantum honorum imagines esse relictas: cum senatoris paludati sceptrum & triumuiralis magistratus conseruandæ Urbis, virentes fasces speciosa visu

in signia inter pompas & agonales ludos, inanem et irrisam auctoritatem obtineant, & si qua sint quæ pudore superiorum pontificum minimè abolita videri possint, ea tamen prætoris vrbanî summo & peracerbo quidem imperio circumscripta, & angustissimis iurisdicundi finibus inclusi teneantur. Omnium profectò pontificum id esse decretum, quod nemo nisi planè vecors nō intelligit, vt excisa vetere Romani sanguinis stirpe, sublatisque proceribus, tota vrbs occupanda inquilinis semibarbaris hominibus concedatur. In eam quoque rationem principes vrbis familias solito purpurei galeri honore, quo iam diu orbatæ sint, pertinaci pontificum liuore priuari, excludique virtutem ipsam ab aditu senatus, quem ex diuerso probrosi hominib. abundè repleuerint, ne vnquam generosis, Romanisq; ingenijs pateat locus, vnde fastigium summæ dignitatis eniti possint. Quasi Romanæ ciuitati omnino erubescendum sit, aut Christiano orbi penitendum, quòd Coelestinus Comes, Honorius Sabellus, Nicolaus Vrsinus, & Martinus Columna sacris & reipublicæ præfuerint, qui pietate, innocētia, virtuteq; animi illustres, multas successoribus tenebras offudisse videantur. In his concionibus vt quisque acerbissimè atque insensissimè de sacerdotum moribus dominatuque prolocutus est, is ante alios constantissimè & pro dignitate Romanæ libertatis dixisse est visus & publica voce celebratus. In his Pompeius vehementiore eloquentia fuit insignis, cum libero ore cunctis dicendum, & cardinalibus per interregnum vt et manu personam omnino detrahendam esse perorasset. Indignabatur enim quòd Vrsino, Sabello, Columnæ, & Cæsarino nuper defunctis, nemo Romani sanguinis esset suffectus, quum Alexander & Iulius aliquot nouos homines, & scelerum infamia notatos in senatum delegissent. Itaque decretum est vt armati conclaue in Vaticano circumsiderentia Cardinalibus ante inita comitia singulis sacramento adactis postularent remitti vectigalia, falisque præsertim, & demum aliarum rerum immunitates per vim antiquatas abolitasque restitui, vtque à nouo pontifice priusquam conclaue excederet, & ad diui Petri aram deferretur, triumuiris antiqua spatia iurisdicundi, & populo creandorum magistratuum iura edilitalisque munera redderentur: et vti primo quoque tempore legeret in senatum quatuor Romani nominis cardinales, legemque promulgaret, qua vrba sacerdotia veterib. Romanis, aut antè Patres ciuitate donatis conferrentur. Fuere & qui intemperantius vocem efferendo, & in his M. Altherius, & Iulius Stephanutius (is tum erat triumuir) molem Hadriani reperendam, Romanoque præsidio custodiendam censerent. Sed dum Romani in Capitolio horis propè omnibus consultant, Scipio Lancelotus medicus Pontificem stomachi vitio prostratum, & alimenta repudiantem, oblato persico pomo, ad certam vitæ spem feliciter erexit. Ad eius rei famam dissoluta extemplo populî consilia, & dilapsæ cohortes, quæ iam ad signa conuenerant. Verum de Capitolinis concionibus nihil omnino à cubicularijs pontifici fuit delatum, ne in agrè conualescente iracundoq; homine, ad eius exitum bilem mouerent. Fortè per eos dies Petrus Vallius cardinalis Rhæginus Togatæ Galliæ præfectus, cum falso rumore defuncti pontificis prouincia excitus, Romam mutatis ad celeritatem iumentis ad comitia conuolaret, inusitato labore, & calore cōfractus interijt: ambigenteque Iulio, quem nam idoneum atque negotio parem sufficeret, vnus ante omnes

Pompeius delectus est, cum in prouincia factiosa bellicosaque inter Gallicos tumultus, Bentiuolorum & Ferrariensium armis exposita viro opus esset, qui generis autoritate, expeditoque consilio & militaris ingenij vigore prestaret. Porro Pompeius qua de causa in Vaticanum vocaretur ignarus, in anticipati consilio aliquandiu haesit, ut ipse vnus quod ordine sacerdos esset, turbulentæ concionis poenas daret. Quamobrem aduocatis in concilium ex vtraque factione amicorum primoribus, dixit se omnino ad pontificem iturum, si vero aliquid sibi durius accideret, nauiter arma conclamarent, & celeriter opem ferrent: Sed Iulius ita eum amice excepit, ut inde non modo metu liberatus, sed auctus praefecturae honore demum reuenteretur, super haec optima spe etiam plenus: nam Iulius dixerat eum e prouincia purpureo galero insignem esse rediturum. Sed dum Pompeius iumenta parat, et familiam instruit, biduo in prouinciam profecturus amici Francisci Marig, et in primis Isabella Gonzaga ex adoptione mater, quae tum aderat, metu consternati, Iulium adentes docere eo consilio nihil esse alienius a rationibus pontificis, ac salute Francisci. Nam si Pompeio designato praesidi Togata Gallia traderetur, praebere inde aditum Fabritio Columnae ad inuadendum Urbini principatum, cum is tum validissimis instructus copiis, aduersus Gallos bellum gereret, et in propinquo eius rei aggreddiendi occasione opperiri videretur. Nam Fabritius ex Agnesina Guidonis Vbaldi pariter sorore liberos sustulerat, ad quos ex aequo dimidia eius principatus hereditas pertineret, adeo ut ad iniuriam Columnae domus Agnesinaeque et liberorum Franciscum a Guidone adoptatum fuisse quereretur, dicitaretque sepius, se aliquando aut iure aut armis eius hereditatis controuersiam finiturum. Addidit et infesto sermone mulier itidem periculum deprecata, nequaquam e re publica videri, si eum obiter dignitate existimationeque auctum prouinciae totius commotae parataeque ad sumenda arma proficeret, qui dudum in Capitolio princeps, turbulentissimis conciliis et concionibus Romanos specie recuperandae libertatis aduersus sacerdotes concitasset. Ea re Iulius tum primum audita extemploque aduocatis familiaribus ordine recitata, iratus Pompeio significari iussit, ne se ad iter compararet, quonia ipse aliud de praefectura Togatae Galliae consilium desumpisset. Nec mora Pompeius non tam sibi metuens, quam feruido ingenio contumeliam non ferens, Hieronymum Viccum Ferdinandi regis legatum orauit, ut se ad pontificem deduceret. Dicitur enim se coram publicam Romanorum omnium causam, quae aequissimis postulatis munita atque defensa videretur, priuatique officij sui erga ciues necessitatem excusaturum. Cum ea Vicco probareretur, deducereturque in Vaticanum, Pompeius amicos monuit obsecrauitque, ut instructi paratique essent ad defendendam iniuriam, si sibi vis inferretur. Caeterum Pontifex ad cubiculi fores expectantem, frustra rogantem legatum non admisit hoc vnum austero ore prolocutus: Nolo ego iracundus cum superbo & turbido verbis decertare. Neque vlla res Pompeio moram attulit, quin extemplo ab Urbe in Nemorensis villam proficisceretur, plane alienatus, & pontifici futurus hostis, cum ei salutem minime committendam existimaret. Nec multo post Petrum Marganum Urbe profugum ad se recepit. Is iuuenis, ingenio ferox, opibus & clientelis potens, Centium cohortis vigilum praefectum in campo Florae trucidarat, ut veterem contumeliam vindicaret, quod ab eo non multo antea, quod ferro succinctus inambularet, absque villo verborum honore

in carcerem esset perductus. Præerat tum prætorianis equitibus. Marganus Pontificis amicitia insignis, quod eum a sacro baptismatis fonte, & demum per omnem ætatem in delictis habuisset. Sed in Margano nequaquam tanti reuerentia erga principem atque eundem prope patrem atque nutritiū fuit, vt honestissimis sacramenti militaris rationibus, vindictæ libidinem anteferet. Inueterata enim cōsuetudine Romani maximè decorum putant, præfectū vigillum interfecisse, quod eo facinore fortiter patrato totius iuuentutis, gladiatorumque omnium gratia atque insigne studium comparetur, confirmeturque ea opinio apud omnes ordines, in Romanis pectoribus non deesse generosos spiritus pro tuenda nominis dignitate, quanquam fatali temporum iniuria sensim decepti oppressi quæ à vetere sua amplitudine fortunaq; deciderint. Itaque Pompeius atque Marganus aduenisse tempus rati quo arma expedirēt, Robertum Vrsinum in societatem adsciscunt, cum Marcello Iulio quæ Pompeij fratribus, itemque Petro Francisco Columnæ consilia communicant, decernunt quæ in Gallorum partes transeundum, vt eorum adiuti pecunia, conscriptisque copijs, pontificem domestico conflato bello, ab Hetruria simul & à Latio adoriantur. Coniuratione itaque inita & constitutis rebus, Marganus atque Robertus in vltiorem Galliam magnis itineribus contendere, explicatisque gerendi belli consilijs, à Gallis ducibus liberaliter suscepti laudati que, supra vigintimilia aureorum nummum ad præbenda militi stipendia, per syngraphas accepere: eaque mox pecuniæ summa Mediolani atque Florentiæ per mensarios curata est. Galli eo tempore cum Venetis simul Pontificeque et Ferdinando rege bellum gerebant, maximum que ad maturandam victoriam momentum putabant, si vtriusque factionis virium accessione Iulius, nouo repentinoque domi lacepsitus bello vrbe Romæ pelleretur, ferunt Prosperum ab initio non ignarum eius coniurationis, ab honesto quodam liuore nequaquam dissimulanter optauisse, vt Iulij Ferdinandi que spiritus aliquo aduerso rerum successu frangeretur, que ab his in eo armorum tumultu, ipse tantus imperator esset prætermisus, cum hic Raimundo Cardonio viro eleganti potius quæ belli perito aut forti, copiarum imperiū detulisset: ille vero fratris Iulij adolescentis opera parum feliciter vteretur, cuius ipse antea imperio parere recusasset, nec graui cū iactura antiquæ existimationis fug, quæstui potius quam antè partæ laudi cōsulere videretur. Verum vbi rem ad extremi discriminis aleam omnino deductam vidit, feruidorum iuuenum audaciam ciuili remedio reprimendam ratus, dedit sedulo operam subtrac̄ta pecunia, ne militares copię conscribi possent. Prouidebat enim vir æque pius & sapiens atque in omni consilio moderatus, humana diuinaque omnia sc̄dè conturbari, amicissimique pontificis conuelli dignitatem, Neapolitanumque regnum in longè maximum discrimen deuocari, pro cuius possessione cum Gallis paulo antè tanto cum periculo & tanta cum laude dimicassent. Itaque Pompeius atque Marganus exuti pecunia, et præsentis Prosperi autoritate minisq; deterriti, ad Sublaqueum se receperunt, oppidoq; munitiones addiderunt, quib. sese aduersus irati pontificis copias tuerentur. Interim Robertus Vrsinus, Iordani Vrsini hortatu, qui pontificis erat gener, & propinquorum omnium precibus, liberalitateq; item pontificis expugnatus ad officium rec̄iit, Archiepiscopusque Rheginus in spem & propinquum

quum gradum senatoriæ dignitatis creatus est: Sed nequaquam Gallis restituta pecunia, quod eam domestico cultu, conuictuque & festinata in milites largitione profudisset. Confixerant per eos dies ad Rhauennam Gastonus atque Cardonius funesto vtrunque euentu, quum stratis pari prope clade validioribus vtrunque copijs, Gastonus memorabilis adolescens in ipsa victoria cecidisset, Cardonius verò deserto exercitu scedè profugisset, & Fabritius magister equitum, & Nauarrus peditum omnium præfectus, legatusque ipse Ioannes Medices Cardinalis in Gallorum potestatem venissent. Eius aduersæ pugnae nuncijs adeo pontificem exterruit, vt mari profugiendum deserta Vrbe cogitaret, ne ab intestinis hostibus opprimeretur, quum Pompeij consilia repentinumque impetum magnopere formidaret. Sed eum concepto metu valde commotum, neque tamen desperantem in spem erexit confirmavitque Iulius Medices, qui tum Rhodiæ militiæ eques, postea pontifex Clemens Septimus est appellatus. Is enim omnium primus è Gallorum castris in urbem intento cursu peruenerat, vt pro redimendo fratre Legato, cum ab ipso pontifice, tum ab amicis omnibus opem atque pecuniam impetraret. Is detecta & sigillatim expressa Gallorum calamitate, recitatisque nominibus eorum ducum, qui in acie cecidissent, aut grauissimè sauciati Ferrariam delati essent, tantis incommodis debilitatas hostiũ copias esse docuit, vt quum Hispanos pedites densato agmine fortiter euasisse diceret, nihil iam amplius sibi timendum Iulius arbitraretur, sed continuo pecuniã affatim proferret reparandis copijs, mitteretque ad Heluetios Matthæũ eius gentis cardinalem, vt inde auxilia pararentur. Quibus intra paucos dies euocatis, & adiuncto Venetorũ exercitu, Galli ab Athesis ponte deiecti, pulsique demum Ticino vrbe, atque amissa scedè Italia, vltra alpes continenti cursu profugerunt. Ita pōtifex ex summo dolore repentina affectus lætitia, incomparabilique victoria potitus, Bononiam recepit, Ioannem Medicem legatum quem Rainaldus Zactius nobili facinore edito è manibus Gallorum eripuerat, Florentiæ patriæ paternæque amplitudini restituit, Petro Soderino inde pulso, quod profugis ad se seditionis Cardinalibus et concilio demum Pisis sedem dedisset. Conuersus demũ contra Pompeium, tametsi eum nequaquam hostili animo armisque persequendũ iudicabat, vt eius errata familiæ condonare videretur, ad retinendam tñ sacrosancti imperij existimationem, vt extemplo cæteros sacerdotes deterreret, ei gestandi viridis pilei honorem, atque item sacerdotia ademit, promulgatis in eum iudicialibus libellis: ceterum sacerdotiorum redditus M. Antonio largitus est. Is Iulij ex sorore neptem Lucretiam in matrimonio habebat, insignique gratia supra affinitatem eximijs bello & pace virtutibus parta apud Iulium florebat. Quas ob res Pompeius consulendum salutis ac libertati ratus, supra Sublaqueum præalta in rupe, arcem quem Ceruariam appellabant ædificare cepit, vt si aduersum se armis Iulius vtendum statueret, loci munitione defenderetur. Sed M. Antonius lenito Iulio Pompeium et fratres eius omni metu facile liberavit, nullis tamen precibus potuit impetrare, vt ei sacri pilei dignitas redderetur. Ignoscebat ei pacato animo iniuriamque remittebat, ita vt etiã mature per breuem epistolam gratiam & reditum polliceretur. Sed epistolam reiecit Pompeius generoso, atque indomito prorsus ingenio, quod pontifex episcopi Rheatini titulũ in præscriptione nõ posuisset, adeo vt præconi qui

eam attulerat, vultu in amarum renidenti et subirato diceret, Alibi eum Pompeium ad quem pontifex scriberet esse requirendum, ipsum certè esse episcopum Rheatinum, ad quem minimè ea epistola scriberetur. Sed eam rem ad excitandum risum M. Antonius detulit, festiueque peruicit, vt in literis episcopi nomen adderetur. Paucis post mensibus Iulius diuturno fluentis alui morbo conflictatus, votorum ferè omnium compos, et prolati imperij gloria plenus interiit. Nec moratus est Pompeius, quin in Tusculanum amicos & propinquos omnes aduocaret, cogeret copias & ænea tormenta pararet, quibus irruptione in Urbem facta Antoni Montani cardinalis, qui Rheatinum episcopatum ambitiosè potius quàm honestè suscepisset, & Mariani Cucini, qui fisco præfectus criminofum libellum quo fuerat damnatus dictauerat, domos bellico more disturbaret. Hæc parantem tardauit Fabritius, egitque cum cardinalibus ad ineunda suffragia paratis, vt Pompeio insignia sua redderentur, idque faciliè impetratum est. Effuderant enim se omnium ordinum Romani ciues, vt redeuntem viderent, eique studia sua pollicerentur, adeo vt Tusculana via euntium ac redeuntium frequètia percelebris efficeretur. Andreas quoque Valleius, qui postea cardinalis est effectus, ad eum senatus nomine legationem suscepit, fidemque publicam interposuit, vt egregia omnium voluntate pristinae dignitati restitueretur, si ab armis discederet, intraretque urbem eo animi decreto, vt commotæ ad arma urbis tumultus compesceretur, et comitijs publica securitas atque libertas ipso ante alios præsidente præstaretur. Intrauit itaque urbem Pompeius magna omnis generis rogatorum & militum frequentia ad veteres ædes deductus, foribus conclusi ad ineunda suffragia senatus præfuit. Nec multo post, quum Iordanus Vrsinus, Fabritius Columna, Iuliusque Vrsinus et Lucas Sabellus salubri consensu erumpentes passim tumultus feliciter compressissent, Ioannes Medices desumpto Leonis Decimi nomine pontifex est renunciatus. Is singulari humanitate Pompeium ad oscula pedum admissum, extemplo dignitati sacerdotijsque omnibus restituit, prosecutusque est insigni liberalitate Columnios proceres, Fabritium in primis & Prosperum, quum eis per amplas et tripertitas ædes cum ornatissimis hortis daret, quas Iulius in priuata fortuna Columnio in solo ad sanctos Apostolos ædificarat. Exinde Pompeius in honore habitus, urbem atque aulam biennio coluit, ita vt æstate ad Sublaqueum & sæpius in Tusculanum secederet, nihil intermissa Romanæ iuuentutis familiaritate, amicitiaque summorum ciuium, eorum præsertim cardinalium, qui generis nobilitate & magnitudine animi præstarent. Venationibus enim & aucupijs studebat, ita vt sæpe ab eo miro apparatu & exquisitis sumptibus publica conuiuia medijs in campis & apud fontes summa comitate atque hilaritate præberentur. Erat enim in omni re, quam attingendam tractandamque suscepisset, & ciuili splendore perelegans, & sacerdotali copia sumptuosus, & supra omnes mortales in omni ioco atque negotio militari quadam libertate lætissimus, vt non sit mirum plurimos omnium ordinum ciues atque externos eius viri auctoritatem & studia alacriter & constanter in vtraque fortuna fuisse sectatos, quum generosa admodum fronte, atque eximio corporis habitu, cultuque, et erudita nobilique facundia, in alloquijs, & in omni diuinarum atque humanarum rerum actione præcelleret, vtereturque præsertim

vim munificentia & comitate, & id quidem subtili iudicio erga eos, qui magnorum procerum gratia & familiaritate florentes aut optimarum artium & virtutis laude conspicui, eius liberalitatis atque amicitiae munera & ornamenta præferre atque ostendere posse censerentur. Propterea dicere solebat Columnam domum, ipsa Ursinorum familia, quæ opibus & vetustate originis, atque item honorum præclare gestorum dignitate par esse videretur, multo nobiliorem euasisse, quod Ursini sub agresti negligentia, & quodam supino literatorum contemptu, certa scriptorum luce caruerint, Columnam vero, vel vno illustri Petrarachæ testimonio, memoriam apud posteros cum summa virtutis commendatione fuerint consecuti. Interea pulsus Italia Gallis, & Ludouico rege vita functo, Franciscus eius gener coacto ingenti exercitu, per Argætaras alpes in Italiam peruasit, capto exitinere Prospero Columna, qui cum Heluetiorum cohortibus atque Italico equitatu ad occupandos Coctiarum salarus frustra præcesserat. Nec multo post rex iuuenis plenus animi bellicique vigoris ad Mediolanum stratis Heluetiorum legionibus insigni victoria potitus est, venitque subinde Bononiam ad pontificem salutandum. Eo Pompeius propere contenderat, ut patruo in ea calamitate pietatis officia præstaret. Apparebat enim Gallos Prosperum tanquam ipsorum nomini vehementer infensum, ac ducem omnibus bellis aduersa semper acie sibi oppositum, ægrè vel ingenti accepta pecunia dimissuros. Sed Pompeius adeundo orandoque veteres amicos, tantum labore, ingenio, diligentiaque perfecit, ut Leo qui omnes mortales beneficentia superare erat solitus, id inter multa in te amicitie argumenta prolixè peteret, ut Prosper custodia educeretur. Neque Franciscus qui reges omnes magnitudine animi, clementia & liberalitate superabat, explendo Leonis voto moram attulit, adeo ut benigna etiam manu impositæ multæ onus persoluta ex fisco dimidia parte, subleuaret. Quatuor enim duces qui eum ceperant octonam aureorum nummum milia deposcebant. Itaque Pompeius expedita re nummaria, redeuntem in Galliam regem subsecutus, media hie me trans Alpes contendit, quo itinere summum se vitæ periculum adijisse sæpe memorabat, quum ipso Peninas superante alpes deuoluta ingens è summis alpium iugis niuum moles permultos omnis generis mortales, & in his integram Sedunorum legationem paucis ante se passibus oppressisset. Absumptis itaque in Gallia paucis mensibus Pompeius hospitaliter ubique receptus dinumerata pecunia, patruum custodia eduxit, ea tamen conditione, ut per syngrapham Prosper promittere cogeretur se sub signis regis militaturum, si intra certum tempus ipsius opera Franciscus præbito stipendio uti vellet. eo enim tempore rex Gallus qui dudum Maximiliani Cæsaris Heluetiorumque conatus ad Mediolanum Triuultij atque Borbonij virtute ac studio, et copiis Venetorum egregie represserat, noua inire consilia ferebatur, quibus Neapolitanum regnum repeteret, quum paulo ante Rex Ferdinandus in Hispania decessisset. At Prosper ubi Italiam attigit, quum ad eum magni militum concursus fierent, lentis admodum itineribus apud Regium Mutinamque progredi cœpit, ita ut res nouas moliri, & cum Cæsarianis, qui Veronæ oppugnabantur, consentire diceretur. Ea res sollicitos & anxios reddebat Gallos, qui Parmæ Placentiæque in præsidij erant, adeo ut Lotrechius Veronam oppugnaturus, de syngrapha certior factus Prosperum perfidiæ compellaret, quod in

grato infidelisq; ingenio recentis beneficij & datæ fidei memoriam abiectisset. Ea Prosper tanquam necessitate carceris expressa, vt apud Cæsarem Carolum que nepotem perspicue matureque dilueret, simulque vt præmia à Ferdinando accepta nouo regis diplomate firmarentur, Pompeium delegit, virtutis eius industriæque confisus. Neque is Germanicæ & Belgicæ legationis munus quanquam plurimi laboris atq; periculi plenum detrectauit, penè etiam subiratus matri fratribusq; & amicorum præcipuis, qui crebris patrii literis euocatum in vrbe retinebant, quum inutilem & multis subiectam casibus eius profectionem improbarent. Sed parère patrio certus, & in nocturnis visis, Genioque simul magnam spem reponens ad Prosperum contendit. Nam per quietem viderat, sibi in palæstra fesso victoriq; pampineam coronam cum Iulianæ vugæ racemis à viro gigantea specie certaminis iudice, in ipsa ludorum celebritate alacriter deferri: nec somnio defuit fides, aut spem eius Genius fefellit. Acceptis igitur ad Mutinam mandatis Mantuam concessit, vt inde aliquo astu ad Alpes euolaret. Didicerant enim Galli & Veneti per exploratores, Pompeium suscepta legatione Mantuam peruenisse, propterea diurnis nocturnisque stationibus itinera omnia diligenter obseruabant, ita vt non nisi summo cum periculo ad Alpes se proripere posse videretur. Sed eam hostium diligentiâ consilio Sigismundi Gonzagæ cardinalis elusit, quum agrestes tramitum omnium peritos, eius itineris duces accepisset, quorum fidei feliciq; opera in Brixianarum alpium valles inusitatis callibus perductus, ad Ludronios primò regulos, atque inde in Rhetiam & Vindeliciam ad Maximilianum peruenit. Quum susceptus humaniter à Cæsare regum omnium longe humanissimo mandata exposuisset, adhibereturq; deinde grauisimis consultationibus, tantum quotidianis sermonibus profecit, vt iam planè familiaris, & multarum horarum comes, in venationibusq; præsertim insignem gratiæ locū sit consecutus. Pernobilem enim peritumq; rerum omnium hominem, & partium necessitudine sibi coniunctum nactus Cæsar, ad apertis sensib. arcana proferre, rationesq; suas effusus atq; liberius cōmunicare cœperat. Que rebatur enim, nepotē Carolum à Ceurio Belga nutritio circumscriptū, oblesumq; teneri, illigariq; nouis Gallorum fœderib. que ad minuendam conuelendamque Austrig domus dignitatem pertinerent, fallacissimas recensendo artes, quibus Galli paucis ante annis intercepta ipsius vxore, & filia pariter repudiata in expiabilibus iniuriis intulissent. Itaque a Pompeio petijt, vt hisdem derebus suo nomine ad nepotem mandata ferre vellet, daretq; operam sedulo, vt Caroli adolescētis animus ipsius industria falsis opinionib. liberatus ab amicitia Gallorum auerteretur, secus ac Ceurius contendebat, cū scedere vel parum æquo, atq; insuper sponsalib. amicitia firmare properaret. Dicebatque Cæsar, Ceurium nō animi iudicio inductū, sed Gallico corruptū auro, aliena à salute dignitateq; Belgicarum rerū et aperte penè perfidiæ plena cōsilia protulisse. Nec detrectauit id munus Pompeius, quum se grauisima ea legatione suscepta plurimum honestari perspiceret, arbitrareturque ampliore, neq; ab se qua sita dignitate, patrii negocia opportunè atque facillimè confecturum. Per eum modum dimissus à Cæsare, et regulis liberisque ciuitatibus, per quorum agros iter erat facturus, per literas magnoperè commendatus ad Carolum in extremis Belgarum terris ad Oceanum peruenit. Ibi Pompeius cum

magnam

magnam partem aulæ ad ineundum cum Gallis fœdus valdè propensam & inclinatum comperisset, & multum in adulationem prompti decora atque salubria reticere, quàm Cœurio parum secundè obsequi mallent, in quo vno summæ potentiæ iura, & regni sceptrâ viserentur, officij sui munus ingenti animo, & libero ore implere constituit: honestissimum enim atque pulcherrimum ratus, si Cæsarianarum partium decus, quarum Columnij in Italia principes esse viderentur aduersus Gallicæ gentis potentiam, quæ Romano nomini infesta semper fuisset, à Columnio Romanoque homine defenderetur. Sed appositè differendo orandoque Pompeius frustra egit, plerisque proclinatam rem adiuuantibus, qui Cœurij votis in spem certissimi quæstus fauebant. Quibus de causis Pompeius iam planè Cœurio infensus, hæc ad Cæsarem ardentissimo studio perscripsit, monuitque, vt si flagitiosis corruptorū hominum consilijs resistendum, nepotisque dignitati omnino consulendum arbitraretur, iter maturè susciperet, veniretque in Belgium, vt ipso præsentem demonstranteque aduersariorum animi frangerentur. Nec profectio- nem distulit Cæsar, extentisque itineribus, Macliniam peruenit. Cæterum eius aduentu nihil amplius de veteribus consilijs est impeditum, quàm ne Carolus cum Gallis vna connubij sponsione iungeretur. Fœdus itaq; percussum Nouioduni necessarijs potius quàm honestis conditionibus. Vnde postea exortum est id bellum, quo Europa omnis per viginti annos deflagrauit. Fuisse qui existimarent, Maximilianum egentem pecuniâ, occulta Cœurij largitione, cui ea pecuniâ ex Gallorum legatis prodijisset, facile expugnatum atq; placatum assensisse fœderi: quoniam non prius Carolo in Hispaniam ad obtinenda regna nauigandum videretur, quàm Belgicas ciuitates omni belli suspicio neliberasset. Nec multo post Pompeius cum proluxa Maximiliani authoritate adiutus Prospero patruj negocia confecisset, essetque adhuc in Sicambrijs, ab Vrbe lætissimum collati sibi honoris nuncium accepit. Detecta nanque Alfonsi Petrucij cardinalis coniuratione, cum reliqui senatores ferme omnes ea sceleris atrocitate parum commoueri viderentur, leuiioresq; sententias dicerent, Leo pontifex expedito virilique iudicio insignis, alio senatu sibi opus esse existimauit. atq; ita Alfonso in carcere necato, & conscijs quod conceptum auditumque facinus minimè detulissent, pecuniâ damnatis, vnum & triginta cardinales ex lectissimo genere hominū vna pronuntiatione creauit. In quibus fuere Romani nominis octo, ipseque in primis Pompeius, facile impetrantibus Prospero atque Fabritio, vt suus honos Columniæ familiæ redderetur: qui aliquandiu pontificum callida frustratione aut malignitate, vt tempora tulerunt, intermissus, continuata serie ferè perpetuus esse consuevit. Nec multo post purpureis insignibus de manu Ludouici Aragonij cardinalis qui tum aderat, magna eius diei celebritate & gratulatione omnis generis hominum susceptis, in superiorem Germaniam urbibus visendis cognoscendisque earū gentium moribus ascendit: ab Augusta que Vindelica Cæsaris vestigia subsecutus, postquam vulgabatur eum venandi cupiditate, vagis atque impeditis itineribus ad Hercyniam vsque syluam penetrasse, in Italiam redijt, exceptus passim insigni partium studio. Romæ verò publico ei senatu dato, sessum suo ordine inter Patres receptus, breuī ostendit, se omnibus naturæ atque ingenij dotibus, tanto muneri parem, ac multum antea eius ordinis honore,

qui familiæ deberetur, dignissimum fuisse. Sacrorum enim ceremonias, et numeros, salutationesque sacerdotum exactissimè quidem, & mira celeritate perceperat. nec quisquam erat, vel vetus etiam senator, qui eo grauius aut eloquentius sententiam dicere, solennia sacra præclarius atque decentius operari, familiæque ordine & comitatu, atque mensarum elegantia, conuiuiarumque delectu, personæ dignitatem luculentius atque lautius tueri videretur. His moribus obiter apud Leonem per illustrem gratiam beneuolentiâ que rebat, promerebatur studia hominum, cum grauissimis susceptis officijs, lites dirimeret, veteres componeret simulates, miseris & afflictis intercedendo, iuuandoque certum ad salutem perfugium præberet. Et id quidem ampliore nominis existimatione, quod pontificem ad beneficentiam ornandamque virtutem natum, educatumque, opportunè admodum nactus, cuncta quæ polliceretur, facillè præstare consueisset. Secutum est demum vixdum exacto triennio, Gallicum bellum, quod ingenti animo coniunctus Carolo Cæsari Leo pontifex suscepit, vt vrbes Parmam atque Placentiam recuperaret, paratas antea à Iulio, & sibi demum ereptas, quum Franciscus in eo victoriæ cursu deferentibus Pontificijs tanq̄ suas Mediolanensiq; adscriptas imperio recepisset. In tanto armorum apparatu, quum Pontifex M. Antonium Columnâ qui pro Gallorum rege militabat, diuellere, atque traducere in partes, vel militaris imperij pactione nequiuisset, Hieronymo Columnæ cataphractorum turmas duas liberali stipendio ductandas dedit. (is erat Marcello Pompeij fratre genitus) itemque leuis armaturæ alam Iacobo Zambecario Pompeij vterino fratri attribuit, adeo vt Pontificem nihil non facturum in gratiam Pompeij appareret. Marcus enim Antonius generosi pudoris maximè flagitiosum putarat, à beneuolentissimo rege in eo erumpentis belli motu, parû honesta de causa discedere, à quo auctus esset cataphractorum alæ præfectura, ornatusque insigni honore torquati, consecratiq; ordinis, qui præcipuis tantum amicorum, lectissimisque ducibus, à Galliæ regibus demandari erat solitus. Cæterum Gallico bello haudquaquam felicibus initijs capto, maturè lætissimus finis impositus, Mediolanumq; autoritate & consilio Prospero, ingentique virtute Piscarij, profligato expulsoque Lotrechio, captum. Ad cuius victoriæ nuncium Leo pontifex incredibilem, sed omnino breuissimam lætitiâ cepit. Febribus enim ad Manlianam villam ex pestilenti aura conceptis, aut certè veneno, vt in eius vita perscripsimus, quinto die correptus interijt, sæpe nouissimis sermonibus repetens, supremæ necessitatis casum, quo sibi immerenti intempestiuè admodum vita eriperetur, se vel ob id æquiore animo ferre, quod Parmam atque Placentiam pontificio imperio reddidisset. Audita fratris morte Iulius Medices apud exercitum legatus, magnis confectis itineribus, ad comitia Romam redijt. Is hortatu suorum omnium, senatorumque aliquot insigni vsus studio prodierat candidatus: ex aduerso autem plerique seniores pontificatum petebant, quum ætatis honorem & variarum virtutum, ac literarum ornamenta præferrent. His magnoperè fauebat Pompeius, oppugnabatque Iulij partes, quum illum paulò antè prehensantem singulos, & grati animi officia reposcentem præclare adiuturus videretur. Nouos siquidem cardinales ferè omnes Iulij iudicio & commendatione Leo pontifex in Senatum legerat.

Sed

Sed multis de causis quas hîc referre minimè necessarium putamus, Pompeius à Iulio discédēs, & subinde apud seniores aduersariū partium effectus princeps, id vnū vehementissimè contēdebat, ne exequatis & mox ad auctis suffragijs Iulius Pōrificatu potiretur. Cui verò ipse maximè suffragaturus esset egrè poterat reperiri, quum nemo esset è seniorib. qui alteri quicquam de dignitate concedendū putaret, vel ex merito nō speraret fore, vt ipse in tantis comitiō rū gestibus ad pontificatū eueheretur. At iuniorum globus fide cōstantiaq; firmissimus (suffragijs scilicet miro cōsensu ad vnus arbitriū reuocatis) nullis omnino artib. aut machinis discipi labefactariq; poterat. Ob id præclare omnes intelligebant, neminē quem nō probaret Iulius, bis tertiā suffragiorum partē vti ex lege opus esset, esse consecuturū. Sed vbi nuntiatū est, Frācisum Mariā Urbino ac Pisauo potitum, Baleonosque fratres Malatestam & Horatium, pulsos inde pontificijs præsijs, Perusiæ receptos, validis in vnum coactis copijs Senam atque Florentiam petituros, animum despondit Iulius, ne si spes suas adipiscendi pontificatus diutius alendas censeret, vertente se fortuna totius Hetruriæ principatu, & concupito simul honore excluderetur. Itaque fatali quadam inuidia & inusitata patrum obstinatione, Thoma Caietano commendante, & miris attollente laudibus, Hadrianus ex vltima Bataurum insula, quem nemo vnquam eorum antea vidisset, pauci qui vir esset audissent, Pontifex est creatus, suffragante Iulio, & Pompeio seniores maximè cohortante, qui eundem tradendis literis, formandisque moribus Cæsaris magistrum atque nutritium, ex vsu Columniæ familiæ & partium necessitudine cunctis anteferendum putabat: ac item Iulio maximè probaretur, postquam ipse ex repulsa quam tulerat, neminem Hadriano rebus suis commodiorem, amicioremque futurum prospiceret, vtpote qui Cæsaris studia secutus, facile sperare posset, vetere nouoque beneficio obstrictum, & dignitati suæ & Florentinis rebus Cæsarianæ causæ inclusus nunquam defuturum. Cæterum redeuntes è comitiō cardinales, vti hostes Italici nominis probrosis appellationibus, maledictisque populus oneravit, adeo vt ex bilando, exprobrandoque dirum insanumque eorum consilium vix ab inferenda iniuria temperarint, quod nefaria ambitione, immani que liuore corrupti, oblitique publici decoris, pontificem ab vltimo petiturum Oceano multis qui aderant ætate et virtute conspicuis prætulissent. Erat tum Hadrianus in Hispania, quam dudum populari tumultu exorto rebellantem, regulorum adiutus armis, cum insigni virtutis & Christianæ pietatis laude pacauerat. Itaque Pompeius in Tusculanum ac demum ad Sublaqueum secessit, urbem relinquens orbatam pontifice, mæstamque, & suborta etiam pestilentia infamem. Constituerant Cardinales ex ipsorum ordine, triumviralis imperij mensuram potestatem. Sed eam grauis inuidia sequebatur, quum plerique vel media in vrbe, tanquā inanem contemnerent, irrideretque passim in prouincijs, quæ veterum tyrannorum, exulumque armis, renouatis factionum nominibus vexabantur. Quibus de causis pontifex frequentibus collegij literis, atque urbium legationibus accitus Romam, post septimum mensem conscensis triremibus, in Italiam nauigauit. Excepere eum Genuæ Hieronymus Adurnius, & ad Liburnum Pisano in portu Iulius Medices cum septem Cardinalibus, quorum comitatu auctior, ornatiorque Centumcellas peruenit. Ibi à Pompeio, qui cum

aliquot cardinalibus multisque episcopis ad mare descenderat, salutatus est, deductusque in templum, ut ante aram Deo et superis quod incolumis aduenisset, de more hymni canerentur. Quo in loco Pompeius orationem habuit luculentam, publico priuatoque nomine ei gratias agens, quod pontificatum Dei summi, Diuorumque omnium monitu ab optimis senatoribus delatum suscepisset, aduenissetque opportunissimo tempore, quo fessis rebus, afflictæque Vrbi, & tumultuantibus prouincijs opem ferret, mores salutarî censura corrigeret, daretque operâ, ut obsessæ Rhodo ingentibus Solymani copijs auxilia mitterentur. Ad ea pontifex miti oratione, sed paucis admodum verbis respondit, & vultu quidem parum familiari, quum ore & gestu Christianæ disciplinæ seueritatem præferret, Se Dei optimi maximi certissimo instinctu suscepisse pontificatum, in Italiamque venisse, propterea se sperare, ut reliqua eodem numine gubernata, felicissimè succederent, ita ut nihil senatorio ordini se debere, ommissa gratiarum actione fateretur. Quum verò inde ad Tyberina ostia peruenisset, & subito repente coram triremes ab importuoso littore ad Caietæ portum raperentur, Pompeius in scapham desiliens, ut pontificem sequeretur, fluctibus penè obrutus magnum vitæ periculum adiit. Nec multo post quum in Vrbe componendis diuinis pariter atque humanis rebus, pontifici operam præstaret, in longè maximum salutis discrimen est coniectus, intimis scilicet familiarium repentina pestilentia correptis, adeo ut in Tusculanum, atque inde ad Sublaqueum aufugere cogeretur. Eò etiam libentius quòd iam euulgatis contagione morbis Vrbs ipsa funeribus complebatur, metuque pontifex Vaticanis hortis se concluderat, ita ut nec cardinales nisi maximis de causis, in colloquium admitteret, utpote qui eorum ingenia fide pietateque vacare existimabat, & vix paucorum consilio vteretur, necessitate quadam, uti imperitus Romanarum rerum, sed nec his quidem suprema rerum arcana committeret. Initio autem æstatis eius anni qui secutus est, restincta ea morborum lue, Vrbeque demum omnibus diuinis atque humanis remedijs salubritati restituta, Pompeius ad Urbem rediit, quò & Iulius etiam Medicus ab Hetruria paulo ante iam venerat, cum quo statim in gratiam rediit, haud dubiè poenitentia ductus, ita ut præteritæ contentionis insaniam detestari, polliceri que præclarum studium videretur, si seni ad insolitum cælum traducto, & insalubri quidem æstate, fata vitæ finem attulissent. Renouabantur Galli ingens bellum, Duceque Guliermo Gofferio, quem à præfectura maris Amirantem vocabant, trañciente alpes Mediolani inita fuerat coniuratio, è qua Bonifacius Vicecomes, Franciscum Sfortiã illato leui vulnere frustra aggressus fuerat, & in Hetruria interceptæ Soderini Cardinalis literæ, quibus Gallos admonebat, docebatque quibus modis esset enitendum ut Cæsariani Italia atque Sicilia pellerentur. Quibus de causis pontifex Soderinum in carcerem duci iusserat, tanquam & infidum sibi, & partium Cæsarianarum hostem. Vnum enim eum opinione scientiæ humani diuini que iuris, & exactæ peritiæ rerum urbanarum grauissimis consultationibus adhibuerat, querebaturque propterea se ab eo tanquam à maligno speculatore fuisse deceptum, cui tanquam viro probò atque beniuolo rationum suarum decreta communicasset. Suopte etiam ingenio Hadrianus Cæsari alumno principique suo fauendum, atque omnino repugnandum Gallis existimabat, ne si medius

in neu-

in neutram omnino partem studia atque arma inclinarent, Parma demum atque Placentia victori Gallo dederentur. Itaque cum Cesare Venetisq; ac Florentinis aduersus Gallos foedus renouauit, solenni que festo Deipare virginis ad Exquilinum templum sacra fecit, recitatumq; est ex tabulis id foedus, quo Gallos ab Italiae finibus arcendos decernebant. Eo die Pompeius Caesarianarum partium princeps Iulio Medici, atq; item principum liberarumque ciuitatum legatis lautissimum epulum prebuit ad eadem Antonianam, quod pontifex feruidissimo die operatis sacris, ad curandam lassitudinem, in proximos Mellini nobilis poetae hortos transferat, ut in priuato secretioreq; cenaculo, cibum caperet, & deinde cubitaret. Amicitia itaque illustribus argumentis inter Pompeium & Iulium renouata, Hadrianus leui sed tabifica febre, ex eius diei labore concepta, decubuit, adulationeq; medicorum eo perductus est, ut penè priusquam venae tangerentur, nihil prouisa morte perierit. Tum vero inter Nouendiales ceremonias, quibus defuncto pontifici iusta persoluntur, quum Iulius facile primus omnium, ex professo ipsius sectae candidatus prodiret, & prehensando singulos senatum sibi conciliaret, Pompeius, aut commutata, aut certe detecta voluntate, respondebat, se initis comitijs illi suffragaturum, qui bonus reip. futurus pontifex optimorum iudicio censeretur. Quae uerba parum propensi, & planè alienati animi indicia praeferebant. Ob id Ludouicus à Corduba Caesaris legatus seuera quadam & parum familiarì obtestatione usus, à Pompeio postulare cepit ut studium atque suffragium suum in attollendo Iulio conferre uellet, si secus fecisset, eum aduersus Caesarem facturum, à quo vnus omnium Iulius maximè probaretur. Ad ea Pompeius, arrogantia hominis plurimum offensus, nihil aliud respondit, quam se daturum operam, ut planè intelligeret, nequaquam legatorum iussu, sed liberis senatorum suffragijs pontifices creari. Inerat enim Pompeio ea uis ingenij ut si quid ab eo impetrandum foret, demissis ac blandioribus alloquijs, lenièda potius, quàm vlla superba denunciatione exagitanda uideretur. Nemo enim eo superbìus arrogantiam elatorum hominum cõtempnit atque irrisit, quum ex aduerso erga modestos iocundosq; demissè & comiter omnibus humanitatis officijs uteretur, utpote qui in tota uita humanitate uinci longè turpissimum esse dicere consueisset. Fuere qui existimarent, Pompeium à Iulio studium suum his maximè de causis auertisse, quod pontificatum in vna domo, duobusque fratribus, continuari parum equum & maximè ambitiosum putaret, quod Florentinorum ingenia questui pecuniaeque dedita, quibus necesse esset aulam repleri, magnopere fastidiret: quod senioribus iure optimo suffragandum arbitraretur, quodque demum valde dignum censeret, eum Christiano orbi, & sacrosanctis ceremonijs ante omnes patrum iudicio praefici, qui parum certa, neque propalam legitima Iuliani patris uxore natus esse diceretur. Quanquam eius rei notam, quum ille inter senatores ascisceretur, prolixia iuris testificatione sacrati iudices aboleuissent. Itaque summa contentione comitijs initis, in duas partes scinditur senatus, seniorum praerogatiuam Pompeius uehementissimè tuetur: Iuniores in vnum densati globum constantissimè Iulio fauent, & eo quidem firmiter atque feliciter, quod nemo eorum ferè esset, qui vel occultè ambiret, quàm ex aduerso ex corpore seniorum plerique essent qui flagrantibus animis ad pontificatum aspirarent, fiebatque, ut

quum obtreccatione atque inuidia alienæ felicitatis, & dolore simul frustra susceptæ petitionis angerentur, inter se nequaquam sincera fide suffragia ferrent, colludentesque syngrapharum nominibus rem impedirent, magnisq; propterea æstibus comitia iactarentur. Adauxere seniorum spes Galli senatores, hiberno & procelloso mari, cunctis inopinantibus Romam delati, qui id vnum contendebant, ne Medices Galli nominis apertus hostis pontificatu potiretur. Si fuere Claramontius, Lotharingus atque Borbonius: quibus cum Pompeius frequenter epulabatur. Extractaq; iam erant comitia ad quinquagesimum serè diem cum inuidia generis humani, & summò dolore consternatæ ad arma vr̄bis: adeo vt plerique magnopere timerent, ne dira patrum obstinatione, senatus in diuersa secederet, comitiū claustra frangeretur, creatisque inde duobus pontificibus supremam cladem sacris, & reipublicæ allatam conspicerent. Sed in ipsos præsertim contentionis auctores & principes Iulium atque Pompeium inuidia vertebar, lacerabaturq; amborum fama acerbissimè, atque liberrimè, quum quisque in periculo publico, priuatim salutis suæ fortunisque metueret: adeo vt quum in maledicentissima ciuitate probrosis carminibus vti, lasciuiresq; liceret, Crotus è Regio Lepidi, poeta amarulentus, hoc epigramma in foro legendum affixerit.

Ecce iterum è summo deiectam culmine Romam

Pompeij & Iulij mens furiosa premit:

Brute pium, Photine pium nunc stringite ferrum,

Quid seruasse inuat, si peritura fuit?

Neque vati demum fides defuit, quum paulò post ex eorum dissidio, vr̄bs Roma, summæ calamitatis cladē penè funditus euersa subierit. Porro Iulius ad declinandam inuidiam, superiorum comitiorum euentu doctior & constanter effectus, se iturum in suffragia dixit, cohortaturumque amicos suos vt idē facerent, si quispiam è senioribus, supremo honore dignus virtuteque animi insignis nominaretur. Erant dignitate, gratia, atque ætate pares plerique, & in his Fliscus, Farnesius, Montanus, Crassus, et Soderinus, et Caruaial, qui vel occulto suo, vel publico iudicio sibi neminē præferebant, æquali ambitu spes alebant, ita vt consilia, vota que varijs animi recessibus implicarent. In eo gestu occultarum voluntatum, Pompeius quum Iacobatium nominasset exactæ ætatis senatorem, vitæ innocentia, & iuris dicunilaude conspicuum, illumq; minus probari à Gallis senioribusque earum partium videret, commutata consilij ratione, sibi maturè prospiciendū esse constituit. Nam quum Iacobatium vti Columniæ familiæ clientē, et Cæsariæ factionis studiosum repudiare viderentur, etiā Claramontius Franciottū Vr̄sinum vti nobili et moderato tractabiliq; ingenio hominē cum laude nominarat. Quamobrē cōmotus cæca bile, & eo motu Pōpeius ne Vr̄sinus familiæ suæ Cæsarisq; ex professo hostis pontificatu potiretur, ad Iulium se conuertit, quem si ei obstinatius obniteretur proculdubio Vr̄sino suffragaturum videbat, vt amico veteri, beneficiarioque, & arctissima cognatione Medicæ domui coniuncto. Iam enim ex insolito tetroq; odore, nonnullos senatores inuaserat grauis morb. senioresq; macie deformati et exangues, cupiditati & reliquæ spei consequendi honoris finem imponere, quàm pestilentissimi carceris tædia ad certum vitæ discrimē diutius perpeti malle videbantur. Galli eo tempore compulsis in Vr̄bem Cæsarianis,

sarianis, & tum egrè sustinentibus Mediolanum obsidebant, Prosperque Co-
 lumna ex morbo qui ei supremus fuit, decumbens, frequentibus literis Pom-
 peium obtestabatur, vt pertinaciæ & contentioni finem faceret, vertereturq;
 totus ad subleuandum Iulium, quo vno pontifice creato, proter amplissimas
 Hetrusci imperij facultates, & insigne eius studium, defendi res Cæsaris, &
 profligari Gallorum copiæ possent. Itaque Pompeius vbi seniores magna
 ex parte Gallicæ factionis studiosos esse comperit, secretò Iulium adiens: An
 non mihi, inquit, gratiani habebis, si te iam ad pontificatum extulero? At ille,
 si serid dicis, egregiè profectò tecum agam, respondit: & tu cum priuatis re-
 bus tuis honestè serues, tum publicis, Cæsarique in primis præclare atque o-
 portunè consulueris. Tum Pompeius altitudine generosi animi honestissi-
 mam laudem quærens, id vnum enixè postulauit, vt Soderino veteri inimi-
 co, & plerisque item Cardinalibus à quibus acerbissimè atque inimicissimè
 fuerat oppugnatus, syncera fide parceret, eosque omnes in gratiam reciperet.
 Fore enim vt ex clementiæ laude, qua nihil esset in sacrosancto pontifice præ-
 stantius, insignem apud omnes Christiani orbis nationes gloriam adsequere-
 tur. Dextram tum Iulius Pompeio dedit, prolixè pollicitus id se præstatu-
 rum, obligauitque ea in re fidem suam Clementis Septimi nomine desump-
 to, qua vna nominis professione, tanquam edicto, inimicos aduersariosque
 omni metu liberare videretur. Nec mora authore atque hortatore Pompeio,
 quum is nudatis conuersi animi consilijs comitiorum haud dubiè princeps
 prodiret, illustrique authoritate quàm plurimos adduceret, cuncti ferè car-
 dinales Iulium adorarunt, tanta seniorum mœstitia, vt non multos post dies,
 ex ægitudine animi conceptis morbis, Soderinus ipse & Crassus, itemque
 Caruaial & Fliscus perierint. Nauatæ autem operæ Pompeius præmium tu-
 lit luculentissimas ædes à Raphaelè Riario, regio sumptu extructas, atque i-
 tem Vicecancellarius est effectus. Is acta senatus perscribit, estque eius officij
 dignitas ab insigni prouentu exercendæq; liberalitatis potestate longè om-
 nium amplissima. Paucis inde diebus Pompeius Prosperum patrum audiit
 ex diuturno morbo cū ingenti seruati ab se Mediolani gloria, desiderioq; in-
 credibili, & luctu totius Galliæ Cisalpinæ, decessisse, cui mutata veste maio-
 ribusq; cerimonia sumptuosissimè parentauit. Nouo autem Clementis pon-
 tificatu Cæsarianorum Venerorumq; armis, virtuteq; maxime Piscarij sum-
 mi ducis, Guliermus Ammiras, duobus ad Sesithem annè victus prælijs Ita-
 liæ finibus est depulsus. Ab ea victoria tantos sibi spiritus Cæsaris duces de-
 sumperunt, vt Borbonio exule concitante, in Galliam penetrarint. Borbo-
 nius enim coniuratione detecta, qua Galliæ imperium affectasse credebatur,
 ad Cæsarianos se contulerat. Quibus de causis Franciscus, quū pro salute im-
 perij, & totius Galliæ dignitate ingentes copias comparasset, hostesque ad op-
 pugnandam Malsiliam progressos prouincia expulisset, in Italiam transcen-
 dit, potitusq; Mediolano, Ticinum obsedit. Formidiosa iam Cæsaris arma
 pontifici ac Venetis esse cœperant: videbatur enim Cæsar immodica ani-
 mi cupiditate totius Europe imperium concepisse, quum Galliam demum i-
 psam nō contentus Italia, qua Gallos dudum exuerat, protinus inuasisset. Ob
 id occulto cōsternati metu, et de libertate Italiæ valdè solliciti, studia erga Cæ-
 sarē suā nō modo remiserant, verum nequaquā transmissis auxilijs cunctabatur,

ex focijsque & foederatis spectatores facti, dabant operam, vt inter Gallos & Cæsarianos induciæ multorum mensium fierent. Pontifex enim Cæsarianorum impetum retardare, confirmare Gallum regem, pacem honestis conditionibus parare contendebat. Sed dum intempestiuè neque harum, neq; illarum partium fautorem sese ostendit, Cæsariani Germanorum auxilijs adaucti herentem Ticino regem ingenti edita pugna, suo atque equi vulnere tardatum ceperunt. Tum verò Clemens ad tantæ victoriæ nunciū perturbatus Albanum è Sabino & Furconensibus reuocauit. Is enim Clementis consilio è regis castris cum valida parte copiarum ad Aquilam vsque peruenerat, haud dubiè in Neapolitanum regnum nudatum copijs fauente Andegauenfium factione, peruasurus. Cum itaque Gallorum auxilia ex Corsis, Italicisque delectibus conscripta ad Urbem reuerterentur, in ea Latini populi Columniæ factionis ad prædam exciti, atque item Cæsariani equites impetum fecerunt, protracto certamine per Lanuuiam viam vsq; ad diui Pauli tēplum. Quod vbi in Vrbe auditum est, nō dubitauere Hispani è familia Ludouici à Corduba Cæsaris legati, atque item Columnij, in quibus etiam fuit Iacobus Pompeij vterinus frater, quin correptis armis Ostiensi porta erumperent, atq; interclusos hostes adorirentur. Horum aduentu Albanæ cohortes fusæ profligataeque sunt, caesis nonnullis, multis captis, atque omnibus ferè armis & veste exutis. Ad eam enim capti regis famam Hispani atq; Columnij adeo insolenter sustulerant animos, vt per ipsam quoque urbem fugientes Gallos persequerentur: & Camillus Columna Marcelli filius, vti Piscarij alumnum deiecit, ad Iordanem vsque montem atq; Vrsinas domos penetraret, vtpote qui Clementem contemneret, nihilq; vel ob id irati minas timerent, q̄ is à Gallis stetit uideretur. Id facinus pontificij imperij authoritatem magnoperè conuellit, adeo ut profundè in Clemētis pectus descenderit, & tot cladibus quæ mox sunt subsecutæ, initium haud dubiè præbuisse censeantur. Nom multò post Clemens multo auro exoluto cum Cæsarianis ducibus antiquum foedus renouauit, ea conditione ut Regiū Lipidi quod Hadriano mortuo Alfonsus Atestinus receperat, à Carolo Lanoio sponfore foederis pontificio imperio redderetur. Celebratum est id foedus Kalendis Maij in templis Apostolorū ad Columnias aedes, fecitq; sacra solennia Pompeius, qui etiam Pontifici patribusq; & principum lagatis summo apparatu epulum dedit. Verum id foedus Cæsar nequaquam ratum habuit, quòd pontificis opes eius Urbis accessione adaugeri nolebat, ita ut Lanoius à quo beneficium pontifex expectabat, Hispanorū cohortes in aestiua trans Padum mitteret, à quibus Parmenses, Placentiniq; ueluti hostili quadam populatione tantis affecti sunt detrimentis, ut ad deprecandam agrorum uastationem, crebræ legationes cum lacrimis ad Urbem mitterentur, ita ut Clemens sua spe deiectus, circumscriptusq; pecunia, & tot iniurijs extimulatus, consilio cum Venetis Gallisq; proceribus occultè inito Cæsarianos Mediolano exturbare cogitarit. Videbant enim Cæsaris vires in Gallia Cisalpina confirmari, eoque suorum omnium hortatu consilia verti, vt expulso Sfortia, eius imperio potiretur. Præbuerat occasionem Piscarius, qui à Lanoio elusus traductusq; ex magnis offensionibus, alienatum à Cæsare animum præferbat. Nam Lanoius franciscum regem secus ac dixerat, repentina nauigatione in Hispaniam aduexerat, neq;

ipse

ipse vti optasset potius quam petisset, ex prouentu victorię præmia tulerat, cuius ipse ab insigni virtute præclarus author fuisset. Ei itaque egritudine animi plurimum æstuantī Moronus Sfortiæ intimus, fœderatorum nomine Neapolitanum regnum obtulit, quod summorum pontificum esset beneficium, si ipsius manu ductuque Italia omnis externarū gentium iugo liberata, pristinae quieti dignitati que redderetur. His consilijs annuisse Piscarius ab initio est visus: sed demum nudata simulatione in gratiam Cæsaris, Moronū sub fide ad se vocatum cepit, Franciscumque Sfortiam perfidię insimulatum, occupatis eius imperij vrbibus, graui tum morbo laborantem in arce obsedit. Id Piscarij facinus Italię principes vehementer exterruit, quum publica libertas summum omnino periculum adire videretur. Et eum quoque subeundę seruitutis metum adauxerat Cæsar dimisso Francisco rege his conditionibus, vt sex milia peditum, tria equitum, decemque rostratas naues sibi auxiliorum specie daret, quibus auctior atque validior ad desumendam Augustalis imperij coronam eadem æstate in Italiam transfret, vt demum compositis ibi rebus, indictoque sacro bello, in Turcas Christianorum arma verterentur. Verum Franciscus eo inuito fœdere, celebratisque nuptijs cum Heleonora Cæsaris sorore, liberisque obsidibus traditis, vbi primum Aquitanicę fines attingit, vti iam planè liber, negauit se his conditionum tabulis subscripturum, quod grauisimæ, quod inuitatæ, quod denique vltima carceris necessitate expresse censerentur. Nec multo post cum Clemente Veneticę ad tuendam Italię libertatem, & Sfortiam obsidione liberandum, amicitiam fœdusque percussit. At Pompeius consilijs Clementis diligenter exploratis, & prouiso Cæsarianarum rerum periculo, vehementer fluctuasse agitasque animo dicitur, an in officio senatoriæ dignitatis Pontificisque amicitia perseverandum foret, pertineretque ad ipsius, totiusque familię decus Cæsarem deserere vndique circumuentum armis, atque insidijs eorum principum, qui obtreccatione alienę felicitatis, ruptis repente fœderibus fidem fefellissent. Sed in generoso militarique ingenio ea sententia facilè peruicit, vt priuatę dignitati, publicum decus, quod cum salute familię coniunctum videretur, præferret: quum ab aduerso Cæsarianorum euentu Columniorum omnium fortunę, trahente veluti ruina, pessundari, atque euerti penitus iudicarentur. Atque ita nequaquam occultato animi decreto simulata molestiore podagra in Tusculanum se recepit. Interea Veneti admotis de improviso copijs Laude Pompeia potiti sunt, introducente Vistarino, qui patriã acerbissima Cæsarianorū militum auaritia, immani que ingluuie liberandam iudicarat. Quo successu pontificiæ copię Veneris iunctę sunt, ac demum Gallorum Heluetiorumque auxilia ab alpibus descendere, vt obfesso, fameque laboranti Francisco Sfortiæ opem ferrent. Sed virtute Alfonsi Vastij, qui Piscario patrueli morte surrepto, pedestrib. copijs prægerat, industriaque Antonij Leuæ equitum præfecti, adeo egregiè cōtinuata est Iouicę arcis obsidio, vrbsque ipsa Mediolanum vel nudata muro fortiter defensa, vt Franciscus certa pactione arcem relinqueret, & Feltrius Venerorum dux desperatione potiundę vrbis adductus à conspectu hostis castra reducere cogeretur. Quibus cognitis rebus, Pompeius aliquid suo nomine ausurus, vt studium suum erga Cæsarem edito aliquo facinore præclarius videretur, in Tusculano copias parare cœpit. Aderat Ludouicus Corduba

regulus Sueffanus, qui legatus apud pontificem cœpto bello cum Hispanorū & Germanorum manu, vrbe exceſſerat. Hęc cum à Pompeio pararentur, Clemens tria milia peditum & quingentos equites præſidij cauſa conſcripſit, quibus Pompeium noctu opprimere, aut certè copias eius delere potuiſſet, cohortantibus vt id faceret Stephano Columna viro impigro prudentique, & Salamone Siculo veterē peditum præfecto, quos copijs præfecerat. Sed Clemens eo animo cum Cæſare gerebat bellum, vt nihil ei planè nocere vellet, cuperetque ſolum vt Gallia Ciſalpina Franciſco Sfortiæ redderetur, vt antiquo in fœdere diſertè cautum à Leone fuerat, ad exæquandas ſcilicet in Italia principum vires, quibus ſinguli ab æquitate quadã & metu, ſuis contenti imperijs ſtabilem & ſecuram pacem tuerentur. Propterea poſtulabat à Columnijs, vt armatos quos coegiffent, extra Pontifici imperij fines educerent, & vt iuberet Neapolitani regni terminos armis defenderent. Authore itaque Valleio cardinale, Veſpaſianus Columna Proſperi filius ad Clementem venit, compoſiteque res in eum ſunt modum vt ſupra diximus, ſcilicet, vt Columnij pontificio in ſolo armis abſtinerent: ſi Cæſari præſtare operam vellent, intra regni fines regrederentur. Gibertus eo tempore in grauiffimarum rerum conſilij Clementi intimus, id factum vt probaret, diuino quodam iudicio adduci non potuit, vt pote qui Columnios præſentis exercitus metu, nulla verò equitate animi, aut ſacroſancti pontificis reſpectu permotos, pacem appetiſſe exiſtimabat. Sed ea erat natura pontificis, vt bellico ſumptu mirum in modum angeretur, nihilque magis cuperet, quàm milites miſſos facere, vt ærario parceretur. Improbantibus itaque cunctis, & deteſtantibus, dimiſſæ ſunt cohortes, fatalique ſecordia exutus omni præſidio Pontifex ſe iniuriæ inimicorum atque adeo hoſtium opportunum præbuit. Itaque Pompeius vbi Clementē conſilij nouo fœderi, nudatumque omni præſidio conſpicit, patrandæ rei tempus ad eſſe idoneum ratus, cum Vgone Moncata colloquitur, decernitque, ad Urbem reuocato coactoque exercitu protinus eſſe conuolandum. Oſtendebat etiam literas Moncata, quib. ex Hiſpania monebatur, vt ſedulò operâ daret, ne Pontifex commouere ſe poſſet, vtque ſi Ciſalpinae Gallia rebus ſtuderet, domeſtico bello implicaretur, pellereturque Vrbe Roma, atque etiam vt indignus & parum legitimus ſacrorum princeps, ipſo honore ſummi pontificatus ex concilij cenſura, ſuffecto altero priuaretur. Hiſ de cauſis rogauit Aſcanium, ipſumque Veſpaſianum nomine Cæſaris, vt ſibi ad eſſe vellent, ſi ſecus feciſſent, aduerſus Cæſarem eſſe facturos. Sed dum copias contrahunt, & tormenta currulia coaptant, quanquam ea quàm occultiffimè pararentur, & interciffæ eſſent, obſeſſæque cuſtodibus viæ omnes, quæ è Latio ad Urbem ducebant, certior tamen fiebat Clemens parari arma, atque aliena præſuſa quiete fœdereque conſilia à Pompeio Columnijsque omnibus agitari. Sed de hiſ Veſpaſianoque præfertim, vt quicquam hoſtile crederet, adduci non poterat, conſingique ea militibus, quos, quò ad ſtipendia reuocari cuperent, maiora vero nunciare, aut ementiri penitus exiſtimabat. Adeo vt quum iam Pompeium ad Murenæ villam, Albanumque lacum perueniſſe nunciaretur, vix demum aliquot prætorianos equites emitteret ad explorandum: qui Cælimontana egreſſi porta, ſegni excuſſione intra ſuburbanas vineas facta, quum ſigna aciesque aduentantium hoſtium facile conſpici poſſent, retro equos verterint,

terint, falso cuncta pacata renuntiantes. Dixerat enim decurio nequaquam longius esse procurrendum, postquam ea essent Clementis stipendia, quibus neque equi hordeo pasci, neque ipsi absque inedia & vestium sorde vitam traducere posse videretur. Armellino enim Clemens avarissimo questore, & naturæ similitudine sibi coniuncto usus, ita extenuarat equitum stipendia, ut nemo, ne militia quidem, ne dum corporis atque prætorij custodia dignus conspiceretur. Ita Pompeius ad aperta, nec ab ullo custodia Cælimontana porta irrupit, tanta celeritate, ut cum eius aduentus in Vaticano a nemine sentiretur, facile pontificem nihil tale credentem in cubiculo opprimere potuerit, nisi tormenta ægrè conuecta bubalorum iugis, expectanda censuisset. Quibus adductis per mediam Urbem, armata instructaque sub signis agmina Xysti ponte, & Septimana porta ad Vaticanum contenderunt. Tum vero Clemens ex conscientie pudore, & metu magnoperè confusus in arcem profugit, frustra in auxilium aduocatis militibus, quos paulò antè dimiserat, quum aurei nummi etiam profusa manu in nomina dantes, ridente foro, spargerentur, quod nemo esset vel aspectu, vel cultu capiendis armis idoneus, nec ulli mens esset Pontificis protegendi, cuius nomen veluti ad decipiendos fallendosque homines ab initio desumptum esse videretur. Eo die turmas cohortesque suo ordine, & composito quidem incedentes gradu, populus Romanus ociosè spectauit, atque etiam salutauit, ipsique opifices, uti in nullo metu, nec occlusis quidem tabernis, effusi in Tyberinam ripam, sub Ianiculo transeuntes spectauere, quum à Pompeio præcones in foro & compita dimissi pronunciarent, nemini esse timendum, quando nulla grauiore de causa intulissent arma, quam ut Romanum populum avarissimi pontificis tyrannide liberarent. Fœdum id omnino & miserabile bonis pariter ac malis videri potuit, si reputatione sacrosanctæ maiestatis id facinus pudore aliquo ad Christianæ pietatis censuram vocaretur. Sed Clemens alioqui prudentia & usu rerum nemini secundus, quum fatali adductus avaritia omnes ordines afflixisset, usque adeo hominum voluntates auerterat, ut misericordia omnis, in tanta publicarum rerum deformitate atque in tanto principis periculo, inuidia atque odio vinceretur. Sacerdotes enim inusitatis decumis onerarat, officiorum collegijs reditus auerterat, salariaque in gymnasio antiquitus ex certo vectigali liberaliter constituta liberalium artium professoribus, cum perenni infamie nota subtraxerat. Irata quoque plebs videbatur, quod nequaquam agrorum malignitate, sed certis conuectionum atque horreorum monopolijs, magno fisci questu, annona ad triplum creuisset. Diruta etiam funditus, aut miserabilem in modum deformata fuerant multorum domus, ignobiliumque præsertim atque egentium, æquandis scilicet frontibus, dirigendisque ad normam urbis regionibus, tanta Duumviralis magistratus avaritia sæuitiaque, ut non maiorem barbari immanes vastitatem attulerint. & eo quidem grauiore Clemētis inuidia, quod nequaquam ad reuocandam antiquæ Urbis elegantiam, quod infelici seculo ineptissimum videbatur, sed ut alterum è Duum viris famoso nomine conciliatum, vel iniquo oblato questu expleret: cui etiam magistratum contra consuetudinem impotenter continuarat. Commouebant tum sese Triumviri conseruatores in Capitolio, ut opem ferrent, sed nulla inerat iussis aut cohortationibus, eorum authoritas, quod in his essent Scarsius algēti ingenio, facieque

leguleius, & quidam ignobilis scurra, cui Saccogelato cognomen fuit. Huic Marius Peruscius præfectus fisci, & rerum capitalium truculentus iudex, Clementi charus, indignante populo magistratum impetrarat, ut in eo mitigares iniuriam, quod post multa pocula, stragulae impositum seruorum lacertis in laquearia per iocum ac voluptatem exculsisset. Per hunc modum Marcello Pompeij fratre peditum ductante ordines, præeunteque cum ala equitum Hieronymo Sarnensi comite, qui Marcelli gener erat, Vgo Moncata & Vespasianus & Ascanius in Leoninam urbem irruerunt, paucis qui ad portam iuxta S. Spiritus templum constiterant, in fugam coniectis. Ita Vaticana domus momento temporis occupata, direptaque est, neque prohiberi miles potuit, quin sacra omnia & in augustissimo quidem diui Petri templo semper antea inuolato nefarijs manibus attrectaret. Celsit & avaritiæ militum cum priuatus, tum publicus pontificiæ aulae apparatus, adeo ut aulae etiam ingentia eximij operis discissa raperentur. Vasa quoque nobilia figulini operis, quæ mittit India, solo illis frangerentur. Aberat inde Pompeius quod in domo sua constitisset. Quibus cognitis grauissimo dolore est affectus, quod milites pontificia etiam præda expleti onusti que, à sacrario demum templique altaribus arceri nullo ducum imperio potuissent. Porro Clemens ubi nullum in arce frumentum, nulla cibaria, quæ vel in paucos dies tolerandæ obsidioni sufficerent, eadem quæstoris avaritia esse comperit, neque in Vrbe hostium armis occupata milites parari, vel è Tuscia, Umbriaque opportunè acciri posse videt, Vgonem ad colloquium magnis precibus aduocauit, missis ad eum obsidibus Innocentio Cibo & Nicolao Rhodulpho Cardinalibus, quibus Leo pontifex auunculus fuerat. Non grauatur Vgo, nec aduentum suum differt, vel improbante, & dissentiente Pompeio, qui de obsidenda oppugnandaque arce cogitabat, ut Clemente in potestatem redacto, è sententia Cæsaris bello finis imponeretur. Itaque Moncata cum paucis in arcem receptus, salutato pontifice, ei supplex lituum pastorem argenteum, atque item gemmatam mitram, insignia pontificatus, militibus crepta restituit, officij sui necessitatem excusat, nefariam militum temeritatem detestatur, orat demum, ut ab oppugnando Cæsare desistere velit, pro quo Dij atque homines, nusquam aduerfante fortuna feliciter propugnarent: Eam verò insitam esse animo Cæsaris pietatem, iustitiam, moderationem, ut non alio arbitro quam ipso pontifice sit vsurus in pacanda Italia, cuius imperium nunquam affectarit, quamquam ad id iure optimo, uti partum possessumque ab antiquis Cæsaribus aspirare posse videretur. Ad ea Clemens parum de Pompeio, & id quidem ironice, de Vespasiano autem plurimum & vehementer oblocutus, quod ab eo impudentissimè se deceptum, atque impiè proditum quereretur, respondit, se omnibus temporibus Cæsaris dignitati amplitudinique studuisse, neque in posterum studia in eum sua remissurum, modò ille adulatione malignitateque consiliariorum planè deprauatus ad ingenium suum rediret, sequereturque equitatem & iura foederum, quorum tabulae vigerent, & Galliam Cisalpinam ipsi Sfortiæ impotentibus circumuento armis restitueret. Decere enim eum qui tot auitis regnis adactus, totque insignibus potitus victorijs ad summam authoritatem augusti Imperij, summamque opum & virium amplitudinem peruenisset, liberali animo non modò antiquis possessoribus suas di-

tiones,

tiones, sua iura non adimere, sed etiam de integro largiri atque concedere, ipsumque Sfortiam per summam inuidiam falsi criminis insimulatum totius Italiae precibus condonare. Cæterum post multos secretioresque sermones, res in hunc modum compositæ sunt, ut pontifex à Gallia Cisalpina copias reuocaret: Pompeio & Columniis parceret: mitteretur à Clemente Neapolim datæ fidei obles Philippus Strozza vir pecuniosus, cui Petri Medicis eius patruelis filia nupsit: Vgo ipse cum omnibus copiis in Regnum proficisceretur, daretque operam ut quæ ex sacrañs ablata essent, pertinerent ad apparatus sacrorum, facta conquisitione redderentur. Cautum quoque est, ut Camillus Columna sine pretio dimitteretur. Is enim paucis ante diebus Senensi in pugna, dum intemperantius profligatos hostes persequeretur, a Braccio Baleono Florentinorum equitum præfecto captus fuerat. Atque ita Vgo Moncata vrbe excessit, grauius indignante Pompeio, atque id factum detestante, quod sub inanibus simulatæ concordie promissis interpellari, eripique certam victoriam videret. Fuere qui existimarent, Vgonem multo corruptum auro, pontificem tanto periculo liberasse, eoque maturius atque libentius, ne eo capto, ac demum aliquo forte casu, aut Columniorum insidiis sublato, ex ea re Cæsari, qui religionis & pietatis laudem quæreret, inexpiable inuidia conflaretur. Ferebant enim Pompeium adiutorem Cæsaris paratissimam seniorum suffragiis, pontificatu haud dubie potiturum, si Fortuna Clementem in eo armorum strepitu conturbatisque rebus abstulisset. Interea Clemens præsentis solutus metu, in spem vindicandæ iniuriæ suorum omnium hortatu vehementer accenditur, in Pompeiumque præsertim & Columnios omnes: reuocat tamen Mediolano copias, ut in itæ concordie præscriptis legibus stare, pacatoque animo, ab æquitate Cæsaris pacem sperare videatur. Nec mora, Heluetiorum duo milia, & Italicas cohortes septem virtutis eximie, ex his quibus ad Mediolanum præerat Ioannes Medices dux egregie fortis atque audax, ad urbem accersit. Præterea magnam equitatus partem, & in his Federici Gonzagæ ducentos circiter cataphractos: Stephanum etiam Columnam Prænestinum à cæteris Columniis dissentientem, cuius fidei virtutisque plurimum fidebat, conscribere quatuor cohortes iubet, atque item Valerium Ursinum, & Ioannem Baptistam Sabellum, Ranucciumque Farnesium magnæ spei adolescentes singulis equitum alis præficit. negabant enim Pontifici pacem confici posse cum Cæsarianis arma tenentibus, nisi pariter ab armatis & gerendum bellum instructis pax ipsa peteretur. In eo rerum motu Carolus Cæsar consilijs atque armis hostium, maiore virium mole occurrendum ratus, Lanoium proregem Neapolitanum cum sex millibus Hispanorum, & triginta onerariarum nauium classe in Italiam misit, scripsitque ad Ferdinandum fratrem, ut Georgius Franispergus, summæ dux autoritatis apud Vindelicos, cum tribus Germanorum legionibus in Italiam mitteretur. Occurrere Lanoio Gallicæ Venetæque triremes Cyrneo in mari, sed nullo consensu. Nam quum Ludouicus Armerius Venetus præfectus cum dimidia suarum triremium parte ad portum Veneris substitisset, serò admodum Andreas Auria, Petrusque Nauarrus & Paulus Iustinianus ad hostes peruenere, certatumque est tormentis maioribus. Sed Lanoius vna atque altera naue è suis cum milite demersa, tribus autem quassatis, & cum multa nau

tarum & militum strage vehementer afflictis, suaque demum prætoria pluribus colubrinarum pilis adeo perforata, ut penè mergeretur, valido repente suborto vento, è conspectu se eripuit, tenuitque Herculis portum, atque inde Caietam incolumis peruenit. Pari quoque euentu apud Mantuam Cæsarianis fortuna arrisit, quum Feltrius Veneti dux exercitus, expugnata iam nauiter Cremona, & cum eo Ioannes medices Germanorum legionibus occurrissent. Nam quum hi iunctis copijs densata incedentium hostium agmina, ut eos Padi transitu prohiberent, per expeditos Sclopettarios aliquandiu prosperè minutis prælijs retardassent, ad Gubernulum demum vicum Medices, tormento ab ulteriore Mincij ripa in incertū emisso, ictus occubuit, non tam priuato suo, quam publico ruituræ mox vrbis Romæ fato surreptus, quum nemo eo forcius atque felicius ab inusitata virtute, libertatem Italiæ aduersus externas gentes defensus esse videretur. Interea Clemens Pompeium reipub. pontificijq; imperij hostē decernit, senatu mouet, addit diras, interdicit aqua & igni, cæterosque Columnios eodem crimine damnatos armis persequitur. Inducto enim in Latium exercitu ad quatuordecim oppida insigni pontificiorum acerbitate direpta incensaque sunt, adeo, ut magna senum, puerorum, & sceminarum agrestium multitudo, alieni facinoris pœnas daret, pauci plecterentur ex his, qui è Vaticano templo altarium ornamenta rapuissent. Infecerat tamen ferè omnes is sacræ pecuniæ & prædæ contactus, ipsamque Neapolim, ita ut in foro sacræ vestes ad hastam propositæ spectarentur. Cæterum in Sublaqueum proprias Pompeij delitias atrocissimè scæuitur, atque item ad Genatianum, sed aliquanto remissiore ira, scilicet ut elegantioribus Vespasiani ædibus, quas Prosper extruxerat, dissimulanter parceretur. Porro Pompeius vbi Latina oppida incendijs fumare, atque omnem armorum impetum in ipsos Columnios conuersum videt, postulat à Lanoio, ut afflictis familiæ suæ rebus maturè opem ferat: hortatur ut productis copijs potius in hostili agro quam propugnando ad regni limites, bellum ruptis iam planè scæderibus cœptum gerat. Concilij quoque indicendi, cuius nomen Clementi maximè terribile fore videbatur, ex formula tabulas conscribit, noctuque Romæ per clientes suos affigendas templorum valuis, publicisque in locis euulgandas curat, dictante instruenteque Philippo Sergardo Senense. Per hos libellos pontifex ad concilium citabatur, quod Cæsar ad Spiram Nemetum urbem (ea est ad Rhenum sita) esset habiturus, ut faciliè intelligerent homines eum Balthasaris Cossæ exemplo, summum dignitatis & vitæ periculum, inimico Cæsare & infestis Lutheranorum animis aditurum. Nec multo post excitis ad id bellum regni proceribus, magno equitatu coacto, additisque Germanorum atque Hispanorum cohortibus, ad Frusinonem castra posuerunt. Quod vbi Clemens cognouit, viditque eos iam nudato planè consilio, auspicijs Cæsaris bellum esse gesturos, ut grauiore metu iniecto eos deterreret, è Gallia Valdemontium regia stirpe ortum accersuit, hortatusque est, ut in spem potiundi regni, Neapolim classe inuaderet: vigere enim adhuc toto regno Andegauenſium regum memoriam, & præclarum studium multorum procerum in id nomen: proinde ingenti animo arma capesseret, ut virtute fortunaque maioribus suis æquaretur. Itaque Valdemontius singulari alacritate classem conscendit, Campaniæ oram metu complet.

plet. Salernum expugnat, signa ad ipsam Neapolim vertit, expositisque cohortibus ad pontē Sebethi amnis, effusum cum Neapolitana iuuentute Moncata intra portem compellit. Parte alia Lanoius atque Pompeius, Frusino nis mœnia tormentis quatiebant. ibi præsidium inerat earum cohortium, quæ ob ducis sui Ioannis interitum, à funesto vexillorum colore, vulgo nigre vocabantur, quarum ea erat constantia & virtus, vt diffracta cadentiaq; mœnia, adiectis tumultuarijs operibus repente refarcirent, & sæpe audacter atque feliciter eruptione dimicarent. Pompeij mens erat, quum primum aliqua muri pars concidisset, admouere statim cohortes, & vera vi, trinisque subsidijs ex triplici nationum genere constitutis, supremum oppugnationis casum experiri. Per speculatores enim didicerat aduentare pontificios duces, vt obsessis opem ferrent, providebatque si segniter oppugnare pergerent, anticipi prælio dimicandum fore. Sed Lanoius haud sanè multum belli peritus, quum varijs suorum sententijs distraheretur, nec facile consilium explicaret, potiundi oppidi occasionem corruptit, adiitque discrimen accipiendi grauis incommodi, quum propinquo hoste mouenda castra viderentur. Peruenērāt enim pontificiæ copiæ ad Ferentinum, Rentio Cerite & Vitello Tiphernate ducibus, aderatque legatus Cardinalis Augustinus Triuultius Clementis hortatu & suo pte ingenio nauandę operæ cupidus, quod studio à maioribus tradito, Gallicæ factioni vehementer esset addictus. Nec mora pontificij quadratis agminibus Ferentino egressi patentibus in campis suorum pariter, atque hostium oculis dispari animorum habitu spectaculum præbuerunt. Erat enim è collibus, ipsaque oppidi summa arce in subiectos campos despectus, ita vt peditum & equitum agmina distinctis & præfulgentibus vexillis enumerari posse viderentur. Non tulere subeuntium impetum Lanoij cohortes ponti Cosæ amnis præsidio impositæ, atque ita loco pulsæ profligatæque amissis tribus vexillis terga vertere, adeo vt perturbata magna parte exercitus, sola Germanorum phalanx immobilis imperterritaque constitit. quod nigræ cohortes cōspicatæ, auctis spe victorię animis audacter eruperunt. Ita patefacto aditu, com meatus affatim intromissus, præsidiumque nouo cohortium aduentu renouatum, abstinuit prælio Rentius, quum victoria in manibus esse videretur, satis superque actum ratus, quod sine suorum vulnere, conclusos obsidione atque periculo liberasset. Ea quæ secuta est nocte Pompeius Lanoio in re aduersa repentinaque perturbato, reducendi exercitus munus suscepit, ita vt ipse maiora tormenta, suis met humeris atque lacertis impelleret: minora enim singulis ducibus reducenda attribuerat: cuius implendæ operæ specimen atque exemplum dabat, ne tale dedecus admitteretur, vt tormenta in potestatem hostium deuenirent. Ita singulari Pompeij cura, laboreque & diligentia exercitus incolumis in pacatum tutumque locum est receptus: nullo quippe per noctem tenebris atque terroribus opportunam accepto incommodo, nullo maiore minoreue tormento, vel in summa viarum asperitate deserto, nullisque postremò amissis impedimentis, quum hostis viribus, animis, loco, atque eius diei fortuna abundè superior, abeuntium tergis instare, & non mediocrem omnino cladem afferre potuerit. Ea bene gerendæ rei facultas, Pompeij celeritate & vigilantia pontificis erepta, magnam Rentio atque Vitellio, ipsius Triuultij legati, & minorum ducum

testimonio, conflauit inuidiam, vt qui vacare quæstui, delectari imperio, odif seque belli finem, & pericula vniuersæ pugnae deuitare, vel malignitate, vel ignauia diceretur. Cæterum cognito Cæsarianorum discessu, promouere serò castra, multosque dies nulla memorabili re gasta, circa Possium atque Cæcanum confedère. Ex aduerso Lanoius atque Pompeius ad oppidum Castrum constiterant. Verùm cōsumpto in his locis omni frumento, cum fame vterq; exercitus laboraret, & equi deficiente pabulo, quòd nullum gelida adhuc hieme gramen erumperet, inedia & macie conficerentur. applicuit ex Hispania Franciscus Angelius cucullatus diui Francisci sectæ princeps. Is opinione religionis Cæsarem nudato omni simulatione animo arcana crimina Christiano more confitentem audire expiareq; solitus, mandata Cæsaris de pace ad pōtificem afferebat. Eius viri hortatu, quū singula ad religionē reuocaret, & summa omnia de lenitate æquitateq; Cæsaris polliceretur, Clemens ad pacem inclinauit, quòd grarium sumptu, animum verò cura & molestia bellicarum rerum leuare percuperet, indignareturque pulcherrimam omnino occasionem potiunde victoriæ, astuta, aut ignobili certè ducum suorum cunctatione fuisse prætermisam, annonamq; demum non modò creuisse, sed in castris totoq; Latio tantum non consumptam esse conspiceret, & Borbonius maxime formidandus videretur, qui ingentibus lectissimisque instructus copijs, togatae Gallia & Hetruriae vrbes, Romanæq; vrbis opes in prædam militi se concedere prædicabat. Itaque Romam accitus est etiam Cæsar Feramusca Campanus Cæsaris familiaris, qui dudum ab Hispania venerat, attuleratq; ad Pontificem a Cæsare humaniores literas, quibus se pacem expetere, odisse arma, & pontificiam maiestatem religiosè colere significabat, testabaturq; Deos immortales se regnis suis esse contentum, & ab se cuncta facile posse iustis precibus impetrari, sed minimè passurum vt sibi à quoquam in his quæ iuris atque arbitrij sui sint, arroganter perscriberetur. Non esse enim ex dignitate Augusti, longè maximi principis leges accipere, minisq; terreri, ab his maxime qui imperio suo subiecti, & diiudicante fortuna, toties bello victi, ingratiq; demum grauiore poena digni censerentur. Itaque Idibus Martijs, qui dies summarum calamitatum Vrbi atque Italiae initium fuit, inita rerum pax est, conscriptæq; renouati fœderis leges, ea conditione, vt Lanoius ad Vrbem veniret, scilicet præclara ad stipulatione tabulis ritè confectis, grata omnium animis ea concordia sacris sollennibus celebraretur. Nec multò post Lanoius recepto prius Cæsariana in castra Triuultio legato, vt fidei obses esset, ad Clementem venit, notatusq; est haud dubiè Deorum monitu aduentus eius, vt lugubris & maxime funestus Vrbi futurus, quum ea pars Vaticanæ domus qua ipse fuerat hospitio exceptus, terribile vagoque fulmine iccta tremuisset. Ab ea autem pace maxime auersus erat Pompeius, dixeratq; discedenti Lanoio, ne magnopere laboraret, vt pontifici conciliaretur. Se enim acta Clementis, quibus galeri sibi honos adēptus esse videretur, breui rescissurum, quòd ille nequaquam legitimus, sed vitio creatus pontifex, dignitatis suæ decus eripere nequiverit: quòd Leo X. diuini atque humani iuris sciens, veræq; virtutis amantissimus, sibi absenti, ex senatusconsulto detulisset. Solebat ille elato contemptioreque animo Clementis ingenium, nomen fortunamque despiciere, quum haud dubiè commoda omnia rerum suarum, & dignitatis ornamenta, ex amicitia &

libera

liberalitate Cæsaris expectaret. At Clemens confirmata pace cum Lanoio, vt Florentinis rebus, quibus maximè timebat, opportunè caueret, ab eo postulauit, vt in Hetruriam proficisceretur, præsentique auctoritate atque imperij iure, Borbonij consilijs obuiam iret, impediretque iter, quod ab eo per pontificios fines, infesta vbique populatione susceptum esset, scilicet vt tot coactæ in vnum audacissimarum gentium legiones, audito pacis nomine soluerentur: quum ipse Lanoius, ad quem summa militaris imperij respiceret, vt belli & pacis arbiter, præclara ante omnes auctoritate, persuadere militi, atque ipso demum iure supremæ potestatis, Borbonio præscribere facîle posse videretur. Sed milites in spem diripiendæ vrbis Romæ, consociatis animis tantos spiritus ex felicitate rerum gestarum desumpserant, vt quum superbia licentiaque corrupti, Borbonium Lanoiumque contemnerent, neminemque esse in terris qui ipsis resistere posset, existimarent, publico tantum & tumultuario consilio regerentur. Quin & per eos dies, quum in Bononiensi euastatis agris fame laborarent, noctu in Borbonij domum irruperant, tanto ipsius periculo, vt vix ignobili latebra, quin interficeretur, sit seruatus: Quæsito tamè et pacatis animis iusso, vt prodiret honoris nomen restituerunt, vt aliqua ducis imagine ad disciplinæ speciem vterentur, moreque militiæ auspicijs eius atque imperijs parere velle simularent. Irridebant enim eum Hispani vti stolidum & exulem, quòd ambitiosè expetitis Heleonoræ nuptijs, intercipiente demum Francisco rege, delusus repulsam tulisset, & ad Galliæ Cisalpinæ imperium aspiraret. Germani verò eum egentem exutumque omnibus fortunis, & proditorem gentis suæ vocitabant. Itaque Cæsariani ab Alfonso Ferrarienti, commeatu omnis generis abundè adiuti, recreatique, euastatoque demum atq; incenso Bononiensi agro, egressi hibernis per Flaminiam viam nullo hostium occurrente, ad Apenninum supra Fauentiam contenderunt, Feltrio Venetorum duce, & Michaele Salasso regulo, qui Gallicis præerat auxilijs, in aciem prodire non ausis, quanquam his magnæ adessent copiæ, tormètorum apparatu, atque vrbium opportunitate superiores. Borbonio ab Amandula oppido subeunte ea alpium iuga, quæ Aretinos despectant campos, Feltrius atq; Salassus per Petram malam breuiore itinere in Hetruriam transcenderunt, rati hostem (vti euulgatum fuerat) Florentiam continenti cursu petiturum. Sed is læuorsum in Senensium agros deflexit, vix tantisper moratus, dum ex insigni illorum studio ac liberalitate exercitus duorum dierum ci baria acciperet. Edicebatur enim toto agmine cunctis esse festinandum, quum percepta animis victoria, spesque omnis vberrimæ prædæ in vna celebritate posita videretur. Præbuerat spem Borbonius Florentinorum legatis ineundæ concordia, si ipsorum sumptu stipendia militi soluerentur. Sed in immensum augebat in dies eam petitæ pecuniæ summâ, nec institutum tamè iter vlla in parte remittebat, vt iniecta spe pacis, ab apparatu belli hostes auerteret, quos imparatos & nec opinantes inuadendos esse censebat. Lanoius quoque qui ad Aretinas alpes occurrerat, ludibrio habitus, quum Borbonium ex itinere monuisset, vt retentare agmen vellet, idoneoque ad colloquendum loco subsistere, postquam Romæ pace celebrata ex sententia Cæsaris fœdus cum pontifice esset renouatum. Sed Borbonius militesque, cum Lanoium ipsum tum etiam pacis nomen impensè oderant, adeo vt irrisus atque repulsus non

mediocre vitæ periculum adiret, cum in subalpinos agrestes incidisset. Porro Borbonius gæna tormenta à Senensibus oblata parataque minimè secum aduehenda iudicans, vt instituta celeritate vteretur in opprimendo pontifice, anteuertendisq; hostibus, qui iisdem vestigijs secuturi viderentur, ad Pompeium scripsit, vt sibi aduentanti tormèta muralia, & commeatum affatim apud Romam pararet: se enim secretiora à Cæsare mandata nuper habuisse, quibus iuberetur, vt strenuam operam daret, vt occupata Vrbe Cæsariani nominis hostes delerentur. Paruit Pompeius, è Fundanoq; agro ad Palianū profectus præstitit officium in his reb. vti opus erat, maximè liberaliter ac diligenter. Ceterum tanta fuit in Cæsariano milite duceq; celeritas in superâdis præaltis fluminib. conficiendoq; itinere, vel per imbres maximè lutulento, vt aliquâto citius quâ opinione hominum expectari possent, ad moenia Vaticana peruenerint. Tum verò Clemens repētino instantis periculi metu consternatus, summeq; rerum et salutis plurimū diffidens, diuersa perturbato animo cōsilia volutare, modò constanter, modò trepidè à Patribus, et à Romanis, ducibusq; suis opē, consilium atq; operā postulare, ambigere an ad mare, vbi triremes erant sese proripere præstaret, an deserto Vaticano intercisisq; pontib. intra urbem se recipere, opperiri suorū auxilia, cum Borbonioq; aliqua pactiōe oblata, magna vi pecunię, pacē mercari, vt qui se omnia alia spe destitutū videret. paucis enim ante dieb. Heluetiorū duo milia, atq; item mirificas ad tuēdam urbē nigras cohortes, deprecantib. cunctis, ne id faceret, atq; reclamantib. importunè dimiserat, vt grario parceretur. Etenim animo eius tanto rerū vsu, tantisq; exacte prudentię præsidijs instructo ad elidēdam virtutis acie, auaritia fatalis inheferat, vt cuncta que publico omniū iudicio timebantur, ipse vnus nequaquam timeret, fideretq; his maximè, in quibus nullam omnino spem reponēdam, summi pariter atque infimi homines existimarent. Extruxerat Rentius Ceres dux patrię suæ admodum funestus tumultuariā munitionē in ipso Vaticano dorso, irridendam hosti, nobis autem summo cum dolore & lachrymis spectandam. Armauerat item imbelles Romanas tribus, & paucos collegerat milites ex his qui nuper dimissi diuenditis armis in Vrbe remanserant: Profectaturque se Leoninam urbem, ipsamq; Romam, vnum atq; alterum diem egregiè defensurum. Putabat enim Clemens Feltrium ipsumque præsertim Guidonem Rangonum, magnis sibi obstrictum beneficijs, per Flaminiam viam, vitata Cæsiā, quā hostis iter intēderat, ad Urbem cum expeditis copijs aduolatuos. Sed Borbonius antecessit, urbemque Romam subiectam oculis, è monte Mario militibus ostendens, vbi ex præda multo opulentiore quā opinione auiditateque ipsorum concepissent, perpetuò ditarentur. edixit vt corpora tanti itineris labore fessa & enecta fame paululum curarent, solitaq; celeritate murum subirent. Erat enim ab ea præsertim parte, quā in meridiem obuertitur, vetustate consumptus atque humilis. Inuasere itaque loca nequaquam munita sub auroram, pridie Nonas Maias, dimicatumque est vtrinque acriter minoribus tormentis: quum pauci veterani & prætoria Heluetiorum cohors constanter irruentes, conscendentēque repulissent. In ea parte quæ Obeliscum respicit, Borbonius dum cohortatur suos & scalam conscendit, in inguine plumbea glande traiectus occubuit, multiq; ingentis tormenti pila, è summis collibus in latera densissimi agminis emissa discerpti sunt: raptaq;

raptaque in præalta mœnium parte duo Hispanorum vexilla signiferis è muro præcipitatis. Sed repente nebula crassior palustris exorta campo, ita hostium aciem intexit, ut tormentorum usus dirigendis ictibus fatali nostrorum incommodo penitus eriperetur. Irrupere itaque facile Hispani per coniunctas muro ignobiles casas, ubi Borbonius amissa voce defecerat: Dñs haud dubie concepto sceleri poenam maturantibus: ne vir perfidiosus atque impius, direptæ atque euastatæ sacrosanctæ vrbis spectaculo lætaretur. Parte alia Germani munitiones in colle transcenderunt, circumuentamque in medio Romanam plebem, que sub vexillis regionum intra Turrioniam portam constiterat, tanta sæuitia immanitateque trucidarunt: ut imbelles homines proiectis ad terram armis, suppliciter vitam deprecantes, crudelissimè cæderentur. Nunquam enim ab vlla memoria, maiore truculentia vel in barbaros qui Mahometis sectam colerent, vel in perpetuos hostes atque inimicos, vindictæ libidine sæuitum est. Nemini enim fuga patuit, quum refugientes non in ipso tantum celeberrimo templo, sed in adytis, ante sacrosanctam aram inermes trucidarentur. Quibus antea immanes ex vltima barbarie Toulas Gothus, & Gensericus Vandalus religiosè pepercissent. In eo strepitu Clemens frustra auersos Deos precibus ad aram fatigans, audito hostium clamore, citato gradu per oblongam duplicis muri munitionem è Vaticano in arcem confugit, gemens & crebro se ab omnibus proditum querens, ita ut toto eo itinere è fenestellis miserabilem nostrorum fugam, & cruenti maxime tumultus faciem, barbarorumque furentium hastas & secures imprefas fugientium tergis despectaret. Clementi autem plenis passibus euadenti proximus aderat Paulus Iouius, qui hæc conscripsit, sustuleratque ei ab tergo talaris togæ sinus, ut expeditius iter conficeret, suumque item violaceo colore pallium, & pileum capiti atque humeris iniecerat, ne pontifex à candore vestis agnitus, dum aperto demum & ligneo ponte in arcem transfret, à Barbaris accuratiore forte glandis ictu sterneretur. Peruasere intra pontis portam, quum in curia & trepidatione nostrorum cataracta demitti nequiuisset, signiferi duo Hispani tanta audacia, ut petiti vndique tormentis, nihil mortis metu terrentur, quin per pontem in forum proximum excurrerent, conatusque est pari temeritate Falcius centurio Hispanus portæ arcis valvas propellere, atque ibi cum paucis est interfectus. Tota itaque Leonina vrbe, quam Suburbium vocant, pontificisque ædibus, sacrosancto & augustissimoque templo incredibilem immanitate cruentatis, atque direptis, ad Septimianam portam signa vertere, primi que omnium Itali duce Ludouico Gonzaga, cui ab inusitata virium ferocia, iactantiaque, Rodomonti cognomen fuit, transcendere eum murum, qui ab Aurelia porta per decliues Ianiculi vineas ad Septimianam protenditur, paruo admodum negotio depulsis defensoribus & occupato Xystino ponte, ita edita fugientium multa cæde, septem milibus hominum trucidatis, supra quadraginta milia hostium in Urbem irruerunt. Nam ad Germanicas legiones tres, sex milia Hispanorum Ioanne Dorbino duce, atque item Italice cohortes accesserant, ex itinere passim latronum & damnatorum concursu adauctæ, quas ductabant Fabritius Maramaldus, Sarra Columna, & is, quem diximus Rodomotes. Veteranos quoque equites non exigua leuis armaturæ equitum manus ex vario nationum genere, sine

vexillis, in spem ingentis prædæ sequebatur. His præerat Ferdinandus Gonzaga, & Philibertus Aurantius Belga, qui Borbonio interfecto, a militibus imperator est appellatus. Ea nocte nihil vnquam lugubribus aut funestis fuit Romanis pariter & inquilinis. æditæ enim omnibus in locis ad fatietatem in nihil tale meritos inusitatae cædes, nobilissimi senes pariter ac iuvenes tormētis excruciatī, violatum vbique matronarum & virginum decus, Vestales in ipsis templis constupratæ, Cardinalium porro, principumque domus, tanta furentium rabie, ferro, atque ignibus expugnatae, vt nec regum legatis parceretur: nemoque demum ex his, qui latebra gladios effugerint, sit seruatus, nisi vitam ac libertatem vniuersa bonorum substantia redemerit. Feritate et truculētia terribilis erat Germanus, sed à primo impetu quo armatos deleuerat, à gladijs temperabat, vsque adeo remissa animi ferocia, vt exiguo facile pretio libertatem captiuīs daret, & presentibus tantum spolijs & comotationibus lætaretur, verteretque demum furorem in templa & antiqui operis statuas, deformando cuncta atque euastando, quod plerique eorum irrilis pontificum legibus, Lutherana dogmata sequerentur. Hispani autem astuta & implacabili crudelitate acerbiores, vt abdita arcanaque familiarium eruerent, tormentis atque supplicijs in nobilissima corpora grassabantur, tanta auri cupiditate, vt Iulij pontificis cadauer, multa exesum carie eruere, & annulo spoliare non dubitarint. Sed eius etiam gentis facinora, Itali, Brutijque decerptis vitijs, nec vllis omnino admittis virtutibus facile æquabant, & eo grauiore cum inuidia, quod in obsequium barbarorum longè promptissimi, æmulatione scelerum, ab amore charitateque communis patriæ discessissent. Obsidendæ verò arcis circumuallandæque perducta in gyrum fossa Philippus Cerbellio & Mendanius Hispani, negocium susceperunt, tanta acerbitate, vt vetulam in arcis fossam lactucas deferentem, quæ expetenti pontifici dono darentur, laqueo immaniter strangulatam, in conspectu arcis suspenderint, puerosque item qui olera funiculis extrahenda alligabant, sclopettis interfecerint. Biduo post affuit Pompeius Clementis quidem incommodo, periculoque lætatus, sed quum plena omnia cadaueribus, luctuque conspiceret, multoque mulierum & puerorum eiulatu, atque insignium ciuium sacerdotumque, in tormentis frustra opem implorantium, ragiones et domus omnes miserabili gemitu complerentur, lachrymas tenere non potuit: eo etiam vehementiore dolore perculsus, quod cadente patria, elapsoque secus atq; ipse optasset, incolumique pontifice, qui tantæ cladis causam præbuisse videretur, ad fontes tantum ac miseros, summe calamitatis poena recidisset. Itaq; vt ignerosum, & sacratum virum decebat, insigni pietate & misericordia adductus, domum suam afflictis & miseris aperuit, & quanta maximè valebat authoritate apud duces ac milites operam dedit, vt inuiolatum decus foemina seruaretur, cruciatu eriperetur ciues, & de redimendis captiuīs, tolerabili conditione leges ferrentur. In his rebus humanitate, diligentia & liberalitate tanta fuit, vt superiora cœnacula ad summas contignationes honestissimis matronis atq; virginibus complerentur, cardinales plures ad se confugientes vestiret atque aleret, controuersias inter captiuos & milites sua pecunia dissolueret, cunctisque vitæ periculo circumuentis, vadem se præberet, ita vt in ea fortunæ acerbitate

bitate captæ & euersæ Vrbi nihil Pompeij aduentu opportunius fuerit aut melius. Nemo enim miser ab eo frustra opem implorauit, nemo aut militum metu, aut inedia compulsus, salutaris atque hospitalis domus foribus eiectus fuit. Singularem quoque animi magnitudine simultatum et contentionum oblitus, non aduersæ modò factionis nomine, aut peculiari ex causa veteres inimicos præsentis ope adiuuit, sed è Sanctacrucia etiam familia, à qua Hieronymum ipsius patrem interfectum diximus, nobilem matronam, eiusque filiam conspicuæ formæ virginem ad se recepit, atque auro redemit. Vna in re tantum vindictæ libidinem effudisse est visus, quum Clementis villam, sub monte Mario, contra Miluium pontem incendi iussit, adeo vt Clemens ab summa arce fumantem spectans, senatoribus diceret, satis æquo iure secum agere Pompeium, quòd eodem igne talionem redderet, quo Latinà oppida deflagrassent. Nec multis inde diebus Clemens consumpto comætu, ita vt asinina etiam carne, inuitatis quoque quasi ad solennes epulas patribus audissimè vesceretur, desperatisque omnibus effugijs, deditioem fecit, ea conditione, vt cuncta quæ imperasset Cæsar, se facturum polliceretur, à quo dignas eius pietate fideque literas expectabat, quibus stipendio militi persoluto, sibi sacrosanctum vrbis imperiũ cum libertate redderetur. Frustra iam Feltrium & Salassum atque Rangonum expectarat, vt admoto exercitu, expugnantisque munitionibus ipse & senatus arce eriperetur. Sed hi positis ad septimum lapidem castris, in iuga montis Marij excurrendo se tantum ostentarant, atque ita vt imperitis & miseris, id vnum in supremo salutis discrimine facile cupientibus, iam iamque descensuri, & munitiones aggressuri viderentur. Sed ea mente in conspectum se dederant, vt quid hostes occupati præda, & in tanta rerum copia vino, libidine, somnoque molliti facturi essent, prospectarent, nec tamen periculosi prælij aleam subirent. Quid enim stultius videri poterat sanis & peritis ducibus, quàm iniquum in locum se demittere, & cum inuicto hoste, viribusque haud dubiè, & loco atque animis superiore, recentique præsertim victoria præferoci, collatis signis, in nullam spem prosperi euentus, de salute libertateque Italiæ dimicare? Itaque Feltrius salubri potius quàm honesto consilio, retro in Umbriam iter flexit. Conflauit verò Clemens argentum omne, & aurea vasa sacrificijs dicata, vt inde diuidenda militibus pecunia cuderetur. Quæ quum satis esse non posset Cæsarianis ducibus, purpureos galeros tres concessit, vt illis licitantibus, qui foeda ambitione corrupti ad senatoriam dignitatem aspirabant, aurum proferrent. Eo modo ad hastam propositis, emptores non defuere. Sed miles expleri non poterat, quum non mensura, sed annorum aliquot stipendia, turbidi, insolentes, & vesana feritate ducibus etiam terribiles flagitarent. Quum his difficultatibus angeretur, angustoque arcis loco conclusus pontifex, oborta & manante in familiares pestilentia, de sua salute dubitaret, Pompeius ad eum venit, inuitatus ab amicis senatoribus, deposcenteque præsertim pontifice, quum is diceret, desperatis auxilijs, ab vna Achillea cuspide opem expectandam, Pompeium præclarè designans, qui certiora remedia esset allaturus, postquam tantis cladibus initia præbuisse videretur. Erat Pompeius in aduersis peruiçax, & indomitus, in secundis verò adeo tener & flexibilis, vt commutatæ voluntatis gloria magnopere gauderet, oblectareturq; mirum in modũ, vbi decus

emineret, alterna elatione, depressioneque familiariorum suorum. Aliquo enim merito in gratiam ascitos, inductis demum suspicionibus extemplo repudiare, & corrupta propria libertate, odio persequi erat solitus. Sed in his æquissimo iure venit excusandus, quum nonnulli ab eo liberaliter sacerdotijs, varijs beneficijs honestati, ingrato demum animo vti pecunia corrupti, in amore ac fide turpissimè defecissent. Susceptus est à Clemente vultu ad hilaritatem maximè composito, nec ficto quidem, quum periculi magnitudo, & concepta spes ingens libertatis omnem penitus simulationem excluderent. Deplorauere tum verissimis lachrimis euerse vrbis calamitatem, sacerdotialis dignitatis amissum decus, & denique communem insaniam, cui pertinacius quam sacras hominibus expediret, vsque ad conturbationem diuinarum atque humanarum rerum seruiuissent. Interea pestilens morbus ex fœtore cadauerum et fame, inæqualique cœli temperie subortus, multos Hispanorum absumperat: & in his Antonium Gamboum, à quo templum virginis Deiparæ ad Minernam excruciatæ scede sacerdotibus fuerat direptum. Sed Germanicas legiones multiplicatis funeribus maximè deuastabat: allatumq; erat, Gallos Odetto Lotrechio duce transisse Alpes eo consilio, vt vindicatis iniurijs, sacrosanctum pontificem, abrupta fide deceptum & proditum in libertatē asfererent. Rex enim Franciscus suo pte ingenio maximè pius & generosus prodignitate Christiani nominis, cuius ipse titulum præferret, valde pulchrum & decorum existimarat, custodia et carcere sacrosanctū pontificem eripere, atque impios, & execrabiles latrones, vti militum nomine indignos armis persequi, qui sceleratis manibus, templa, aras, ipsa denique sanctissimorum pontificum sepulchra violassent. Implorarat enim vndique opem Clemens demississimis precibus à Francisco rege per Saluiatum Cardinalem legatum, atque item ab Henrico Britanniarum rege, ad quem Vbertum Gambaram miserat. Accendebat etiam Helucios vehementer Ennius Philonardus antistes Verulanus, vetus apud eam gentem legatus, vel vno maximè argumento, quod Iulius secundus ab insigni beneficii accepti memoria, eos honestissimi nominis titulo pontificiæ libertatis Defensores appellasset. Nam Clemens satis superq; explorata Cæsaris voluntate, quum se in potestate barbarorum esse conspiceret, neque ipsius salus atque libertas ad arbitrium Cæsaris reuocaretur, aliunde sibi auxilium quærebat. Per literas namque & nuncios propenso Cæsaris animo utebatur. sed milites, Germanique præsertim, minacibus oculis truces, efferique stipendia atque aurum deposcebant. Quibus Cæsar non obscure indulgendum arbitrabatur, postquam tantis rebus gestis, sua præmia merebantur. Putabat quoque ex conscientia pudore, Clementem vti grauissimis affectum iniurijs, vbi primū custodia liberatus euolaret, in omnem vindictæ libidinem sese effusurum, ita vt tantis adiunctis sociorum præsijs resumpturus arma, & ad Christianas imprecationes, dirasque aduersum se descensurus esse videretur. In his rei nummaria difficultatibus coactus est pontifex obseques dare, quos ipsi milites delegissent. Ii fuere cardinalium propinqui, viriq; maxime pecuniosi, Ioannes Marius Montanus Sipontinus, Honofrius Bartholinus Pisanus archiepiscopi, Antoniusque Pucius Pistoriensis, & Ioannes Mattheus Gibertus Veronensis episcopi: itemque Iacobus Saluiatus cardinalis pater, & Laurentius Ridolphus Nicolai cardinalis Germanus frater.

Horum

Horum sacratis manibus ferreæ cathenæ statim iniectæ, vinctique in Pompeiana domo custoditi. Hos Pompeius videre, aut alloqui humanitate sua indignum putauit, ne quum præstantes viros familiaritate superioribus temporibus sibi coniunctos, in libertatem vindicare non posset, ad non dubiam inuidiam eorum calamitate lætari videretur. Verum per familiares suos id benignè & liberaliter præstabat, vt nihil quod ab subleuanda præduræ captiuitatis incommoda, tristitiamque minuendam pertineret, omnino desiderarent. Quum verò à barbaris aurum immaniter supplicij metu iniecto exprimere properantibus, in Floræ campum ad furcas cathenati latronum more traherentur, bisque sententijs de eorum supplicio in corona militum graui & infesto concionis fremitu esset disputatum: adeo Pompeius eo atroci illustrium sacerdotum periculo, & Germanorum feritate commotus est, vt non multò post, ipso commiserate, & prorsus coniuente, per vaporarium focituum subleuati, extractique funibus euaserint, quum Germanos custodes oppera in cœna, multo salerno consopitos egregiè fefellissent. Transierat paulo ante Pompeius in Alfonsi Vastij domū, vt eius suspicionem ab se penitus auerteret, & deceptorum & furentium impetum sua absentia frustraretur. Horum fuga Clementem incredibili affecit voluptate, libertatemque eius magnopere maturauit. Nam Germani ad nouas pactiones descenderunt, vt pecunia certius ac facilius expediretur. Audiebant enim Lotrechium properare, vt liberati ab se Pontificis gloria potiretur. Is ad Boscum oppidum expugnatis Germanorum cohortibus, Alexandria Vrbe in potestatem redacta, & Ticino demum terribili tormentorum apparatu capto, direptoque, Padum transierat, Parmæ atque Bononiæ aliquandiu substiterat, vt Heluetias & Germanicas legiones expectaret, quibus receptis, per Togatam Galliam ad Truentum amnem contendebat. Aderant ei Venetorum copix, accesserant magni roboris auxilia Florentinorum. Ii enim ad famam capti pontificis exciti ad arma, Mediceis adolescentibus Hippolyto atque Alexandro Florentia eiectionis, sese in libertatem vendicarant. Andreas quoque Auria Gallicæ præfectus classis, ad Delphini portum Hispanicis triemes oppresserat, eiectionisque Adurnijs Genuenses Gallorum imperium acceperant. Quibus de causis Cæsariani duces in propinquum summæ rerum discrimen adducti relinquendam omnino urbem Romam, & hosti obuiam eundem censebant. Id maximè cupiebat Pompeius, quum patriam à Barbaris funditus euertere conspiceret, deformatis pascim ædificijs atque omni laquearium & tectorum exusta materia collabentem. Sed negabant milites, Germanique prefertim, se ab Vrbe, pontificisque custodia discessuros, nisi stipendia soluerentur. Id verò se prestare non posse aiebat Clemens, nisi custodia educeretur: capto enim sibi atque alieni iuris facto, non credi à mensarijs & publicanis, libero autem & suæ dignitati restituto, præclaram fidem rediuiua potestatis estimatione confestim affuturam. Porro Cæsar ab Hispania perplexè rescripserat, sibi æquum videri, vt pontifex custodia educeretur: sed darent ipsi operam, vt alicunde militi stipendia præberentur, cauerentque, ne pontifex ex captiuo liber et hostis factus, si id vellet, partium consilijs multum noceret. Interpretandis autem literis, diuersæ sententiæ à ducibus dicebantur, Auranlius, Alarcon, Vereius atque Moronus cautiore videri volebant. Pompeius

verò & Columnij omnes cohortantur, vt per honestam pactionem sacrosanctum pontificem carcere, ipsum verò Cæsarem infamia liberarent. Aduenerat Franciscus Angelius præclarum de Cæsaris conscientia, voluntateque testimonium ferens. Itaque Clemens mirificè adiuuante Pompeio pecuniam à cupediarijs ditibus mutuam impetrauit per Bernardinum Sanctium Reatinum iuriconsultum, Urbis prætorem. Hunc Pompeius Atioerio Motæ Gallo collegam addiderat, vt miseris ciuibus de vita & fortunis cum milite litigantibus præsidio esset, atrocitatemque publicæ calamitatis humani iuris artibus emolliret. Francisco demum Angelio insigni adipiscendæ libertatis auctori purpureum galerum est pollicitus: itemque Moroni filio episcopatum Mutinensem dedit. concessit & ipsi quoque Pompeio Piceni legationem omnesque promissis aut præsentibus donis, qui auctoritate valerent, sibi conciliauit. Propterea vt milites ampliore pecunia mitigaret, Grimanum & Cornelium Venetos, Sanseuerinum, Caraffam & Palmerinum Neapolitanos, Cardoniumque Hispanum, pretio legerat in senatū, vt quæ sanctius atque syncerius Cæsari fidem obligarat, quinque cardinales obfides dedit, è quibus Triuultius, Pisanus, & Gaddius Neapolim sunt perducti, Vrsinum autem & Cæsium ipse Pompeius vadem pro his generosè admodum se præbens, ad Sublaqueanos secessus perduxit, atque maturè ingentibus munificentia atque humanitatis officijs obstrictos dimisit. Quum verò pontifex amici pacatiquè animi data fide, atque ea tabulis confectis confirmata, excessurus arce, & Orbitum Tusciæ oppidum, comitante parte exercitus, petiturus esset, Pompeius ei dono dedit nobilem Turcam equum, itemque insignes sarcinarios mulos, & niuei coloris asturconem, quo sacra arculæ purpureæ inclusa cum perpetuo igne pontificibus maximis præferri solita vererentur. Sed pontifex mutato habitu, ita vt vnus ex familiæ præfecti familiaribus videretur, intempesta nocte ex arce atque Vrbe exiuit, veritus siluam expectaret, Vgonis Moncatæ sententiam, qui Lanoio pestilentia absumpto Neapolitano regno præerat, virque ab ingenita subtili calliditate versutus & varius, ab his facile dissentiebat, qui pontificem militum manibus ereptum volebant, & Cæsaris inuidiam honestiore decreto lenire cupiebant. Ludovicus autem Gonzaga educendū pontificis negocium suscepit, feliciterque perfecit, frustra petente Aurantio, vt in itinere subsisteret, quum is è Galeria oppido vbi erat in hybernis, transuerso itinere salutaturus, incertum an reuerturus cum ala equitum aduentaret. Pontifice post septimum mensem libertati restituto, Pompeius Neapolim cōtendit, vt bellicis partium consilijs interesset. Iam enim Lotrechius ferè totam Italiæ longitudinem emensus in Apuliam peruenerat. Quo rerum periculo adducti Cæsariani, obtestante educenteque Alfonso Vastio, urbem absumptis omnium fortunis, domibusque fœda tectorum strage, deuastaram reliquere. Discesserat è castris Vastius ab initio priusquam Roma caperetur, ne sceleratis militum consilijs interesset, veneratque deinde in Urbem, vt suo veteris imperij iure vteretur, frenataque militum licentia, vigilijsque & singulis militia muneribus ad disciplinam reuocatis, in hostes legiones educeret. Certatum subinde est equestri prælio ad Luceriam superantib. Gallis, quo Martius Columna adolescens alacriter pugnās, & ardentius excurrens est interceptus. Hunc Pompeius ex Octauiano fratre

genitum

gentium, confestim mille aureis redemit, scripsitq; ad eum, vt nihil ab eo incommodo innatæ virtutis impetum remitteret, sed etiam atque etiam intrepidè progredieretur, aurum in promptu semper futurum, modò vti ea familia & eo patre natum deceret ad parandam laudem, & militare decus eniteretur. Ostentauit demum copias Lotrechius, et displosis in aduersos tormentis, sub Troig vrbis colle pugnandi potestatem fecit. Sed Aurantius et Vastius, Dobino comprobante, ex æquissimo loco in æquam planitiem minimè descendendum putauerunt. Nec accliuem locum Gallus subiit Hetruscorum auxilia expectans, quæ de aduentu suo per Apennini colles interdium fumo & noctu ignibus significabant. Cæterum in Cæsariano milite multum refrixerat vetus ardor, illeque impetus celeritate audaciaque semper felix. Tanta enim ditati præda, & voluptatibus atque delitijs emolliti, pauere vulnera, prælii casum defugere, & præter consuetudinem nimia vitæ cupiditate distineri videbantur. Verterè itaque signa Neapolim, silentio motis castris per noctem profecti. Nec Lotrechius abeuntium vestigijs institit, suadente Nauarro, vt Melphiam urbem valido firmatam præsidio prius expugnaret, quam hostes insequeretur, ne obsessis demum itineribus, commeatus eriperetur, qui Neapolim oppugnaturis è Samnio foret expectandus. Dum itaque Galli Melphiam magnis viribus expugnant atque diripiunt, Cæsariani Neapolim concessere, Lotrechiusque demum ad urbem vallatis castris confedit, longa admodum instituta obsidione, nec intermissis quotidianis incursionibus, quibus ab initio aduersus erumpentes adeo profecit, vt interfecto Vereio Belga, qui liberandi Pontificis decretum improbarat, Germani Hispanique tumultuarijs victi prælijs magnoperè terrerentur: nam primò ad Diui Antonij templum, iterumque ad Sebethi amnis munitiones, & demum ad Pausilipi montis crypram quum interclusi fuissent, amissis multis equitibus, & duobus Germanicis vexillis, intra Urbem trepidè refugerant. Acciuerat quoque Lotrechius è Liguria classem, Philippo Auria præfecto, vt hostes, ipsaque Neapolis terra marique obsideretur. Nec dubitauere Moncata et Vastius, quin rostratas suas completas veterano milite ad pugnam educerent. Concurrere terribili & maximè cruento inito certamine ad Vrsium promontorium, citra Salernum, Cæsarianisque Ligurum virtute & nauali peritia superatis, Vgo Moncata est interfectus, Vastius ipse & Ascanius Columna equitum magister in prætoria capti. Cecidit & Cæsar Feramusca, qui perfidiosæ pacis cum Pontifice author fuerat, & cum eo Hispanorum promptissimi. Deuenit & in potestatem hostium Camillus Columna Marcelli filius, quem Pompeius pecunia maturè è manibus Ligurum redemit. Eo tempore Pompeius Caietam se contulerat, vt inde commeatus expediret, Urbem portumque tueretur, & bellum in Minturnensi & Fundano aduersus Caietanos regulos administraret. multi enim regni proceres in Samnio, Lucania, Brutijsque, & Salentinis, Hispanorum odio, & præsentis exercitus metu commutata voluntate defecerant, & castra Gallica sequebantur, vt studio Andegauensis factionis alacriter ostentato, in paranda victoria Lotrechij gratiam promererentur. Per eos etiam dies Pompeius, ad eabelli detrimenta domestico vulnere ictus, infensæ Fortunæ acerbiter sensit. Scipio enim Columna Marcelli fratris filius, cui episcopatum Reatinum detulerat, quum iuuenili ardore exuta striata sto-

la, non contemnendas copias ex amicis & clientibus comparasset, & in Mar-
 forum finibus cum Neapoleone Vrsino, ætate, audacia, atque opibus pari col-
 latis signis dimicasset, in prima acie ceciderat. Sed eum dolorem adeo constā-
 ter tulit, vt eum, postquā ita in fatis fuisset, nequaquam honestius mortem op-
 petere posse diceret, quum aduersus publicos & priuatos hostes fortiter pu-
 gnando pro Cæsare, & Columniæ familiæ dignitate cecidisset. Auctus sub-
 inde est episcopatu Auerfano, Clemente proclinata iam belli Fortuna, eum
 concedente, quo Fabium Octauiano fratre genitum, tum iuris ciuilis scientiæ
 operam dantem honestauit. Interea graui iam autumno lethalis morbus Gal-
 lorum copias inuaserat, ex palustri nebula, & tetro castrorum odore haud du-
 biè conceptus, adeo multiplicatis funeribus, vt ipse Lotrechius & Valdemon-
 tius, qui superiore bello dux fuerat, atque item nobilissimi alarū duces, et præ-
 fecti legionum, paucis diebus interierint. Exiere demum obsessi, tentatisque
 præaltis hostium munitionibus, quum eas nemo armatus defenderet, in lan-
 guentes & lurida macie deformatos hostes impetum fecere, persecuti que de-
 mum reliquias eorum vix manib. atq; humeris arma gestantes ad Auerfam,
 bello finem imponere, capto Petro Nauarro, & Michaelē Salasso in deditio-
 nem accepto, qui paucos post dies eodem morbo, simul & dolore animi, hic
 in libera custodia, ille in carcere perierunt. Andreas quoque Auria quibusdā
 offensionibus inductus, mutata fide à Gallis ad Cæsarianos se contulerat, per-
 secutusque Gallicas trirèmes earum partem cepit, ingressusque Genuæ por-
 tum eiectis Gallis, veterem libertatem patriæ restituit. Fortuita itaq; pro Cæ-
 sare vbiq; feliciter depugnante, Pompeius Neapolim venit, in consilium gra-
 uissimarum rerum ascitus ab Aurantio. Hunc enim Cæsar in regni præfectu-
 ra Vgoni Moncatæ suffecerat, quærebaturque acerbissimè in eos, qui spe vi-
 ctoriæ partium Andegauensium decepti, fluxa fide ad Gallos intempestiuè
 defecissent, ita vt damnatorum regulorum ingēs numerus, publicatis eorum
 bonis atq; oppidis fiscum repletet, & pleriq; viri nobiles capitali supplicio pu-
 nirētur, multi vero afflati suspitione criminis, metu auarissimorum iudicium
 in exilium abierint, quorum omnium oppida ad hastam vendebantur, in his
 addicendis Aurantio plurimum liberali, qui spectatam virtutem militū, do-
 natiui nomine, ingensibus præmijs vel castigante Cæsare, ornandam suscepe-
 rat. In his Federicus Caietanus Honorati filius, quum à Cæsare defecisset, vt
 paterna oppida à Columnijs possessa repeteret, Minturnensibusq; arma intu-
 lerat, in foro securi percussus est, Murconio eius patruo Pompeij precib. haud
 dubiè conseruato, qui eandem damnationem subierat, & penè productus ad
 supplicij locum, similem vitæ exitum expectabat. Attulit hanc gratiam mise-
 ro seni, ex veteris beneficii memoria, quod vir generosus vnginti annorum spa-
 tio nunquam obliuione deleuerat. Quum enim iuuenis in Volscorum syluis
 quotidiana cōsuetudine venaretur, ab Honorati equitibus ex insidijs captus,
 & Fundana in arce in imum turris carcerem detrusus fuerat, sed demum insi-
 gni Murconij pietate mortem effugit, quum Honoratus frater eum vti iuue-
 nem præferocem & Caietanæ familiæ infestum veneno tollere decreuisset.
 Seruum enim suum Murconius fideli obsequio facile parentem, sed conficto
 damnatum crimine, in eundem carcerem demitti iusserat, vt Pompeium mo-
 neret, ne alio vteretur cibo, quàm eo qui sibi sportula demissus foret, humani-
 ter in-

Per interposita salutari mora, donec Honorati consilia lenirentur. Nec multo post Pompeius ex morte Cardinalis Cardonij, Montis regalis in Sicilia insigni sacerdotio ditatus est, facile id ingentibus ipsius meritis tribuente Cesare. Eodemque anno quum aliquandiu in Brutis, & deinde in Apulia cum Venetis atque reliquis Gallorum vario euentu esset dimicatum, pax inter Gallum & Cesarem inita est, ex cuius legibus excessere Galli & Veneti omnibus Apuliæ oppidis, & rex Gallus liberos obsides, vicies centenis milibus aureorum persolutis cum incredibili totius Galliæ lætitia incolumes recepit. Ea quoque ætate, inter Clementem & Cesarem amicitia renouata est, ijs conditionibus, vt Cæsar Margaritam filiam in cœlibatu susceptam, Alexandro Medici iunioris Laurentij filio desponderet, bellum aduersus Florentinos susciperet, vt Mediceis vetus in patria dominatus redderetur. Florētini enim natura Gallici nominis studiosissimi, eiectione statim Mediceis Lotrechio adhæserant. miserant ad eum Neapolim auxilia validissimarum cohortium: profectique Gallorum amicitiam, Cæsarianos cunctis opibus oppugnabant, nunquam futurum existimantes, vt pontifex tantis affectus detrimentis, & tantis iniurijs exacerbatus, animum ad Cæsaris amicitiam reuocaret. Venit inde in Italiam Cæsar, triremibus ab Atria Genuam deuectus. Nec multo post Cæsar Bononiæ à Clemente susceptus coronatusque est solenni pompa, ipso natalis sui die, quum precibus pontificis, Venetorumque, Franciscum Sfortiam in complexum & gratiam recepisset, reddito ei Galliæ Cisalpinæ imperio, de quo tantis inuectis cladibus, omni deuastata Italia dimicarent. Venerat per eos dies Solymanus ad Viennam oppugnandam, innumerabiles copias ducens. Sed ea vrbe frustra, vtpote sine tormentis muralibus oppugnata, & deuastato demum Norico, Pannoniæque agro Byzantium redierat, ita vt Germanis et Ferdinando Cæsaris fratri, qui Pannoniæ regnum armis petebat, grauiore fama quam exitu formidinem incussisse videretur. His enim de causis Cæsar moderato animo victoria vsus, quod ab armatis eripi nequiuerat, æquitati & præcibus ab eximia magnitudine animi concessit. Profectus est demum in Germaniam, tribuitque summam potestatem apud Neapolim Pompeio, quum Aurantius exercitibus in Hethruria præesset. Integrum verò annum Florentini libertatem suam constantissimè defenderunt, bellum administrante Malatesta Baleone, callido & forti duce, atque item Stephano Columna, viro vigilantissimo atque impigro, qui Gallæ regis nutum atque imperium sequi dicebatur. Binis castris urbem obsidebant, à ceteriore parte Aurantius, ab vltiore verò Vastius, interfluente Arno. Erantque his in castris præter Ascanium & Sarram ætate maiores, Camilli duo & Martius Columnij iuuenes cohortium alarumque præfecti, tanta militari cum laude, vt Pompeius ea sobole iam planè adulta & strenuè exercitata in castris, magnopere lætaretur. Ceterum vertente se anno, Florentini fame domiti deditioem fecerunt, quum ipsorum auxilia quæ ad opem ferendam Pisis aduentabant, Aurantius in agro Pistoriensi profligasset. Sed in ea tamen victoria ipse dux cecidit, vacuamque & liberam præfecturam regni Neapolitani Pompeio reliquit. Itaque biennium in administratione rerum publicarum versatus, eum in reddendo iure, recreandaque prouincia & pecunijs exigendis iustitiæ, humanitatis & temperantiæ modum tenuit, vt quum seueritatem

facilitate misceret, & recentium cladium incommoda refarciret, publicæque egestatis & ærarîj pariter causam tueretur, singularis ei apud omnes ordines laus pararetur. Exhauserat enim Cæsar frequentibus tributis totius regni vrbes, Gallico etiam bello afflictas, ipsamque Neapolim, quæ multo grauiora ab Hispanis & Germanis quàm ab ipsis Gallis hostib. detrimenta acceperat. Nec tamen deerant è Neapolitanis qui priuatam gratiam bono publico præferrent, & inusitata rapacitate cogendæ pecuniæ rationes inuenirent, vt ea barbari milites explerentur, qui & aliquot Campaniæ vrbes, insigniaque oppida auarè & crudeliter diripuissent. Sed Pompeius vultu, sermone, sententia expeditoque consilio supra quàm dici possit admirabilis, singulis rebus remedia celeriter afferebat, castigabat acriter Hispanorum arrogantiam, Neapolitanorum iuuenum insolentiam frenabat, Procerum superbiam seueritate præsentis imperij ita contundebat, vt ex magistratus potestate maximè timeretur, quum priuatus in colloquio, ioco, venatione, conuiuio ceteros mortales exquisita & nobili morum iocunditate superaret. Inerat enim ingenio eius fastus planè regius, quum insolenter vrgeretur: ex aduerso autem si quid molliter postulares, ciuilis humanitas, adeo vt is omnium seuerissimus simul atque lenissimus haberetur. Mirificam etiam dignitatem rarissimo quodam naturæ munere in omni negotio actioneque semper afferebat. Erat enim amplo corpore, atque eo quidem animi similitudine ad decus plurimum erecto, serena fronte, viuacibus oculis, pleniore ore, eloquentia verò tanta, vt in ea, quum expediret, senatoria grauitas, libertas militaris, urbana comitas, optimarum literarum, & veterum exemplorum conspersa floribus ad admirationem eminerent. Sed eo irato nihil tumidus, aut truculentius, cui tamen amici & familiares semihoræ silentio feliciter occurrebant, adeo vt ipse deferuescente sensim iracundia, seferatione contineri, confutarique æquo animo pateretur. Sed vbi negocium potestatis ac imperij decus respiceret, erat egregiè constans & inexorabilis, quum iustissimi regis personam omnino representandam arbitraretur. Adeo vt Ioannem Contumacium, qui populi Tribunus fuerat, falsi & pculatus reum, in foro præalta in furca suspendi iusserit, quum ille ad mitiorem pœnam haud dubiè in custodia seruatus, crebro & impudenter, vt sibi ius redderetur tanquam insons et iniquè detentus flagitaret. Comminatus quoque est Salernitano principi summa familiaritate sibi coniuncto, tanq̄ reo lèse maiestatis, supremi imperij vim, nisi extēplo maleficū hominē ad carcerem statuisset, qui è manib. præfecti vigilum elapsus, tanq̄ ad asylum indomum eius perfugerat. Annibalem quoq; militem Formianū, ignis pœna seuerè admodū affecit, quū impotenter et graui quidē cum iniuria, adulescentuli pudicitia vim intulisset, quanquam in huiusmodi flagitio, si vis abesset, sæpissimè conuiuendum existimaret, & tum non amatorem, sed violatorem ingenui corporis se punire profiteretur. Detruncari etiam iussit læuam manum, dextra ægrè impetrata, honestissimo equiti Neapolitano, & qui tum in ala Camilli fratris filij militabat, quum ex iurgio gladium in atrijs domus in altercantis caput sine vulnere distrinxisset. Idque vnum pœnam de precantibus amicorum præcipuis respondit, Ni ita fecisset, veluti alita, auctaque audacia, quæ Neapolitanorum animis insita videretur, non defuturū qui

cubicus:

cubiculo ipsius ferrum inferre, & ad cædem enudare minimè dubitaret. Seruauit tamen plurimos, quum ex seueritate legum capitis pœnam meritos, ad triremes relegare esset solitus, egestati, iracundiæ, & corrupti etiam sæculi licentię, plura omnino condonanda, militibusque præsertim clementer indulgendum existimans. Villam non longè à maris litore quàm in occasum plaga illa hortorum amœnitate pernobilis ad Cocceij cryptam extenditur, citriorũ sylua & marmoreis fontibus exornarat, in eaque adeo multus erat, vt sua manu agriculturæ peritissimis, & semper purpuratus arbusculas infereret, spectanteque populo, cum Neapolitanis hortorum amœnitati impensè studentibus de vario seminum genere, deque olerum nobilium & peregrinorum florum plantatione disleret. Cæteras horas, sobriusque præsertim Musis dabat, quibus adeo oblectabatur, vt & stilum feliciter exerceret. Composuit enim lepidis argumentis aliquot minuta poemata, in quibus Isabellæ Villamarinæ Salernitani principis vxoris formam atque delicias elegantissimè depinxit. Hanc enim studiosè colebat, atque ea ingenij libertate, vt nihil vnquam turpè à castissima fœmina cupiuisse testaretur. Scripsit demum grauiore consilio laboreque iustum volumen de laudib. mulierum à multis prisce virtutis exemplis atque orationis iocunditate eruditorum lectione dignissimum, quod se in honorem Victoriæ Columnæ gentilis suæ composuisse dicebat, cui & non pari studio, ob excelsam nobilissimi eruditissimi que ingenij virtutem, eximiamque Christiani animi pietatem septem libros de vita & rebus gestis Piscarij mariti ipsius inuictissimi ducis dicauimus. Quum in publico negotio priuatoque otio, intermissa repetitaque ex occasione clarissimorum hospitum, venationum, aucupiorumque & piscationum voluptate liberaliter frueretur, seque inuidiæ procerum ex amplissima regij imperij potestate expositum cõspiceret, (Nam multi ex Hispanis et Belgis, ambitione & spe quæstus ad eius præfecturæ munus aspirabant) à Clemente postulauit, vt sibi in Tusculano rusticari liceret. Respondebat pontifex se syncera fide erga ipsum post tantas clades in amicitiam receptũ, & dum vita suppeteret, inter præcipuos habiturum, modò urbem potius quàm rura colere, & senatorijs muneribus interesse vellet. Sed Pompeius nullam suspicionem de salute superfluum ratus, nullis pignoribus, aut vadib. adduci potuit, vt ad Urbem regrederetur. Nec multo post Cæsare è Germania ad Pannoniæ fines properante aduersus Solymanũ, vt vniuersis copijs cum rege Barbaro dimicaret, Pompeius Camillum & Martium fratrum filios cum delectis peditum cohortib. in Germaniam misit, duce Vastio, qui veteranos Hispanos & legiones Italicas ad Cæsarem perducebat. Inciditque paucos post dies in morbum ab initio contemnendum, sed qui mox occultis insidijs lethalis atque supremus fuit. Vtebatur à prandio statim æstate pariter atque hieme, frigidæ potu ardente scilicet stomacho, qui à multo calore vel prædura cibaria perficere erat solitus. Sed vinum ineunte statim æstate niue Samnij montibus quæsitæ affatim miscebat, frustra damnantibus medicis, quorum placita serio & ioco, vt incipientia atque incerta sepius refellebat. Comederat & biferas ficus indulgenter. Itaque vix dum paratis remedijs, permeante ad præcordia feruidæ febris veneno ad quartum Calendas Iulias, integerrimis sensibus è vita discessit, ita vt in eo festinatæ mortis cursu, vitę exitum intrepidus sentiret, commendaretque

animum superis, nec vlla se grauiore molestia affici diceret, quàm quòd ante diem exactæ ætatis, præoccupante fato, familiaribus gratus esse nequiuisset, cogere turque discedere inuitus ex eo eruditorum iocundissimorumque amicorum cœtu, quo se tum maximè incomparabili percepta voluptate, plurimum oblectare cœpisset. Aderat enim expiranti Augustinus Niphus Suesitanus è secta Aristotelis philosophorum ætate nostra celeberrimus, & plerique alij viri graues, in liberalibus disciplinis cum laude versati, qui morientem, vti patronum inexhaustæ liberalitatis, parentemque omnium verissimis lachrymis luxerunt. Intempestius enim videbatur interitus, quòd nondum quinquagesimum tertium ætatis annum expleuisset. Nec defuere qui veneno sublatum suspicarentur perfidia Philippi Galli, qui ab ætatis flore & musicae artis peritia domino charus, epularum demum instructor euaserat, & à pōtifice patratæ sceleris præmia expetisse dicebatur. Sed tum medici & pollinctores, exenterati viscera nullo veneni indicio notata retulerunt. Nec ad mortis nuncium Clemens vllum omnino lætitiæ signum vultu prætulit, quanquam à sacerdotio valde opulento, insignique inter senatores officio ad ornandum Hippolytum Medicem ei per ampla hæreditas obueneret. Verùm seuerè contraxit frontem, vel ob id quòd Pompeius eodem anno menseque, quo ipse natus, immature atque hominum opinione celerius, è vita discessisset, quum præsertim tanta vis spiritus, & ea quidem aduersus morbos indomita, robusto in corpore vigere videretur. Magnopere enim Clemens ex alienis fati omnine concepto, mortem timebat, quum alioqui nihil saluti molliter indulgendo, vitam contemneret. Prorupit tamen in longos sermones de Pompeij moribus ex animo iudicium ferens, quum honestissimi viri qui tum aderant, amore, vel odio mortui famam diuersis sententijs excuterent: & ipse ante omnes Pompeium ab eximjs ingenij naturæque dotibus verè magnum fuisse testaretur, sed aculeatè subiungeret, Pœni Annibalis exemplo, vel maximas eius viri virtutes ingentibus vitijs adæquari. Appellarant enim eum nonnulli ingenio repentinum & inconstantem, natura factiosum & tumidum, consilioque maxime vastum, & libidine adeo intemperantem, vt quum liberos suscepisset, illicitis etiam amoribus deseruaret. Ego certè qui fortè sermonibus intereram, multa ex his ad calumniam super æquum adaucta ab inimicis arbitrabar: reuocabam item ad memoriam ferè omnia quæ vir ille ab ineunte ætate, in lorica pariter & purpura, ad extremum vsque vitæ actum, strenuè atque magnifice peregisset, ita vt ab incomparabili maximarum virtutum concursu memorabile posteris eius nomen futurum putem: quum nemo hodie in toto diuinarum atque humanarum rerum officio, laudandum admirandumque se offerat, vel magnitudine animi, vel personæ dignitate, vel autoritate nominis, vel denique disciplina, splendore, fortunaque Pompeio maior & illustrior, modo odium facessat, decedat inuidia virtutis comes, omnisq; simultas humaniter, ipso saltem vitæ exitu terminetur.

F I N I S.

EORVM QVAE IN HISCE
ILLVSTRIVM VIRORVM VITIS PRI-
MO VOLV MINE CONTINENTVR,
INDEX.



<p>A BDVA amnis 155 Abiatum à Ioanne Me- dice expugnatur 365 Acursius Cutica Comē his praetor 18 Acies Cardonij, Florentinorum et Tur- rianorum instructa 46 Acrites à Turcis captus, 225 Actiolinus à Romano, tyrannus trucu- lentissimus, eiusq; obitus 152 Actius Vic. ad Castrucium contendit 55 Actius in Arni insula ludos equestres edidit reddito Florentinis contume- lie talione 56 Actius geminata cum laude victoriae ad patrem redit 56 Actius Mediolanense Imperium 15. my- riadum pecunia obtinet 56 Actius Atestinus princeps 17 Actij Atestini opes contusae à Pelagu- ra 42 Actij Vic. galeam vipera irrepfit 65 Actij duo clariss. 198 Actij Vicecomitis effigies et obitus 62 Actius Syncerus in Galliam profectus 271 Admirabilis pileae ferreae casus ad Ar- cem nouam pro miraculo acceptus 257 Aemilia via 171 Aequitatis Christianae proprium 168 Aegidius Pontificis legatus, Florenti- ni, Pisani, Ferrarient. Veronen. in Vicecomites 75 Agidarium oppidum 204 Agnes Maina Blancae Francisci Sforti- ae uxoris mater 197 Agnes Francisco Gonzagae nupsit 80 Ambrosius diuus equestri effigie con- tra Heluetios, & Rhatos pugnat 61 Alambra arx Granatae 207 Alanconianorum equitum ignauias 393 Alanconij ad Gallos fuga 407 Alarco custodiae regis Galli praefectus 411 Alarco Muclini oppidi praefectus 413 Alarco peditum Hispanorum praefe- ctus loco Piscarij 209 Alarco tormenta XX. ab Heluetijs re- -licta cepit 365 Alba ciuitas 21</p>	<p>Alba Pompeia à Ioanne Montisferra- ti marchione occupata 75 Albaizina arx Granatae 135 Albanus Dux Gallus ad Neapolim oppugnandam proficiscitur 382 Albericus Balbianus illustri fulgore clariss. 107 Albertus Atestinus duce[m] habuit Sfor- tiam 113 Albertus Scotus in Mattheum Magnū perfidus 42 Albertus pius Caesaris legatus 164 Albertinus Buschetus ambitiosus 154 eiusdem supplicium 154 Albohera 206 Alchantarae magisteria 280 Alegria Gallorum Dux 297 Alegria à Fabritio Columna armis in- uasus 262 Alegria pro Gallis pacis conditiones scribit, et Antonius Beseius pro Hel- uetijs 299 Alegria & Arsius Galli duces, victi fu- giunt 254 Alegria, Palicia, & Namurii de bel- lo inferendo contra Hispanos con- sulant 237 Alegriae fraus 233 Alegriae fuga 255 Alexander VI. Pont. Max. contra Nea- politanos 162:229 Alexander Triuulcius 163 Alexandri sexti interitus 259 Alexandria à Piscario capta 365 Alhendinum castellum 209 Alhendinum oppidum captum ibid. Alicantara Valentimorum portus 414 Alidosius legatus Bononiensis fugit 165.169. à Feltrio confossus ibid. Almoraua suburbanus campus 209 Aloysius Aduocatus 174 Ambosij mors 168 Alopius Sfortiam capit 123 Alopi foedus interitus 128 Alphabes apud Mauros 209 Alfonso Atestinus in Galliam et inde in Britanniam proficiscitur 153 eiusdem dignitas ibid. Alfonso Atestinus Ateste, Montagnanā & Montemilicem recipit 156. Ba- stian 173. Tormentorum artifex 160. ab autoritate Ludouici Regis nō recedit 161. Arma parat 162. op-</p>	<p>pidae suae ditionis recepit 160. Ho- stes in fugam conijcit 166. Rauennam oppugnat 174. Cetellionum luxit 174. gemmas & vniones vxor- is oppignorat 170. Gallorum so- cius 180. Per interregnum Regio lepidi & Ruberia oppidis potitur 412. Mature cum Lanoio pecunia transfegit ibid. Pontificis beneficia rius à Gallis pertmacius defensus 300. Rodigina peninsula potitus Pontificis copias sudit 289 Alfonso Cardenes Regius ad Tron- gillum Imperator 206 Alfonso Carilius Toletanus archiepi- scopus 205 Alfonso Caruaial Hispanorum praese- ctus in classe regia 251 Alfonso frater magni Consalui 205 Alfonso Consalui frater à Mauris ca- sus 238 Alfonso Daualus Indici filius, Ferdi- nandi Piscarij pater 297 Alfonso Daualus patria seruator nū- cupatus, & eius interitus 298 Alfonso Daualus uxorem ducit 214 Alfonso Estensis ad Muuinsium fi- nes urbem inuasurus 329 Alfonso Indici filius 298 Alfonso Rex contra Reginam ad Ca- puanam portam pugnant Sfortia reginam defendente 120 Alfonso rex à Mazara ad Mesanā 214 Alfonso rex Neapolitanus, attonito similis regnum Ferdinando filio re- liquit 214 Alfonso rex Neapolitanus ingratus filius ad Ioannam reginam 115 Alfonso rex Neapol. nauali praelio su- peratus, gratis à Philippo dimissus, pergrandi pecunia donatus 97 Alfonso in pugna à Sfortia superatus 120 Alfonso Vastij celeritas in Italiam re- deuntis 375 Alfonso Atest. effigies 152. Principali 153. Victoria 157. mores 154. expe- ditū ingenium 105. humanitas et comi- tas 167. Prudentia 170. cōstātia 168 Alfonso bellum infertur 156. opponit- ur Vitellius 321 Militare responsum 176</p>
--	--	---

I N D E X.

<i>Almarus Luna reus maiestatis factus capite poenas dedit</i>	280	<i>Antonius Orpheus antistes, imperitus belli</i>	164	<i>Vix periculū effugit</i>	164	<i>Attendula gentis infigne à Cesare decoratur</i>	119
<i>Alzagal Granata discedens in Africā transfretauit</i>	212	<i>Antonius Padulus Cardonius auunculus Ferdinandi Piscarij</i>	300	<i>Appia Romæ porta</i>	320	<i>Attendula domus conclauia scutis & thoracibus exornata</i>	101
<i>Anastasia vxor Theobaldi, & mater Matthæi Magni Vicecomitis</i>	36	<i>Apulia vrbes Ferdinādo Regi concessæ</i>	156	<i>Apuli & Salentini sunt in secūda Neapolitani regni præfectura</i>	237	<i>Athesis</i>	174
<i>Ancius Rixaccus custos arcis Modocætiæ</i>	50	<i>Aque Statiellæ vbi</i>	21	<i>Aquilani à Sfortia superati salutiq; restituti</i>	117	<i>Aurelia via per Senensium oram</i>	116
<i>Andegauenſium animi in spem erecti ad amissa oppida recuperanda</i>	76	<i>Aquilarij, seu Agidarij, vel Agelarij</i>	204	<i>Arcelli Placentiam obtinent</i>	91	<i>Aurum fossitium gemmæ & margaritæ ab Hispanis inuenta</i>	292
<i>Andegauenſium partium regulis oppida à Ferdinando restituntur</i>	78	<i>Arcus Marianus est vbi C. Marius Cymbros superauit, situs inter Nouariam & Vercellas</i>	357	<i>Ariouistus Baioarius Vindeliciæ regulus</i>	79	<i>Azornius regulus in cœna Antonij Lena de medio sublati</i>	38
<i>Andegauenſium signa ad Neapolitanam portam præfixa à Sfortia</i>	119	<i>Ariosti & Ranucij Bentiuolorum cliētes</i>	169	<i>Argentæ peluis scyphoq; donatur Ferracutus Araldus Gallus</i>	251	B	
<i>Andrada clasſis Hispania præfecta</i>	251	<i>Argentea oppidum</i>	171	<i>Armeniacus Gallorū dux ad Alexandriā interfectus à Iacobo Vernio</i>	86	<i>Baiardi milites capti, & cæsi à Piscario</i>	358
<i>Andreas à Capua Termulanus princeps</i>	167	<i>Aromatum natale solum à Lusitanis inuentum</i>	102	<i>Arona & Angleria interiacente Verbano Abidis similitudinē reddūt</i>	22	<i>Baiardo summa imperij traditur à Boniueto saucio</i>	363
<i>Andreas Gritus legatus</i>	ibid.	<i>Arona oppidum in angustijs Verbani lacus oppugnata ab Hispanis duce Rentio Cerite</i>	356	<i>Aronæ arx à Turrianis diruta</i>	ibid.	<i>Baiardus equo deiectus, Pilaq; sub late re percussus Piscario se dedit</i>	364
<i>Andreas Mattheus Aquaviua Præcætime Hadriæ regulus</i>	237	<i>Arsius Didacum Arellianum Melfiæ obsidebat, & à Liuiano bello opprimitur</i>	270	<i>Arx Brixie vrbi imminens</i>	ibid.	<i>Baiardus in Hispanos irrupit</i>	363, 364
<i>Andreas Aquaviua capitur</i>	253	<i>Arsius Venusiam, et Atellam, & Altamuram pro Gallis tuebatur</i>	ibid.	<i>Arx Montis Araconis</i>	286	<i>Baiaretis sententia, de Ferdinando Hispaniarum rege</i>	287
<i>Andreas Auria nauali virtute terribilis</i>	409	<i>Arsius victus Regno Neapolitano excedit</i>	ibid.	<i>Arx Montis Orphani vbi, et quare sic dicta</i>	27	<i>Baiaretet totas Mahometi prophetæ fabulas non sequebatur</i>	ibid.
<i>Andreas Auria pro Gallis contra Vergonem Moncatam Cesareæ clasſis ducem</i>	367	<i>Arx porte Iouis Mediolani, à Galeacio erecta</i>	77	<i>Ascanius Sfortia Cardinalis custodia à Gallis emissus Romam petit</i>	261	<i>Bailuius Cadomius præfectus annonæ auaritia infamis</i>	267
<i>Andreas Auria tres triremes Cesaris abducebat, nisi Piscarius eas recuperasset</i>	161	<i>Ascanius cardinalis in potestatem Gallorum</i>	225	<i>Asisium Pontifici Romano dedit Ioannes Vicecomes</i>	92	<i>Bailuius Cadomius gradu pulsus</i>	269
<i>Andreas Gritus à Gallis custodia emissus</i>	305	<i>Asisium sub Ioānis Galeacij Imperio</i>	86	<i>Asta Colonia dotis nomine obuēnit Valētiæ filie Ioānis Galeacij, et vxoris Ludouici Aurelianorū ducis</i>	87	<i>Balthasar Cossa Pontifex Max.</i>	93
<i>Andreas Lauredanus legatus Venetus Liuianum imperitè increpat</i>	310	<i>Ateſtini, Estenses imperitè</i>	152	<i>Ateſtinorum familia vnde</i>	151	<i>Baradelli arx Comi à Luithprando edificata</i>	25
<i>Andria septimo lapide à Barolo distat</i>	242					<i>barde equorum à quo inuenta</i>	117
<i>Anemonis vallis</i>	155					<i>bardas equorum nos, antiqui clibanos appellabant</i>	245
<i>Angelus Lauellus: qui & Tartalia, & quare</i>	110					<i>Barnabas & Galeacius Vicecomites ad Batanos relegati</i>	65
<i>Angelus Pergulanus bis agmine composito instauratq; pugna à Sfortia fusus</i>	112					<i>Barnabas & Galeacius à Ioanne reuocati</i>	68
<i>Angelus Pergulanus Heluctios fudit</i>	116					<i>barnabas captus cum duob. filijs à Ioanne Galeacio Vicecomite, carceri mactatur 81. in filiarū dotes erogat vi ctes centena millia aureorum 80. in Mantuanos 75. ad Cisabduanū agrū cæsus 104. vitæ Ioānis Galeacij insidiatur</i>	80
<i>Angelus Triuisianus Venetæ clasſis Imperator</i>	156					<i>Barnabæ edificia 79. filij quinque ex regina coniuge, toridemq; ex damnato coitu</i>	80
<i>Angleria arx ab Othone edificata</i>	26					<i>Baro Biarneus Vasco Gastonianæ alæ legatus</i>	304
<i>Anglerie arx à Turrianis diruta</i>	13					<i>vehementem Gallorum impetum fregit</i>	235
<i>Angleria Othonianis dedita</i>	ibid.					<i>Basilicata Neapolitani regni regio ib.</i>	
<i>Agnestia Federico Sueuicæ nupsit</i>	80					<i>Bastia à Nauarro capta</i>	171
<i>Angli contra Barnabā Vicecomitē</i>	79					<i>ab Alfonso recepta</i>	173
<i>Antichera oppidum Granatæ proximum</i>	206					<i>Basilius Baudælem fratrem in dimidia regni parte succedentē reliquit Bula hac</i>	207
<i>Antonia Conrado Sueuicæ nupsit</i>	80					<i>Baudales captus liberaliter à rege Ferdinando dimissus</i>	215
<i>Antonius Cueva illustri genere ortus qui Philippū primus sequutus fuerat regem alloquitur</i>	281					<i>Baudeli Consalius pacis conditiones offert</i>	ibid.
<i>Antonius leua summus Dux euasit</i>	249					<i>Beatrix Aclij Atestini soror, Galeacij Vicecomitis vxor</i>	43
<i>Antonius Leua in Ticini præsidio</i>	376					<i>Beatricis</i>	
<i>Antonius Leua molas trusatiles in Gymnasio sapientiæ posuit</i>	378						
<i>Antonius Leua tres Ioannis Medicis cohortes cædit, Ioanne duce absente</i>	394						

I N D E X.

- Beatricis nuptiæ mirisq; earū apparatus 43
 Beatrix Gultermi Monferrati vxor, imperium Mediolani affectabat 29
 beatrix Tenda vxor Philippi securi percussa 56
 beatrix Scaligera Barnabæ vxor 91
 beatrix Tenda Facinij Canis vxor ibid. Philippo Vicecomiti nupsit 94
 Becalcus Landrianus prodicionem simulat pro Galeacio 47
 Bollizona oppidū Fræbimo Ruscæ datū 60
 Belli conditiones inter Casarem, & Leonem Pontificem contra Gallos 318
 Belli principium pro regno Neapolitano inter Gallos & Hispanos 237. 276
 Bellum contra Laudenses 31
 Bellum contra Othonem à Laudensibus renatum 27
 Bellum acre in Venetos 155
 Bellunū sub Ioannis Galeacij imperio 86
 Beltramon Baucius Pontificiorum equitum magister 109
 Beltrandus Vasco Cardinalis contra Gibellinos et Matheū Vicecomitem 38
 Benedictus duodecimus Mediolanum sacris interdictum expiauit 64
 Beneuentū et Barolū Sfortia donat 115
 Bentiuoli Bononiam recipiunt 169
 Bergomates Actio Vicecomiti se dedunt 60. Ioannē Bohemum recipiunt ibid.
 Bergomum amisit Philippus 96
 Bergomum captum à Rencio Cerete 15 occupatur à Pādulpho Malatesta 51. receptum ab Hispanis 315. recuperat Philippus Vicecomes 95
 Bernardi Adurnij mors 268
 Bernardus adurnius Ligur aciem centum equitum sistit ibid.
 Bernardinus Tortesilia 268
 Bernardinus Velascus Heluiram Consalui filiam vxorem duxit 283
 Bernardini respōsio reginā pupugit ibid.
 Bertholdus Gniffes Ludouici Bawari Imperatoris dux Galeacio opem fert 46
 Bertholdus Vrsinus copias Cesarianas vrbe expulit 56
 Batabubis, Granatæ porta 207
 Bicochæ pugna 340
 Biordus Perusinorum princeps 121
 Biselij princeps Lucretia Borgiæ maritus in nuptiali lecto mactatur 273
 Blanca Sabaudia Galeacij vxor 68
 Blanca ascititio iure à Philippo legitima facta 98
 Boldrinus Panicalis Pontificiæ militiæ dux 79
 Boldrini cadauere exscatum, in seretro inter militum castra circumductum &c. ibid.
 Bonacosa Squarcini Burri filia vxorq; matthei Magni Vicecomitis 10
 Boniuetus Gallorū Imperator pila brachium traiectus 361. in Abiato opp. sedebat 355. septem mensibus conficitur leuibus prælijs à Piscario 365
 Boniuetti sententia de non soluenda obfidione 396
 Bononia à Gallis traditur Bentiuolis 300. à Ioanne Vicecomite occupata, deinde beneficiario Pōtificis iure possessa 68. data Ioāni III. Rom. Pont. 92. Ioanni Galeacio cedit 86. Idlio II. dedita Bentiuolis expulsis 303. potitur Olegianus 71. à Barnaba Vicecomite obfessa 75
 Bononienses ab Actio Vicecom. profugiti 55
 Borbonij natura & virtutes 352. insidiæ in regem Gallorum detectæ 353
 Borbonius ad Franciscum Gallorum regem 352. ad Hispanos transit ibid. ad Piscarium dimidiam se victoriam dicit consecutum 362. ad Piscarium 371. ad regis captiui genua puolutus 408
 à Ferdinando Caroli fratre auxiliares milites postulat 378. Casarem & Henricum Britannicum regē in Gallos instigat 366. lætis animis à Sextiensibus receptus 368. noui belli concitator in Galliam ire querit 366. patriæ proditor 293. tunicati & priuati equitis habitu pugnat, ne à Gallis agnosceretur 402
 Borgia Cardinalis veneno sublatus 273
 Borracij, id est, ebrij dicuntur Galli ab Hispanis 265
 Bosius Douaria 8
 Borsius pacificator, patriæ decus 152. nothus imperium occupat ibid.
 Bracci Montoni quis, eius insignia et sectæ 110. qd de Sfortia predicabat 146
 Braccij et Sfortiæ amicitia, 110. inimicitia, & quare ibid.
 Bracciana soboles extincta 180. victoria contra Sforitam 110
 Braccius à Sfortiano milite interfectus 139. Per Miluium pontem Roma discedit 119. Sfortiæ mortem in aquis humaniter indoluit 148
 Brancha Auria Genuensis 78
 Brandolinus Comes Sfortiæ vulnerat 131
 Brebiæ arx à Turrianis diruta 8
 Bregnanum petit Cassonus 28
 Bresghella 155
 Britones contra Barnabam 80
 Brixia cedit Ioanni Bohemo 60
 Brixia Hispanis ab Obegnino dedit 303
 Brixia arx à Barnaba Vicecomite erecta 79
 Brixia amisit Philippus Vicecomes 96 recuperat ibid. occupatur à Pandulpho Malatesta 91. Scaligeris adcepta per Vicecomes 61
 Brolia Allobrox Afriatū tyrānus 107
 Brusati Vercellas occurrunt 91
 Brutij ad Aragonios, spretis Gallis 214
 sunt in tertia Neapolitani regni præfectura 337
 Bubalina Motta à Gallis capta 215
 Buccicaldus Gallus Mediolano euertatus, postea eiectus, fusus ac profligatus fugit 92. Gabrielem Ioannis Galeacij filium Genuæ securi percussit ibid.
 Bugea 170
 Bugella oppidū Vercellensis agri 13
 Bugrones, puerarij dicuntur Itali ab alijs 265
 Bula hac maior rex Granatæ interijt 207
 Burgundia nullo iure Gallis debita 424
 Burra Bonacosa vxor Matthei Magni, & Mater Galeacij 27. 41
 Burro Guelphorum vexillū erexit 44
 Bussularius sacerdos cucullatus Ticini tyrannus 75

C

- Cadosius tormentorum præfectus à Piscario captus 393
 Cesar Borgia obses datus Carolo octauo Gallorum regi 214. venenum bibit fatali ministri errore 259. à Iulio custodia traditur 273. à Nonio Campeio custodia traditur 274. ad Medauiam pugnans occiditur, nudus ad Pompelon cuius fuerat antistes, est delatus 277. Carlotam regis Cantabriæ filiam vxorem duxit 224. cognomento Valentinus Neapoli custodia traditur 223. custodibus deceptis ad Ioannem Nauarræ regem confugit 277. dimissus Neapoli nouas res agit 276
 Cesaris Borgiæ facinora & cædes 273. liberalitas ex necessitate exorta, chara tamen Columnijs 260. in arce Medimnæ ad biennium custoditur, fratrem interimit 224. res gestæ & principes ab eo necati compendiosè narratur 273
 Cesar Carolus v. prohibet Piscario ne regem Nauarræ pecunia liberet 416
 Cesaris perhumana salutatio ad regem Gallum 422
 Cesariani in Placentinum & Parmensium agrum delati 413
 Cesar Capuanus 118
 Cesarum numerus ad Gerionem 255
 Calor, amnis prope Beneuentum 132
 Camaioris oppidi incolæ direpti, & incensi 57
 Camerlingus erat præfectus ararij 126
 Camillus Triuultius, & M. Antonius Columna ictu colubrinæ discerpti 335
 Capanum historijs Sfortiæ insensus 140
 Candidus December scriptor 96
 Canis Scaliger Mediol. imperium affectat 49
 canes venatici gratuito agricolarū sumptu alēdi iussu Barnabæ Vicecomitis 81
 Canobium Verbanilacus oppidum 20
 Cantalutius res gestas Consalui, carmine

I N D E X.

lebrauit	271	Castellanetum à Gallis obsessum	ibid.	Columnij duces Hispanis coniuncti à Cō	saluo	230
Cantarana & Loirannes in vrbe Me-		Castellionenses, milites Sfortiæ hostes		Comaclum oppidum		161
diol.	62	pro socijs exceperunt	116	Comaclenses Salinæ		162
Canturiges populi	23	Castellionum dirutum	57	Comenses arma capiunt cōtra prætorē	19	
Canturium oppidum quinto à Como la-		Castruccius Senator Urbis, Comes Late-		cur Othonem nō receperunt 20. supē-		
pide	ibid.	ranus, Cesare & aquilæ vexillifer	51	rati à Matthæo Magno Vicecomite	32	
Canturium Turrian.	ibid.	Castrucci filij Pifarum & Lucæ domi-		Comensis vrbs pro Othonianis arma ca-		
Canusium à Gallis captum	241	nati spoliantur 37. Lucæ imperium		pit	22	
capella arx Bergomi à Luchino ædifi-		recuperant	ibidem	Comestabilis erat Magister equitum	126	
catu	66	Castrucci mors post Galeacium defun-		Comites	15	
Capitanata regni Neapolitani regio	217	ctum 20. die 53. triumphus post victo-		Compostellani equites	24. 36	
capitanai	ij.	riam ad Altopassum 55. victoria con-		compostellani magistri nomen à Ferdinā		
Capito Umbriæ opp. à Sfortia direptum	131	tra Florentinos ad Altopassum 46. vi-		dō & Isabella sublatum	280	
Capua ad Hispanos 255. à Gallis capta		ta commenticie descripta à Machia-		compostellani ordinis magister primus		
& direpta 229. à Iulio ad Caracam		uello 53. vxor pretiosis mundi mulie-		est à Rege Hispanorum honos. ibid.		
Othoniani	24	bris ornamenti à Cesare priuatur 157		Comum à Piscario oppugnatur, & capi-		
Carathum oppidum	ij	Castrum Francum ex ruinis Pandosia vr-		tur atque diripitur 330. à Philippo Vi-		
Cardinales senatu mori	170	bis creuit	70	cecomite recuperatum	94	
Cardonia familia apud Siculos illustris		Castrum uillarum oppidum	ibid.	Cōcordiæ opp. Iulise xpugnari iubet	163	
quatuor Ducum soror Ferdinandi Pi-		Catella Alopei soror, Sfortiæ nupsit	123	conciliū à Ludouico Gallorum rege in-		
scarij mater fuit	298	Catharina Barnabæ filia nupsit Ioanni		dictum	168	
Carlotta Alibreta Caf. Borgiæ vxor	272	Galeacio fratris Barnabæ filio	80	concilium Pisanum	ibid.	
Carmelita Mantuanus Consalui res ge-		Catharina Sfortia Foroliuij & Forocor-		concilium constantiense & Basiliense ib.		
stas carmine celebravit	271	nelij domina	273	concilium Lateranense	176	
Carmagnola ab Oldrado eijcitur	96	Cato equus Sfortiæ alternos pedes vsq;		coniuratio in Ioannem Mariam Viceco-		
Carolus Andegauensis in Italiam ab Vr-		ad genua	117	mitem	93	
bano Papa contra Manfredū euocat ⁹⁸		Cephalenia obsessa à Venetis & Hispa-		Conopœa textilis materia, reticulatis cō		
Carolus Ambosius Mediolano præfect ⁹		nis 226. expugnata à Venetis & Hi-		missuris	213	
155. 163. contra Iulii pontificē 154. ab		spanis	228	Consalui ad Gironē responsio 288. emu-		
amulis lacryatus 167. è vita decessit ib.		Cephalenia situs	226	li et detractores ad Ferdinādum 276.		
Carolus Anocius Motta Gallus	244	Certamen singularē	172	consilium ad Ferdinādum ne pugnam		
Caroli borbonij à Gallis defectio	331	Cetellionus ibid. eius mors	174	committeret 125. domus à gregarijs mi-		
Carolus rex Fræcorum Militari balthæo		Chati & Saxones, à Cesare deficientes		litib. diripitur 257. donatiū ad milites		
Galeacium Vicecomitem donat	42	in Ceruleo monte supra Viuiantum		centū milia nummū aureorū excessit		
Carolus Gallie rex generum Galeacium		peruocabant	58	Consalui & Namurij colloquium 236.		
Vicecomitem sibi fecit	75	Christophorus Caietanus	118	generosum desiderium eiusq; somma-		
Carolus Lanouus ad Prosperum Media-		Cisabduani agri descriptio	304	ta 240 humanitatis laus, Castrensi glo-		
lani decumbentem accedit	354	Ciuitates à Turrianis possessæ	16	riæ par 224. imperium in Mauros 126		
Carolus Malatesta Mediolanum voca-		Citulus Perusinus	167	interitus 292. laudes, & mores 292. laus		
tus, postea electus	91	citadella capta & direpta à Piscario	313	des regiæ & liberalitas 271. legati ad		
Carolus Martinus	118	ciuitas Sanctæ fidei ad Granatam expu-		Namurium, eiusq; responsio 236. mu-		
Carolus Octauus Gallie rex 213. ad Pa-		gnandam à Eerdinando crecta	212	nera Philippo Rauasteno classis Gallie		
piam	100	Clareuallis coenobium, in quo Otho in-		ca præfecto data 232. oppidum natale		
Carolus III. Cesar, vicarios Cisalpinæ		terijt	33	solum à maioribus erectum iussu Ferdē.		
Gallie, & Liguriæ creat Galeacium		Claramontius dux Gallorum in Italiam		nandi solo æquatur 234. precibus Me-		
& Barnabam Vicecomites 74. contra		contendit	407	naldus veniam consequitur	223	
Barnabam	79	classis Hispana eiusq; milites	226	Consaluo dono datur Loxa vrbs pro		
Carolus V. Cesar 10. eius mater Ferdi-		classis noua regis Ferdinandi	251	Montilia possidenda	285	
nadiq; regis filia, mente commota 251		Clemens VII. Pontifex Max. deligitur		Consaluo euenit maxmorum Ducum e-		
Carolus Sabaudie regulus	102	355. in varijs consultatū sententijs po-		xemplo, vt semiexul non planē felix		
Cartusianum coenobium prope Papiā	87	situs agitabatur 4ij. à Venetis castiga-		moretur	277	
Castellinus Beccaria Philippi dux	95	batur 412. dum Gallis & Hispanis no-		Consaluo neminem pace & bello melio-		
Castellini Beccaria mors	96	cere non vult funestū sibi ac Italie bel-		rem fuisse	ibid.	
Castanium in ripa Abdiæ	27	lum perat 384. eius consilium in Gallos		Consaluo rex honoris causa obuam e-		
Cassonus Nepi Turriani filius Mediola-		& Cesarianos 383. consilium salubre		greatur	282	
no præficitur	13	384. scdus cum Lanoio Prorege Nea-		Consaluuus ad Aquinum Gallos & Helue-		
Cassoni victoria ad Aronam 21. contra		politano	412	tios morbo confectos & tabescentes cō-		
Mediolan. ad Berganum 28. eius		Clemens III. Pontifex Max. Mediolani		feruat 262. adacto in mare equo Hispan-		
fuga à Mediolano 26. mors	31	à piorum cetu abdicat 10. eius obitus,		num qui torquem Heluetico detrahere		
Castalius à Gallis captus à Piscario è ma-		cui surrogatur Gregorius decimus ib.		voluit vulneribus affectus 270. ad Baro-		
nibus Gallorum ereptus	336.	Clodia fossa	160	lum 237. ad Gallos victos 246. ad Gerio-		
Castellanetani à Gallis deficiunt	248	Colatrauæ Magisteria	280	nem oppidum eiusq; situs 253. ad Italos		
		Collis Senensis agri oppidum	241			

I N D E X.

cum illis pugnatos 245. ad Italos vi-	contentio de finibus inter Gallos et Hispanos oborta	221	Ducis probi munus	141
Et res 246. ad Messaniam cum classe & militibus 214. ad Namurtium 243. ad omnia fortiter, et splendide peragenda nat 213. ad quaestorum mensam tanquam ad tribunal vocatus Ferdinando rege committente 279. ad Valentiam, deinde Burgos ad regem accedit comitum caterua insignis 282. amplissima domo, certoque vestigali a Ferdinando donatur 213. a rege Ferdinando euocatus classis ad Malaccam parat 288. Biennium Loxae, et Granatae transigit 286. Brutiorum vrbes expulsis Gallis recipit 219. expiravit	Corcum Gallorum quaestor auaritia infamis 267. gradu pulsus ignominia notatur 269. Coronam Baiazetes capit	225	Dyrrachium a Turcis captum	225
Consulii opinio de rege tenacissimo	Corradus Porcarius quarta pecuniae parte accepta in Germaniam fugit	56	E	
Consulii & Ferdinandi nauigatio	Corignola antiquum togatae Galliae oppidum 105. nomen fortitur a cotonio pomo ibid. fortuito incendio absumpta priuata Sfortiae liberalitate luculenti in instaurata 143. Sfortiae dono data a Ioanne xxij. Pont. Max.	114	Eccliae suburbani montis munitiones a Prospero Columnio factae	218
Consulius donat vrbes & oppida ducibus Hispanis praefectis 170. duabus vrribus & septem castellis a Federico rege donat	Crater ex ingenti atque admirabili smaragdo a Piscario conseruatur escaria patinae modo excauatus	276-348	Eluira Erreria mater Magni Consalui	205
Consulius ducentas vrbes, & septingenta oppida Hispaniae regnis adiecit	creditores Consalui ad quaestoris mensam citati	281	Emissarium nauigabile ab Abiato opp. ad Tucinum quis fecit	8
Consulius inauspicato Imperator electus 289. indignabundus 276. in Hispaniam ad regem Ferdinandum	Cremona Benzones sibi vendicant	91	epulum lauti conuiuij a Mendocio	244
Consulius ingentia dona in cucullatos	Cremona a Gabrino Fudulio occupata ib. a Iacobo Caualcaboue erepta 43. datur Actio Vicecomiti	60	Equites Compostellani bello paceque purpurea cruce signantur	280
Consulius ad Messanam, atque inde Zacynthum nauigatio	Cremona obfessa ab Hispanis 342. recepta a Venetis	303	Equites cristati atque bardati	112
Consulius in reginam officium	Cremonae arx a Piscario circūuallata 421. Liuiano dedita	305	Equites diui Georgij sub Alberico Balbiano merentes	108
Consulius inuidiam vitare non potuit 271. in uita discrimine 232. princeps acclamatione appellatur 206. Magni cognomen partum tuebatur 281. Maximi cognomeno dignus 282. Nauarrae regnum Hispano imperio adiecit 295. nihil impium aut absurdum fecit 271. non obscura diuinatione praevindit Gallos a regno Neapolitano expellendos 229. nunquam captus nec vulneratus 271. occurrit Ferdinando regi eiusque trirremem ingreditur 278. Palatium ad Rubos obfideat	Cremonam Galli dedunt Hispanis 343. obtinet Ioannes Bohemus	60	Equites XXV. turmam conficiebant	11
Consulius morbus grauis	Cremonenses Bergomates & Brixiani se dedunt	303	Equum qualem vitandum esse Sfortia Franciscio filio praedicebat	143
Consulius perurbane a Ferdinando laudatus 282. priuatum dolore publica letitia lenire nequibat 290. pro amplissimo munere grauisimum odium a rege retulit 282. Quaestores regios qua arte elusit 279. quibus vrribus a regibus donatus 280. rationem dati et accepti reddidit quaestoribus rege praesente 279. secundam aduersamque fortunam vno tenore metiebat	Crescentiacum coenobium	40	Equitatus longe ornatisissimus	171
Consulius largitio in speculatores	Criffium a Turcis captum	225	Errera Memorantium Gallum ducem capit	403
Consaluo soluente, matronae non sine lachrymis felicem precabatur nauigationem	Crypta Paulilippi montis	218	Exercitus Veneti ignominiosa et turpis summa	315
Mediceis conatus in patriam redeundi
bus improspere cecidit ibid.
Mediolanense imperium Maximiliano
Sfortiæ restitutum 51
Mediolanensis pseudosynodus 48
Mediolanum à Gallis captum duce Fræ-
cisio rege 68. 153
Melphia vrbs à Gallis capta et dire-
pta 171
Metmnenses audacter resistunt ne Fon-
secatorum a educat 106
Mirandula à Iulio II expugnata 32
Morgantus Fabulosus heros à poeta
Aloisio Pulcio Hetrusco carmine
decantatus 4
Mottinus Helueticorum dux et eius o-
ratio 60
Mumina capta à Iulij II copijs 31
- N
- Natura populorum à Iouio rectè
descripta 128
Natura mortalium quib. afficiatur 94
Nauarra regnum ad Cæsarem 109
Neapolim obsident Galli duce Lotre-
chio 171
Neapolis capta ab Hispanis 136
Neapolitani grauiora incommoda ab
Hispanis et Germanis, quàm à Gal-
lis acceperunt 380
Neapolitanum regnum diuisum inter
Gallos, et Hispanos 27
- Nicolaus

I N D E X.

Nicolaus Soderinus conspirans in Petrum Medicem	3	diceis	53	Pius III Pontifex Max.	157
Nicolaus Vitellius Tiferno eiectus à Xysto	7	Paulus Vitellius Catellinam portam clausit contra Mediceos	20	Pogium oppidum in Senensi via erectum à Laurentio	13
Notæ arbitraria intra Comitia Iulio Cardinali date	112	pro Florentinis contra Mediceos à Florentinis occisus	23	Pompeius Columna cardinalis epulum cunctis Italie principum legatis dedit 127. Reatinus Episcopus contra Iulium Secundum 47. ad præfecturam Gallie Togata à Iulio electus 140. ad Carolum à Maximiliano missus 146. ad superiorem Germaniam accedit 147. arcem Sancti Angeli expugnare volebat, Clementem cepere, Pontificatu deponere 158. à Leone X. Cardinalis creatur 147. cum Iulio Medice in gratiam rediit 146	157
Nouum Gallorum iter in Italiam à Triuultio inuentum	66	Pax inter Casarem & Clementem Pöpeio reluctante confecta	162	Pompeius Columna Fundano agro ad Pallianum tormenta adducit 164. humanitate vicini turpissimum existimabat 149. in Comitij contra Iulium Medicem 148. Maximiliano imperatori 146. podagram simulans, in Tusculanum se recepit 155. pristinae dignitati restitutus 144. pro Prospero patruo Legatus ad Casarem 146. Senatu motus, & hostis à Clemente iudicatus, aqua et igni interdictus 157. triplicato saltu ceteros superat Rege spectante	137
Numidicos equos domi alebat Laurentius Medices	3	inter Columnios & Vrsinos	134	Pompeius in Nemorensem villam, hostis Iulio futurus	141
Nurumbergæ cõuentus in Germania	120	inter Gallos & Britannos	64	Pompeius Columna Cardinalis captus vestit, aluit 166. à Clemente benigne susceptus 67. ad Neapolim belli consilia pertractat 170. Camillum & Martium fratrum filios ad Casarem in Germaniam mittit 175. Casaris literas pro Clementis libertate interpret. abatur contra ac Aurantius & Alarcon 169. Clementis villam sub monte Mario incendi iussit 167. Isabellam Villamarinam carnibus decantauit 275. sacerdotio à Casare ditatus 173. Marcum Antonium patruum à morte liberat 172. obsides à Clemente datos suscepit 69. permittit vt obsides fugerent ibid. superiora domus suæ coenacula mulieribus, ac virginibus complcuit	167
O		Pestilentia ualde atrox in Florentina ciuitate	8	Pompeij à Iulio candidato dissensio familiaris pestilentia correpti laus, benignitas, & liberalitas	166. 167.
Octavianus Fregosius Genuam intrat	61	Petrasanta oppidum in Lucensi agro	11 & 12	Pompeij in urbem aduentus 166. iniustitia administranda rigiditas, & misericordia	174.
Odetus cognomẽo Lotrechius in præsidio concilij Pisani 34. Gallorum imperator	73	Petrucius Cardinalis captus	76	Pompeij et Clementis VII. lachrymæ in regno Neapolitano præfectura	174. natura flexibilis pro gloria 67.
Oluerius Caraffa inter senatores maxime illustris	15	Petrus Marganus ad Pompeium à Iulio defecit	47	Pompeij Columnæ obitus 175. eius opera Clemens libertati pristinae restitutus 169. virtus, ingenium &	
Ogicy mortis Leoni oblatum ab Archiepiscopo	93	Petrus Medices Cosmi Magni filius seuissimis articulorum doloribus hebetior factus	ibidem		
Optimi principis cognomen, augustius quam Maximi	102	Petrus Medices Lau. filius à Regijs numciji questus	27		
Oratio Antonij Montani et Thomæ Caietani Cardinalium ad Medicem, & eius ad ipsos responsio	111	arces Sergiani, Petre sanctæ, Pissarum atq; Liburni Gallorum regi tradit	15		
Oratio ad Moncatam 158. Fabricij ad Cõsaluum	137	Ioannem fratrem captum liberat	24		
Oratio ad Corduba ad Pompeium Columnam	151.	uirtute & fortuna patri dissimilis	15		
Oratio ad Senatum 78. Ludouici à Corduba ad Pompeium Columnam	151.	Petri Medicei obitus	27. 28		
Oratio ad Helueticos pugnatores ad Nouariam 60. Philippi Villadami, ad suos pro Rhodo dedenda	122	Petri Medicei obitus	27. 28		
Oratio ad Hadrianum 150. ad Iulium eiusq; responsio	153.	Petrus Nauarrus arcium & turrium euersor 36. cum pedibus ad Rauennam 43. ex gregario milite dux summus 33. Raimundo Cardonio adiungitur ibid captiuus Mediolanum ducitur	47		
Oratio ad Clementem 154		Petri Nauarri captiui mors in carcere	172		
Othobonus Eliscus Genua discedit	61	Petrus Paulus Boscolus in Mediceos cõspirat	55		
P		Petrus Soderinus ad Ludouicum Gallorum regem	26.		
Padilia Casaris rebellis captus	108	Gallorum amicitia sustentatur 34. perpetuus Florentie dictator 27. post decimum dictaturæ annum è Florentia Rhagusiũ delatus	55		
Padulius & Piscarius capti à Gallis	45	Philibertus centum quinquaginta millibus aureorum stetit Leoni X. mortuo Iuliano viro, ad Ludouicam sorore in vltiore Galliam tendit ib.			
Palicia Gallorum dux captus 135. post Foisseium interfectum Gallorũ dux 49. tertie Gallorum aciei præfectus ad Rauennam	44	Philippus Austria Ferdinandum Regem socerum contemnebat	102		
Pandulphus Petruccius Senensium tyrannus	26	Philippi mors apud Burgos	101		
Parma & Placentia in ciuium libertate relicta à Leone	69	Philippus Villadamus milicie Rhodiæ magister	122		
Parma oppugnatur ab Hispanis, & Mantuanis, & Pontificijs, quæ à Lescuto & Bozolo proteguntur	90	Pisani à Venetis contra Florentinos defensi 21. à Venetis derelicti	23		
Pasquillus in Tyberim præcipitandus vel cremandus	125	Pisanum Gymnasium à Laurentio erectum	13		
Paulus Balconus Perusie princeps 261 capitali affectu supplicio à Leone	83	Piscarius à Lanoio elusus 154. nudata simulatione Moronum caput, Franciscum Spõrtiam obsedit	ibid.		
Paulus Victorius pro reducendis Me-		Piscarij virtute Mediolanum Casarianis se dedit	93		
		Piscario regnum Neapolitanum oblatum			

I N D E X

T esserâ prolatâ arbitrarijs notis Leonis X. mortem detegit 76	omnibus oppidis Apuliæ cessere 173.	fit 18
Theodoricus Hecus à secretioribus epistolis Hadriani 119	quare foedus cum Gallis percutiunt 38	Neapoli extinctus 19
Theodorus Triuulcius Venetorum Imp. captus 93	quare Gallos in Italiam euocari 65.	Vismhardus cum Rainaldo Ioannè Medicensi, è Gallorum manibus eripit 50
Thome Caietani oratio ad Iulium Medicem, & eius responsio 112	vnus horæ momento pessundati 30	Vitellius Tifernas contra Feltrium 74
Ticinum à Gallis desicit 50	Venetis Cremonam pollicentur Galli 59	Tifernum recuperat 10
Tifernum à Vitellijs recuperatur 10	Venetorum copie contuse ibid.	Vitellios è Tiferno expellere cupiebat • Xistus III. Pont. Max. 4
Toccinus Sannio Hadriani 128	Vercellius circumforaneus chirurgus in Leonem X. cõspirat 76. captim disceptus forcipam morsibus in frustra secatur 79	Vitellocius contra Florentinos 261. priuata cupiditati studens, è Florentinis finibus discessit 27
Tordesilla capta & direpta 153. olim Segisama Iulia ib.	Verona ad Venetos Gallis auxiliantibus cessit 73	Volaterrani à Florentinis descere 4
Tornacum à Britannis et Germanis obsessum 62	Vespasianus Columna Prosperi filius 156	Vormaciæ ad Rhenum ripam à Carolo V. indicitur concilium 89
Torronius Gallorum dux captus 109	Vestidellus Bastiæ præfectus à Petro Nauarro interficitur 38	Vrbina à Triuulcio profligatus 139
Traiano Imperatore nemo melior 86	Vetula Clemèti in arcem obfesso lactucas deferens suspensa 166	Vrbino potitur Franciscus Feltrius foemina & senibus opem ferentibus 73
Triuulcius Gallorũ dux in Italiam 137	Vgo Moncata Neapolitanus prorex 170. ad Clementem 158. cum Columnijs proceribus Leoninam portam Vaticanum diripiunt, D. Petri templum spoliant ibid. cur Clementem liberant 159. subtili calliditate versutus 170. successit Lanoio pestilentia absumpto ibid.	Vrbino potitur Laurentius Medices 71
Triuulcius Carolo Ambrosio surrogatur summus imperator 33	Vgonis Moncatae res cum Clemète pro Cesare compositæ 159	Vrsini cum Casare Borgia milucentes 24. necati, Vitellocius, Paulus, Baptista, & Rainaldus Vrsini, ac Franciscus Grauma, Liberoctus Firmanus, & Aloisius Luianus 20. subagresti negligentia certa scriptorum luce caruerunt 145
Tuedus amnis inter Britanos & Scotos 62	Vianesius Abergatus in Hispaniam à Leone missus, & cur 115	X
Turcæ Pannoniam citeriorem inuaserrunt 118	Vicancellarij dignitas in curia Romana 28	X istus III. Pont. Max. bonis malisq; artibus imbutus 4. Florentinos sacris interdictis Hieronymũ Riarium ex sorore nepotem principatus vrbium, ac amplissimus fortunis honestare cupiebat 4. interijt, cui successit Innocentius VIII. ij. Vitellos Tiferno expellere cupiebat, et Imolam venalem emere 4
Turris quæ dicitur Magnanini nõ procul ab Athesi 40	Vicentius Gallus, cui à terribili audacia, Magni Diaboli cognomen erat 37	Xistu, Ferdmandiq; Aragonij consilium de mittendo exercitu in Etruriam 18
V	Victoria Columnæ Pompeij, Gentilis excelsa ingenij virtus 175	simultas cum Mediceis 4
V aldemontius Gallorũ dux ad Neapolim pestilentia interijt 172	Victoria Vellica Cantabriæ ciuitas 113	Z
regia stirpe Gallus, à Clemente in Italiam euocatur 160	Videfrustius Mutina eiectus à Leone X. 57	Z Amora olim Sarabris 168
Vaprium ab Hispanis captum 92	Viginti milia hominum ad Rauennam caesa 46	Zibichius è Fabriano oppido laqueo suspensus 83
Vascones ad Feltrium transfugiunt 79	Virginus Vrsinus captiuus 7. cum Petro Medice ad Rapolanas aquas penetrauit ibid.	Zucharus Heduus Belgarum dux pro Feltrio Vrbini duce restituendo 74
Vaticanae domus ornamenta 87	Viderelictis Mediceis ad Gallos tran-	
Veneti à Iulio subleuati, atq; expiati 30.		
aduerso Gallorum bello conterriti ibid. Brixiam obtinent Aloisij Aducati ope 38. duce Liuiano caesi ab Hispanis 63. Cremonam obtinent 60. cum Fregosijs contra Gallos 32		
Veneti et Medicei contra Paulum Vitellium 23. Laude pompeia potiti 155. Mediceos in societatem recipiunt 22		
Veneti milites ad Ferrariæ ciuitatis moenia 10		
Veneti noui homines ex paludibus 11.		

F I N I S.

Qq

I N D E X
 REGIONVM, CIVITATVM, FLVVIORVM,
 ET PORTVVM QVÆ IN HOC PRIMO
 Tomo reperiuntur.

Antiqua

Acherus fluuius
 Acrites
 Afinaria porta Romæ
 Aternus amnis
 Aurelia via
 Bacchilio fluuius
 Balneum regium
 Bebriacum
 Bondincus
 Buxentum hodie Bucca, Capaccium
 Calatana
 Campania
 Capua vetus
 Casinum
 Ecana
 Fronto fluuius
 Formiana villa Cic.
 Gabellus amnis
 Gerionis castellum
 Iuuentus Egnatia
 Laus fluuius
 Licini forum
 Lupiæ
 Megaris
 Mantua Carpentanorum
 Magna Leptis
 Medoacus
 Moguntiacum
 Nertho
 Nestoris Pylus
 Petrinum
 Præcutina regio
 Pestum
 Pythacufæ
 Rudia
 Sphragia insula
 Scultena
 Scriuia
 Sipontus
 Stellates campi
 Terina
 Tugifonus fluuius
 Ticinum
 Velia
 Vitis fluuius
 Vasbaria

NOVA

Campanianus pag. 219:220
 Galli caput 225
 Laterana porta 178
 Piscaria 297
 Marittima 51
 Tigifonus 316
 Feroniæ Lucus 121
 Bina 323
 Bondenus 185
 Polycastum 258
 Sanctus Petrus 247
 Leboria terra 217
 Burgum S. Mariæ 122
 Sanctus Germanus 258
 Fogia 247
 Fortor 239
 Castello 258
 Seggia 163
 Cerignola 241
 Iuuenatium 237
 Lainus 235
 Incini plebs 23
 Leccium oppidum 249
 Ouarx 257
 Madritum 414
 Tripolis 288
 Brenta fluuius 308
 Modoetia 40
 Nardoum oppidum 248
 Iuncum 125
 Mons Draconis 263
 Aprutina regio 235
 Capaccium 258
 Iscla 358
 Rhodeiæ 247
 Sapientia 68
 Panarus 163
 Rarus fluuius 306
 Manfredonia 230
 Mazzonij campi 263
 Terranoua 215
 Bacchilio 311
 Bucca 238
 Aquadussa 175
 Oranum 287

I N S E C V N D O V O L V M I N E

Antiqua

Augusta Battienorum
 Crypta
 Egurrorum forum
 Eliopolis
 Iuliobriga
 Lucij Luculli villa
 Sarabris
 Segifama Iulia
 Vitis fluuius

NOVA


Bâs iniana 49
 Tusculana villa Cic. 139
 Riuosiccum 107
 Damiate 132
 Grunium 109
 Frascatum 137
 Zamora 108
 Tordefilla 107
 Roncus 43

F I N I S.

PAVLI IOVII EPISCOPI NVCERINI RERVM TVRCICA- RVM COMMENTARIVS AD INVICTIS-

SIMVM CÆSAREM CAROLVM V. IM-
PERATOREM AVGVSTVM.

Ex Italico Latinus factus.



VANDO QUIDEM omnibus notissimum est, inuictissimie Cæsar, te pro tua singulari religione atque animi magnitudine, nihil aliud nunc magis, quam bellum in Turcas meditari (quod quidem nobis ut ob eorum prosperitatem atque audaciam necessarium, ita omnium iudicio etiam gloriosum fuerit) volui, ut æmularer illos qui te armis, nauibus, equis et thesauris adiuuabunt, quum ego nihil aliud præstare possem, saltem tibi peculiarem atq; apertam militiæ, potentiæ, ac victoriarum, quibus ipsi Turcæ potiti sunt, cognitionem præbere: ac simul viam breuiter fideliterque ostendere, qua hæc fera natio ad tantam imperij magnitudinem tanto cum honore militari ex arte parto perueniret: ut à duce ac militiæ magistris certa remedia contra eorum et vires & artes inueniri facile possint: & Christiani milites exemplis rerum præteritarum instructi, meliorem & commodiorem bellicandæ disciplinam percipiant, quo tandem eos ipsos Turcas debellare queant. Quod quidem tibi non erit admodum difficile, qui post infinitas victorias pacem adeo magnificè, neque sine gratia Dei, omnibus ac priuatim defesse iam Italiæ donaueris, atque animum Christianissimæ regis Francisci felicibus sororis nuptijs tibi a deo deuinxeris, ut is cum ob propriam virtutem, tum verò ob titulum quem gerit, non possit voluntate, consilio ac viribus tibi non esse coniunctissimus, quemadmodum etiam de alijs principibus Christianis spes est futurum, præsertim quum beatissimus pater Papa Clemens religiosa quadam promptitudine ipsos inuitet: qui quidem Clemens votis omnibus non solum res sacras & non sacras, verum etiam mentem ac corpus ipsum huic sanctissimæ provinciæ dicauit. Et quoniam apud te laudem eloquentiæ minimè quærere, sed tantum fidelem & Christianum animum hæc in re mihi ostendere propositum est, tædiosa proœmia, & Tusci sermonis ornamenta, tanquam res superfluas prætermittam, atque uti verba ipsa commodius excipiantur, simpliciore, atque vniuersæ Italiæ communiore lingua utar, quo substantiam rerum absque temporis circa verborum vanitatem amissione, percipere facilius possis. Neque mireris optime Cæsar, si ego ipse homo demissæ ad talum togæ, sacrisque initiatus, qui nunquam limites Italiæ transierim, de rebus militaribus ac de longinquis regionibus loqui audeam. Tibi enim persuadeas velim, me diutina præcipuaque diligentia, auxilio summorum principum, relatione excellentium ducum, militum, oratorum, ac denique cuiuscunque conditionis hominum usum esse, ut veram mihi notitiam rerum in nostris Latinis Chronicis descriptarum pararem.

Quæ quidem Chronica, quod in Dei laudem, atque in tuam tuorumque aorum, perpetuamq; gloriam cedat, breui in publicum e-
dere constituimus. Vale.

Datum Romæ vndecimo Calendas Februarij.

M. D. XXXI.

177
DE REBUS ET VITIS
IMPERATORVM TURCARVM
VSQVE AD SOLYMANVM
SECVNDVM.

Solymanus I.



TURCARVM natio à Scythis, quos nunc Tartaros vocamus, qui solitudines ultra Caspium mare circa Volgam fluvium inhabitant, originē dubio procul ducit: id quod ex ipsorum moribus, ex facie, ex vsu sagittarum, ex bellandi consuetudine, ex superba deniq; loquendi forma, Scythicæ simili, facileprehenditur. Anni sunt plus quam sexcenti, quod ñ in Asiam minorem, quam Natoliam appellamus, peruenerunt, quo in loco prædæ ac bellis continue

tinuè incumbētes, quàm plurima loca munita paulatim subiugarunt, adeo vt populis illis qui non admodum exactè arma exercere nouerant, magno terro-
 ri essent. Neque tamen principem aliquem vnquam habuerunt, sed veluti A-
 phricæ Alarbes, quos vocant, diuisi per turmas, regionem illam amplissimam
 tyrannico imperio possidebant. Cæterum sub Magnifici ducis Gothifredi Bo-
 lionij aduentum, qui vt Terram sanctam acquireret, cum trecētis milibus pe-
 ditum atque equitum centum milibus transierat mare, vires in vnum contra-
 xerunt: ac sub regimine Solymani cuiusdam excellentissimi ducis prope ciui-
 tatem Nicæam Christianos aggressi, maximis nostrorum laboribus ac pugna
 non incruenta, fusi tandem fugatique sunt. Post hunc Solymanum Turcæ per
 plures annos nullum ducem, cuius extet memoria, præcipuum habuere. Ve-
 rum circa annum a Christo nato MCCC. Ottomannus quidam filius Zichi,
 qui tenuis conditionis homo fuit, nomen, vires, ac dignitatem inter Turcas
 habere cepit. Atque is extitit, qui Turcarum Imperatoribus nimirum hīs, qui
 per masculorum rectam lineam descendunt, nomen familiæ dedit. Is, in-
 quam, magnum ingenium cum viribus corporis coniunctum, ac fortunam
 mirum in modum fauentem habuit. Plurima loca munita Pontico mari ad-
 iacentia, in deditiōnem accepit. Sed egregias suas victorias maximo opere nobi-
 lilitauit debellata Sina ciuitate pulcherrima, quæ antiquitus Sebastia
 dicebatur. Regnauit annis viginti octo: defunctusq; est salutis
 nostræ anno MCCCXXVII sub Pontificatu
 Papæ Benedicti XI.

Ottomannus, non Solymanus I. scribi debuit in titulo.

Qq 3

Orcannes.



Vcessit Orcannes, qui paternis virtutibus immensam animi magnitudinem, ac subtiliorem in acquirendis finitimis regionibus artem adiunxit. Liberalitatem erga milites pro comite perpetuo habuit: qua virtute nullam viuidiorem princeps aliquis habere potest, vt magnus atque adeo immortalis cito efficiatur. Copiosus ac ingeniosus in militari apparatu, nec non in nouis bellicis machinis inueniendis fuit. Primus extitit qui familiam illustriorem fecit, accepta in vxorem filia regis Caramaniae, quae à veteribus Cilicia dicta est. Is arma in Michaëlem Paleologum Constantinopolitanum Imperatorem mouit. Denique Bursiam ciuitatem egregiam (hæc Prusa vetusta sedes regum Bithyniae fuit) expugnauit. Tandem ex vulnere in ea ipsa expugnatione accepto, quanquam leue videretur, occubuit, atque Amurathi filio victoriam fruendam reliquit. Imperauit annis duobus & viginti, ac mortem obiit, quo tempore Papatui præerat Clemens VI,

AMV.

Amurathes I.



Murathes ambitiosus, simulator, infidelis, & quod ad corpus attinet, inualidus, sed astutus ac vigilans, semperque ad quamlibet occasionem, que imperium dilatare possit, paratus extitit. Nec illi fortuna quod optabat negavit. Nam quum pacem cum Imperatore Constantinopolitano inisset, discordia inter Græcie principes atque ipsum Imperatorem exorta est. Marcus vero Craiouichius Bulgariae dominus principibus fauebat: quam ob rem Imperator ab Amurathe tanquam ab amico viciniore auxilium petere coactus est. Amurathes autem liberaliter Imperatori adfuit. Nam duodecim milia electorum Turcarum illico in Græciam misit: quibus adiutus Imperator Marcum ipsum ac cæteros rebelles fudit fugauitque. Porro finito bello, septem Turcarum millia in Asiam remisit: quod reliquum fuit, præsidij loco sibi ser

uauit, atque Amurathi gratias egit pro huiusmodi beneficio: quod tamen origo ruinae Constantinopolitani Imperij, ac principium nostrorum vulnerum fuit. Etenim Amurathes quum ex militibus, qui in patriam redirent, accepisset, Græciam pulcherrimam esse prouinciam, & pessimè inter Græcos principes conuenire, illico traicere destinauit, vt Imperatoris inimicos persequeretur. is illi traicendi prætextus fuit. Angustias igitur Helleponticas anno Christianæ salutis MCCCLXIII transiuit, duabus Genuensibus nauibus in eam operam conductis: quarum altera Interiana, altera verò Sequarciasica vocabatur: quæ pro sexaginta Turcarum millibus traiectis, totidem numos aureos acceperunt. Turcæ autem quum in Græciam peruenissent, totam regionem excursionibus bellicis infestarunt, Gallipolimque ac vicina Helleponto oppida expugnarunt, atque ibidem naues ad pedites equitesque ex Asia in Græciam traicendos construxere: quibus postmodum nauibus Turca exercitum continuè augens, atque omnia tanquam inimicorum Imperatoris debellans, tandem Philippopolim & Adrianopolim ciuitatem magnificam cepit. Inde in Seruiam profectus maximum ei prouinciæ terrorem incussit. Quapropter Lazarus Seruiæ Despota, & Marcus Bulgarie dominus, ac nonnulli principes Albanie simul coniuncti, vires in vnum contulerunt, vt Turcis resisterent. Quumque in prælium descendissent, Christiani ferè omnes trucidati sunt. Despota verò captiuus quidem factus, sed tamen & ipse paulò post interfectus est. Cæterum seruus quidam natione Seruianus, Despotæ proprii domini mortem egrè ferens, eamque summopere vindicare desiderans, egregij viri nomen spreta morte post se relinquere decreuit, sicque nactus occasionem, pugione Amurathem interfecit. Imperio præfuit Amurathes annis XXIII. Perijt anno post Christum natum
MCCCLXXIII, sub Gregorio XI
Pontifice Romano.

B A I A

Baiazetes I.



Reliquit Amurathes duos filios, Solymanum & Baiazetem. Verum hic ne imperij æmulum haberet, Solymanum interficiendum curavit, ac statim contra Marcum Bulgariae principem, patris mortem vindicaturus, magnum comparavit exercitum: profectusque ad locum ubi prius pater fuerat interfectus, Marcum ipsum cum omni Bulgarorum ac Servianorum nobilitate in pugna trucidavit: ac post eam victoriam omnibus fere Bulgariae civitatibus, et munitis locis potitus est. Neque ita multo post, nempe anno a restituta salute MCCCLXXVI, per Bafianam transiens, crudelissimas in Vngaria, Albania & Valachia excursions fecit, Christianosque quamplurimos in Thraciam captivos duxit. Enimvero prudentia singulari, maximoque cum animi tum corporis vigore præditus fuit: sed super omnia solers in providendis, ac patiens in expectandis

rerum occasionibus extitit. Verum in negocijs exequendis tanta celeritate vtebatur, vt Baiazetes Hildrin, id est, celi fulgur cognominaretur. Is igitur naturæ dotibus adiutus, totam ferè Græciam subegit. Porro tandem etiam Constantinopolim obsidione cinxit. Quam ob causam infelix Impetator, vt à Christianis principibus Occidentis auxilium peteret, in Galliam nauigare coactus est. Galliæ regnum Carolus eius nominis septimus tunc temporis administrabat. Is veluti pietatem cum magnanimitate coniunctam haberet, Ioannem Niuernensem Comitem, Ducis Burgundiæ filium, proprium fratrem, iuuenem alioqui audacem, cum ipso Imperatore misit, què præcipui Galliarum principes, nimirum Guido Tremoliæ dominus, Philippus Artesiorum Comes, Ioannes Viennæ dominus, Comes de Cuci, Comes de Diu, atq; alij complures comitati sunt: ac secum mille cataphractos vnà cū leuis armaturæ aptis equitibus conduxere. Quumque in Vngariam peruenissent, Sigismundo regi, qui postea imperator extitit, se coniunxerunt: ac demum simul omnes itinere per Seruiam Despota fauente arrepto, post leuiculas aliquot inter eundem adeptas victorias, Nicopolim peruenerunt: atque ipsam urbem oppugnare quidem cœperunt, sed Turcis eam egregiè defendentibus, laborem omnem frustra consumpsere. Interea vero Baiazetes temporis spacium, quo vires suas in vnum colligeret nactus, innumerabilem equitum multitudinem contra Christianos adduxit. Porro Galli in anteriori exercitus parte constituti, quum maximam stragem palantium Turcarum, qui exploratum venerant, effecissent: neque munitionibus, neq; protestationibus (ne videlicet sine Vngaris, Germanis ac Seruianis equitibus in hostem impetum facerent) audaciores quàm sapientiores cōtineri poterunt, quin fugientes persequerentur, præsertim quum nonnulli ex ducibus iam dictis, malignitate Sigismundi, qui Gallis primum honorem inuideret, huiusmodi protestationes fieri affirmarent. Vnde comes de Diu, atque alij ferè omnes principes, Viennensem dominum vexilliferum per vim in hostes impulerunt, sicque tubis classicum canentibus, in densissimam turmam constipati, Turcas inuasere, adeoque multos in primo congressu occiderunt, vt victoriæ acclamare iam inciperent. Verum ea lætitiæ breuis admodum extitit. Nam Baiazetes vnà cum sexaginta milibus equitum in lunarem formam recens e ductorum adueniens, ipsos circundedit, ac medios, antequam Sigismundus auxilium ferre posset, inclusit. Atque in hunc modum Galli temeritatis suæ poenas pendentes, ferè omnes, licet se viriliter tuerentur, interfecti sunt. id quod reliquo exercitui tantum terroris incussit, vt absque pugna turpiter ac fœdè milites omnes aufugerint. Sigismundus vero ac magnus Rhodi magister nauicula Danubium ingressi vix euadere potuerunt, Turcis à fluuij ripa sagittis eos continuè impetentibus. Enimvero ex Gallis trecenti equites seruati sunt, in quos ob diuitem vestium ornatum, avara crudelitas Turcarum, quo præcium redemptionis extorqueret, haud sæuierat. Porro Baiazetes Niuernensem Comitem, qui ferè nudus erat, iussit ad se adduci, habitaque & ætatis, & regni sanguinis, ex quo is exortus erat, ratione, non tantum ipsum in vita seruauit, sed insuper facultatem cōcessit, vt ad releuandum captiuitatis mœrorem, quinque ex suis quos vellent socios deligeret. Is autem superius nominatos duces sibi dari postulans, ipsos à morte liberauit, excepto

Vien

Viennæ principe, qui in prælio defunctus erat. Vbi verò selecti duces ad Comitem deducti fuere, Baiazetes ceteros omnes ad vnum trucidari turbato vultu imperauit. Verùm Comes quum inter eos, qui interficiebantur, Buccicaldum Gallix Marefchalcum (vt vocant) hominem Gigantex staturæ cognouisset, supplex ac lachrymans eum quoque sibi donari obnixè Baiazetem orauit, id quod Baiazetes humanissimè concessit. Alij autem omnes ante oculos sex horum superstitem crudelissimè necati sunt. Quod verò ad Marefchalcū attinet, is Buccicaldus ille est, qui postea Genuæ gubernator extitit, atque ibi Gabrielem Vicecomitem Pisarum principem decapitauit: quiq; cum Galeacio Gonzaga homine paruulo singulare certamen inijt ac superatus est, seque ob id ipsum voto obstrinxit arma non amplius induturum. Sed vt ad rem redeam Niuernensis Comes vnâ cum cæteris captiuis Prusam deductus est, quo in loco per aliquod temporis spacium haud dignè satis pro conditione est habitus. Verùm constituto tandem omnibus redemptionis precio, liberius aliquanto ac commodius viuere illis permissum est. Nam & id Baiazetes liberaliter concessit, vt omnis generis venationibus vterentur. Postremò ducentorum milium aureorum precio simul omnes redempti sunt, quam pecuniarū summam Iacobus Mithyleneus princeps soluit. Ceterum Frossartes Gallus historicus, qui captiuos, posteaquam in patriam sunt reuersi, allocutus est, literis mandauit, cornua exercitus Baiazetis in alæ curuaturam ad similitudinē nouæ lunæ sparsa, plus quam septem miliariorum spacium occupauisse, iudicatumque esse in eo exercitu plus quam trecenta hominum milia, ex omnibus orbis totius nationibus collecta extitisse: Christianos verò vix numerum octoginta milium attigisse, inter quos circiter viginti millia equitum erant. Incidit autem is conflictus in annum salutis humanæ MCCCXCV, quo die diuo Michaeli vigiliæ celebrabantur. Verumenimverò Baiazetes post huiusmodi victoriam ad Constantinopolitanam obsidionem reuersus, antiquas omnes Græcorum delicias, hortos nimirum atque ædificia extra urbem demolitus est, agrosq; ipsos quaquauersum incursionibus patebant, populabundus vastauit. Neque vlla profectò ratione Imperij caput illud seruari poterat, nisi Tamberlanes Zagataiæ orientalis Scythiæ regionis Parthiam ac Sogdianam versus, princeps in minorem Asiam peruenisset. Samarcanda ciuitas ad fluuiū Iaxartem constructa, Tamberlanis patria fuit: qui inde peditum atque equitum innumerabili multitudine secum ducta. Natoliam totā occupauit. Quā ob causam Baiazetes Cōstantinopoli relicta, exercitum nauibus Angorum deduxit, ac prope Stellam montem, vbi olim cum Mithridate Pompeius pugnauerat, cum Tamberlane conflixit, ac superatus est. Hunc igitur captum Tamberlanes catenis aureis ligauit, atque inferream caueam detrusum, per totam Asiam ac Syriam circumduxit, quousque tandem ipsi miseriarum finem mors attulit. In eo prælio, quod tempore Bonifacij Pape IX commissum est, plusquam ducenta hominum milia desiderata sunt.

Calebinus.



LX Angoriensi conflictu aliquot Baiazetis filij aufugerunt, atq; in Græcorum manus qui Hellespontum classe custodiebant, peruenere. Vnus autem ex his fauente fortuna euasit, atque Adrianopolim perductus est: isq; Cyriscelebes, non autem Calebinus vocabatur, quemadmodum Nicolaus Secundinus credit, qui Turcarum genealogiam Latino sermone conscriptam Pio Papæ dicit. Id quod in causa fuit, vt ferè omnes alij corrupta veri nominis pronuntiatione pro Cyriscelebe Calebinum dixerint. Hic igitur Cyriscelebes instauratis imperij viribus, aduentanti Sigismundo viriliter se opposuit. Etenim Sigismundus haud sustinendum ratus, vt Turcæ post tantam à Tamberlane acceptam cladem, vires resumerent, magnum sibi comparat exercitum, ac Salumbezenos campos occupauerat: id quod in annū CHRISTI MCCCX incidisse

incidisse constat. Ergo in ijs campis cum hoste congressus fugam facere coactus est, anno tertio decimo post eam pugnam, quam prius infeliciter cum Baiazete pugnaverat. Enimvero ipse rex non minus hic sibi fauente fortuna quã apud Nicopolim fauerat, è victorum manibus euasit. Animaduersum est in eo conflictu Sigismundi pedites antè sagittis fuisse confossos, quàm in phalangem dispositi cominus congredi cum hoste potuerint. Equites vero ad primum statim inuadentis hostis impetum terga vertisse. Porro Cyrisceles post hanc victoriam, Seruix Despotam bello lacessere, Imperatorisque Constantinopolitani fines deuastare incepit. Verùm infirmitate præuentus, in ipso ætatis suæ flore, sub Alexandri V. pontificatu vitam cum morte commutauit, quum plus minus sex annis imperium obtinuisset.

Mahometes I.



MX Cyriscelebe Orcannes & Mahometes filij super fuere. Sed enim quum Orcannes adhuc paruulus auxilio quorundam ducum assumere sibi imperium vellet, a Mose patruo interfectus est. Attamen

Rr

neque Moses diu est rerum potitus : quia Mahometes Orcannis frater tanquam patris legitimus successor, eo occiso, imperium arripuit. Is igitur Mahometes est, qui Valachis aspernum bellum intulit. Mox in Asiam profectus, loca omnia quæ Tamberlanes occupauerat, recepit, ac plurimos principes Turcicæ nationis ex Gallatia, ex Ponto, atque ex Cappadocia pulsos, funditus extirpauit. Imperatoria insignia ex Prusa in Græciam translata, Adrianopoli, quæ caput est Thraciæ, collocauit. Imperium quatuordecim administrauit annis, ac mortuus est anno domini MCCCXIX, Martino V. Romæ Pontificem agente. Ergo secundum hanc temporis supputationem, apparet hunc Mahometem, & non Cyrifcelebem propè Salumbezum Sigismundum fugasse. Verum veritas hac in re suum sibi locum inueniat.

Amurathes II.



Mahometi successit clarissimus Amurathes eius filius, qui expeditione in Seruiæ Despotam facta, Scopiam, Sophiam & Nouemontem occupauit, tresque ipsius Despotæ liberos captiuos duxit, è quibus duos

duos masculini sexus æreo instrumento ignito, lumine oculorum priuauit: tertiam sceminam, quia pulcherrima erat, in vxorem accepit. Hic primus omnium ordinem peditem, quos Ianizaros vocant, instituit: eosque ex Christianis, qui tamen CHRISTVM abnegauerant, elegit: quorum viribus & ipse, & qui ipsi succedere, ex innumeris ferè prælijs victores euaserunt, ac penè totum debellarunt Orientem. Verum de ijs suo loco dicetur. Amurathes non contentus Hungariam, Bosnam, Albaniam, Valachiam et Græciam excursionibus infestasse, Venetis quoque bellum inferre perseuerauit, quousq; illis Thesaloniam nobilem ciuitatem per vim ademit. mox Belgradum obsedit. Verum in oppidi fossis circiter decem hominum milibus amissis, cum dedecore inde discedere coactus est. Cæterum non ita multo post Ladislaus Poloniae atque Hungariæ rex magno exercitu comparato in Seruiam ac Bulgariam se contulit, atque in montis Hemi vallibus, cum Amurathis duce Carambeio viriliter confligit. Sed enim in eo prælio pedites Poloni cominus cum Turcis pugnantes, ac breuibus quibusdam contis equos suffodientes, integram victoriam, capto Carambeio reportarunt. Porro Ladislaus, anno eam victoriam proximè subsecuto, pacem cum Turca optimis conditionibus iniit, ac Carambeium precio quinquaginta milium ducatorum redemptum dimisit. Verum ea pax parum roboris apud Ladislaum obtinuit, propterea quòd is in gratiam Constantinopolitani Imperatoris, atque Eugenij Papæ, & Philippi Burgundiae ducis, ac Venetorum pactis non stetit. Veneti enim Hellespontum se occupaturos, atque Amurathi, qui ab Europæis ob pacem confectam nihil timens, in Asiam contra Caramaniam Regem transierat, reditum clausuros pollicebantur. Vnde Ladislaus gloria & vtilitate victoriæ recentis illectus, Varnam ad Euxinum sitam petiit, vt inde profectus eò vbi Christiana classis continebatur, suas copias cum maritimis coniungeret. Verum Amurathes, quum hoc audisset, neglecto Caramani regis exercitu, ac superatis septuaginta Christianorum triremibus, quæ summo conatu redeunti iter impedire nitebantur, per angustias Hellespontiacas reuersus est: ac mox celeritate maxima vsus, die septimo propè Varnam ciuitatem ab antiquis Dionysiopolim vocatam, cum octoginta milibus Turcarum sese hostibus ostendit. Porro Ioannes Huniades Matthiæ regis pater, summa militaris artis peritia sic disposuit Christianorum exercitum, vt latus vnum ad paludem quandam, alterum verò ad currus simul catenatos, terga autem ad montem conuersa milites haberent. Quumq; acriter diu pugnatum vtrinque esset, primi Turcarum ordines tandem in fugam conuersi sunt. Iamque victoria ad Christianos inclinare, atque Amurathes identidem fuga propriæ salutis consulere velle videbatur: quum duo Episcopi, nempe Varadinus et Strigonia fugientem hostem intempestiuus sequuti, commissa sibi loca deseruere, Turcicorum equitum turmæ aditum in nostrorum exercitum, per eum quem dereliquerant locum concesserunt: sicque effectum est, vt ingressi Turcæ sagittarum grandine pedites nostros suo ordine disturbarint. Huniades igitur suis tanto in discrimine constitutis opem ferre desiderans, resumendarum virium commoditatem Amurathi dedit. Ergo Amurathes tum huiusmodi occasione, tum verò exhortatione Gallij Bassæ animum recipiens, cum Ianizaris constitit, ac Ladislaum Regem infelicem, equites Portæ suis cataphractis impetentem non tantum sustinuit, verume-

riam arte quadam medium clausit: tandemque post acerrimam pugnam ex equo prolapsus una cum quamplurimis nobilibus Hungaris & Polonis interfecit. Hunniades autem corpus regis ex hostibus per vim extrahere conatus, in maximum vitæ discrimen incidit: nihilominus & ipse tandem cum alijs qui iam per montes & paludes ac sylvas inaccessas fugiebant, euasit. In ea fuga Iulianus Cæsarinus cardinalis Papæ legatus occisus est. Persuaseratis regi prius, ut cum Turcis percussa fœdera disrumperet: quando quidem nulla omnino sint vincula, quæ Christianos obstringant, ut infidelibus fidem seruare teneantur, sic ille aiebat. Cæterum Amurathes eo loci ubi pugnatum est, columnam victoriæ inscriptionem continentem erexit. Sed & ibidem in hanc usque diem ossium tumuli videntur, qui indices magnitudinis perpetratæ illic stragis sunt. Perpetrata autem est anno salutis humanæ MCCCXLIII, in mense Nouembri, eo qui diui Martini festo dicatus est die. Hanc pugnam paulo aliter Pius Papa descripsit, se nos potius Gallymachum sequimur, qui in sua Hungarica Historia pulcherrimo ordine, ac sine affectibus eam pingit. Porro Amurathes post illatam Hungaris tam fœdam stragem, ac post pacem cum Venetis antea bello diu laceratis initam, in Græcos conuersus Hexamilum Corinthi petijt, qui quidem locus murum in sex miliariorum spacium porrectum habet in ijs angustijs, quæ Aegeum mare Ioniumque determinant, ac Peloponnesum totam (hodie Moream vocant) adeo inclusit, ut eam veluti insulam efficiat. Huiusmodi igitur muro Amurathes expugnato ac demolito, Constantinopolitani Imperatoris fratrem, qui ea loca tutabatur, cum omni Græcorum exercitu fudit. Inde Peloponnesum vniuersam ferro igneque deuastans, incolarum partem interfecit, partim captiuam duxit. Sub hæc Velonæ portum è regione Hydruntii occupauit. Verum Enimvero quum post hæc omnia Scanderbechus Albaniam præfectus ab Amurathe, cui alias inservierat, defecisset, Amurathes ipse maximo exercitu, ac Mahomete etiam proprio filio secum ducto, Croiam venit, atque urbem ipsam diu machinis bellicis impetiuit. Verum quum eius capiendæ nulla facultas daretur, amouit quinem inde castra: sed tantum dolorem vel potius rabiem ex ea re contraxit, ut mala valetudine correptus, Adrianopoli demum è vita excesserit, Anno ab instaurata salute MCCCCL. in mense Nouembri, re-
gnauit annis XXXI tempore Nico-
lai Papæ v.

MAHO.

Mahomètes II.



Post Amurathis mortem, Mahometes eius filius aetate vigesimum primum agens, maximo militum favore Imperator saluatus, ut liberius imperio praesset, fratrem illico iussit occidi. Prosperrima Fortunae aura usus est, animoque ac ingenio, nec non gloriae cupiditate Magno Alexandro persimilis extitit, nihilominus crudelis admodum cum in bello, tum in Portae clausura fuit, adeo ut iuenculos etiam ac pueros, quos tamen libidinoso prosequeretur amore, vel minima de causa interficeret. Caeterum liberalem principem egit, praecipue vero virtute praeditos, ac fortes viros, sibi que ex animo inferuientes magnis muneribus donauit. Quamplurimi fuere qui existimarint, non magis hunc Mahometanae religioni, quam aut Christianae, aut Gentilium adhæsisse. Educatum quidem à matre Christiana Lazari Seruiae Despotae filia ab incunabulis

fuerat, Angelicamque salutationem, ac Dominicam precatiunculam ex ea didicerat: sed quum adoleuisset, Mahometanam sectam secutus, talem se exhibuit, vt neque in Christum, neque in Mahometem crediderit: hincque effectum est, vt promissa, nisi quatenus in suum commodum cederent, minime seruaret, atque in nullo scelere culpam aut peccatum constitueret, quo suis satisfacere desiderijs valeret. Excellentes in quauis arte viros summopere dilexit. Impensissimè curauit, vt victoriæ quibus ipse potitus fuerat, à doctis atque iudicio præditis hominibus conscriberentur: antiquorum vero historias continuo legere consueuerat. Ioannem Mariam Vicentinum Mustaphæ primogeniti sui seruum maximis excepit blanditijs, quod victoriam, quam ipse de Vsumcassano Persiæ rege reportarat, Turcico sermone, atque item Italico literis mandasset. id quicquid est, nos quoque legimus. Bellium Venetum pictorem, quem Constantinopolim, cum vt suam ipsius Imperatoris faciem ad viuâ effigiem, tum verò vt occidentalium hominum habitus depingeret, Venetijs euocarat, largis muneribus ditauit. Ad summâ plurimè virtutes bona fortuna comitate hunc ad Constantinop. imperiû perduxere. Etenim hoc ipsum imperiû, ne infirmis expeditionib. ac parum honoris in se continentib. occuparetur, statim aggressus, innumeris propemodum machinis æreis terra mariq; adhibitis, Constantinop. expugnauit in qua expugnatione Constantinopolit. ipse Imp. armatus ac pugnans occubuit. Illud autem notatu dignum, ac fatale ferè habetur, quod quemadmodû Constantinus Helenæ filius, primus Constantinopolitanus Imp. fuerat: sic et is qui post annos ab illo primo M C X X I vltimus extitit Constantinus Helenæ filius fuit. Urbis verò huius expugnatio, quarto Kalend. Iunias facta est, anno post Virgineum partum M C C C C L I I I. Post huiusmodi autem memorabilem victoriam Mahometes Græciæ ac Nætoliaë ciuitates omnes imperio Constantinopolitano subiectas habuit. Porro non ita multo post ducentis milibus Turcarum secum deductis, Belgradum inuasit: sed virtute Huniadis egregij ducis fusus, vulnere etiam accepto, machinas æneas relinquere coactus est, hac tantum in re aduersa fortuna vsus. Sub id tempus Romaniaë Bassam in Peloponnesum cum exercitu misit, qui Græcorum ac Venetorum copias bis ibidem cæcidit. Inter eos autem qui occisi sunt, hi præcipui duces extitere, Emanuel Boccalus, Michael Rallus, Ciccus Brandolinus, & Ioannes Tella vnâ cum Venetorum prouisore Barbadico, qui super eminentem Patrarum turrin palo suffixus est. Et huiusmodi quidem victorijs Turcæ per fraudem semper potiti sunt, Christianis veluti in nassam attractis, eorumque ordinibus deturbatis. Hexamili deinde murum iterum demoliti sunt. eundem enim ipsum murum post priorem illam destructionem, cuius Amurathes author fuerat, Veneti quindecim dierum spacio ex eisdem, quibus antea constabat, quadratis lapidibus instaurauerant, triginta milibus hominum, & eo amplius ei operi destinatis. Sub hæc, Turca Lemnum ac Mithylenem insulas cepit, incredibiliq; apparatu ponte supra Euripum constructo Nigropontem expugnauit, Christianis fœda strage affectis ob clasis Venetę Prouisoris inertiam: qui ventis etiam prosperis flantib. non ausus est pontem triremibus inuadere. His peractis, Turca Croiam ac Scuttarim ciuitates in Albania post longam obsidionem ac varias pugnas in ditionem accepit. Regnum præterea Bosing adortus, Iaizam urbem regiam expugnauit, ac

Stephano regi captiuo caput amputari iussit. Magnam Valachiae & Transyl-
 uaniae partem suo imperio subiecit. Capham Genuensium urbem in Euxini
 ora positam deuicit. Pirameto Caramaniae regi multas ciuitates per vim abstu-
 lit. Cum Vfuncassano Persiae rege bis acerrime confligit: semel prope Euphra-
 tem, ubi superatus decem militum milia vna cum Asmirathe Bassa Graeco ho-
 mine, olimq; Imp. Constantinopolitani consanguineo, amisit. Verum secundo
 prelio Vfuncassanus ac Perse fusi fugatiq; sunt, Zeinale Vfuncassani filio in-
 terfecto. Atq; haec victoria Turcis non nisi ob multitudinem gearum machina-
 rum insolitum auribus Persicorum equorum strepitum insonantium obtigit. Mox
 Turca ipse Trapezuntinum imperium occupauit, infelicemq; Imp. Dauidem no-
 mine, Christianum, Vfuncassani socerum occidit, ac totam illius stirpem crude-
 lissimè sustulit. Carinthiam ac Stiriam militaribus excursionibus infestauit. Tandem
 Homarbeiū Bolsinae Saniacū Genuensis cuiusdam filium, hominem alioqui egre-
 gium, ad Italiae ingressum misit. qui exercitui Veneto Gradi obuius factus sin-
 gularem victoriam nostro cum dedecore adeptus est: hoc nimirum ordine,
 mille equites, quos noctu Lisontium fluuium vadare iusserat, quadam in val-
 le occultè adeo collocauit, ut Veneti qui in vnum collecti, in fluminis ripa Tur-
 cis opposita castrametati fuerant, animaduertere non potuerint. Summo
 deinde mane alam equitum eundem fluuium tranare, ac nostros ad praelium
 audacter prouocare imperauit. Enimvero Hieronymus Nouellus Comes, &
 primus exercitus dux, in tres partes copias omnes Italico more distinxerat: fi-
 lium praefecerat primae, ipse per se praerat secundae, Iacobus vero Picininus,
 & Anastasius a Romandiola tertiam ductabant. Ducis igitur filius hostem vi-
 riliter suis cataphractis inuadens, plurimos trucidauit: effectumque est, ut re-
 liqui tanquam fusi, terga vertere coeperunt: ac iuuenis, qui ut corporis viribus
 ita animi audacia praeditus erat, diu sit fugientes insecutus etiam inuito patre,
 qui Turcarum insidias veritus tubarum clangore ac vexillis nonnullis in altum
 sublatis, ipsum subinde ut reuerteretur admonebat. Et reuera statim insidiae
 reiectae sunt. Nam vix iuuenis equum reflexerat, quum ecce Turcae conuersi,
 totam nostrorum equitum turmam circumdederunt, ac varijs modis impeti-
 tam prius dissipare, quam Comes filio suppetias ferre posset. Eodem tem-
 poris momento Turcae, qui in insidijs latitauerant, supra partem exercitus ex-
 tremam in montis decliuis apparere, barbaricisque vociferationibus e mon-
 te cum impetu descendentes, eam ipsam partem in fugam verterunt. Homar-
 beius autem vna cum reliquo exercitu Comitem inuasurus, flumen vadauit:
 sicq; tandem nostri omnes ad vnum ferè occisione occisi sunt. Comes vero non
 sine Turcarum strage, quum & Homarbeiū vulnerasset, occubuit. Idem ac-
 cidit Comitis filio: idem Anastasio: idem Badoario Prouisori. Nonnulli ta-
 men duces, quod pulcherrimis essent vestibus ornati in hoc tantum seruati
 sunt, ut redemptionis precium ab ipsis extorqueretur: atque ob id catenis vin-
 cti, ad Turcarum Imperatorem sunt deducti: inter quos Iacobus Picininus,
 filius clarissimi comitis Iacobi, qui in Neapolitana arce interfectus est, atque
 Antonius Caldora & Ioannes Clericata extiterunt. Haec Turcarum victoria
 totam Italiam terruit. Homarbeius autem igne ferroque regione deuasta-
 ta, cum infinito captiuorum numero ad suos reuersus est. Verum enim-
 vero hoc in conflictu est manifestè perspectum, Turcas arte magis ac

multitudine quàm viribus valere. Nam si Hieronymus Comes, legiones nostras inimicorum legionibus non in directum, sed per latum oppoluisset, ipse medius inter primam ac tertiam legiones ab utroque latere in similitudinem Romanorum cornuum sibi adherentes extitisset: sicque exercitu velut in vñ corpus redacto, Turcæ tam facile ipsum circumdare, ac penetrare haud potuissent, vt fecerunt: ac toties facturi sunt, quoties præpostero hoc ordine cum illis pugnabimus. Anno qui eam cladem secutus est, Turcæ viginti milibus militum in vnum collectis, eadem illa loca iterum petierunt. Sed Veneti Carolo Montone comite exercitus duce constituto, non temerè cum ijs amplius confixerant. Enimvero ex Ioanne Paulo Manfrone equitum præfecto, qui postea sub Papiæ mœnibus interfectus est, accepi, nostros semel tantum castra exiisse, cataphractis omnibus, quorum ipse primum se fuisse aiebat, in cunei formam, veruſto Romanorum more dispositis: Turcas vero qui eum cuneum impetissent, se ipsos lanceis infixisse, quas nostri ordine minimè derelicto in vnamquamque partem contra inimicos vertebant. Igitur quum Turcæ nihil contra nostros eo loci promouerent, in Germanos conuersi. Cadorum oppidulum, vbi transitus per Alpes in Germaniam est, occuparunt: atque innumeros inde captiuos abduxerunt. Tandem vero Mahometes cum Venetis pacem iniit, ac totius orbis imperio inhians, tres vno et eodem tempore expeditiones suscepit. Nam Mesithum Bassam Græcum genere ex Paleologorum familia Rhodum misit, qui tamen post multas ac cruentas quidem illas vrbes oppugnationes, cum suorum dedecore ac strage repulsus est: Acomathem vero Bassam Hydruntem Apuliæ oppidum petere iussit: Ipse autem per se Syriam petiturus, atque Alcairi Sulthanum inuasurus, in Natoliam traiecit. Et trecenta quidem armatorum milia, ducentasque triremes, ac trecenta minora nauigia his tribus in locis eum habuisse creditum est. Verum quum iam propè Nicomediam esset, colico dolore correptus, quarto demum die vitam finiuit, v. Nonas Maias, anno Christi MCCCLXXXI sub pontificatu Sixti. Porro Mahometis mors Italiæ saluti fuit, propterea quod Turcæ, qui omnium ferè Christianorum vires per annum iam & menses aliquot Hydrunti sustinuerant, audita Principis morte, Acomathem Bassam, qui cum viginti quinque Turcarum millibus Hydruntinum exercitum instauraturus, Velonam aduentabat, haud diutius expectarunt: sed cum nostris ea fœdera percussere, quæ bellicam gloriam prius partim minimè denigrarint. Etenim & antea se militiae magistris esse ostenderant, cataphractis nostris sæpius repulsis, ac duobus primi nominis ducibus, nempe Iulio Comite ducis Hadriensis patre, Mattheoque Capue principe interfectis. Vna tantum inter nostros equitum Hungarorum ala inuenta est, quæ pari arte cum Turcis congregaretur, assueta nimirum leuibus pugnis, quas in Belgradi ac Samandriæ finibus absque intermissione cum ipsis committunt. Ioannes autem Iacobus Triuultius princeps sæpius referre solitus erat, Italos duces didicisse optima propugnacula construere ex ijs, quæ Turcæ intra Hydrunti mœnia singulari artificio fabricarunt. Cæterum post receptam à nostris ciuitatem, Calabriae dux plurimos è Turcis qui in ea fuerant, vt sub se militarent, conduxit: atque postea in eo prælio, in quo ipse dux contra Sixti Papæ exercitum in loco, qui Campus mortuus dicitur, pugnans fusus est: adeo viriliter cum hostibus congressi sunt, vt pedites, quos Ianiza-

ros vocant, balistis equitum impediti, nec tamen vnquam terga vertentes, ad vnum omnes perierint: equites verò magna militari cum virtute, tum arte sepe insequentes conuersi, atque iter institutum ijs repressis persecuti, Ducem ipsum contempto hostium impetu vsque ad Neptuniana moenia incolumem perduxerint. Verum quod ad Mahometem pertinet, præfuit is imperio annis XXXII, quos tamen non omnino expleuit. Ætatis vero annum LIII, quum mortuus est, agebat: homo neruosi ac robusti corporis extitit, faciem subgiluam atque oculos eiusdem coloris, sed aliquantulum ampliores, ac supercilia arcuata habuit: nasum autem vsque adeo aduncum, vt summitas contingere labra videretur. Porro in bellis quæ is gessit, plusquam trecenta hominum milia ferro perijisse compertum est.

Baiazetes II.





Res filios Mahometes habuit, inter quos Mustapha iuuenis præcipue indolis primus extitit. Is in prælio contra Vfuncaffanum suscepto egregie se gessit. quin antea quoq; Iosephum Persianum ducem regis Caramaniæ fautorem in fugam conuertebat. verum quum hyemaret Iconij, venationibus, ac Venereis rebus nimium indulgens in ipso iuuentutis flore decessit. Enimvero in huius gratiam Solymanus, qui nunc Imperatorem agit, primogenitum suum, annos XXII natum, atque in mense Iulio proximè præterito maxima pompa circumcisum, eodem nomine appellauit. Superfuere Baiazetes ac Zizimus, quorum alter in Cappadocia, alter vero in Caramania agebat. Cæterum defuncto Mahomete, Mehemedes Bassa, genere Caramanus, qui Visir, id est, Imperatori à consilijs erat, cadauer statim curru Constantinopolim vehendum curauit. Inde Zizimo atq; Alcairi Sulthano per citissimū nuncium hac de re admonitis, ipsum Zizimum principem constituere peroptabat. Interea Ianizari litus maris accesserant, vt Constantinopolim peterent. Sed Mahemedes inde naues omnes amouerat, ne exercitus transire valeret. Quo comperto, Ianizari maximo furore succensi, lembis quibusdā paulatim, ac per partes transire cœperunt. Mox qui transierant, maioribus in eo litore acceptis nauibus, alios omnes transuexere. Sed quū Mahemedes & ipse ob id furore percitus, eos vr insolentes ac parum obsequentes vehementer increparet, in vnum collecti, hunc ipsum edibus, in quas se receperat, expugnatis, interfecerunt: nam & ab omnibus, tanquam nouorum vectigalium inuentor, odio habebatur. Post hæc Ianizari Baiazetem absentem Imperatorem creant, & id quidem auxilio ac fauore Cherseoli Bassæ Græciæ Bellerbeij, & Agæ Ianizarorum, qui Baiazetis generi erant. Sed enim Isaacus & Dauthus ambo Bassæ ac Visires, summæque authoritatis viri, Constantinopoli tunc temporis agentes, vt tumultus sedare, ac melius omnia disponere valerent, Corcuthum Baiazetis filium, annos XIII natum Imperatorem salutarunt, quousque pater Constantinopolim reuerteretur. Iam enim & id ferebatur, Zizimum maximo cum exercitu aduentare, vt seipsum Imperatorem constitueret. Neque ita multo post Baiazetes affuit, adeoque puerum sollicitauit, vt tandem patri filius imperium renunciarit, Baiazete post imperatoriam dignitatem acceptam pollicente, imperium se puero tempore opportuno restitutum. Interea Zizimus Bursiam peruenerat, atque ipsa ciuitate potitus, summis bellorum conatibus totam Natoliam sibi subijcere querebat. Quam ob causam Baiazetes exercitum per Hellespontum traiecit, atque Acomathe cum ijs militibus, qui Hydruntinis suppetias tulisse debuerant, reuocato, propè Niceam cum fratre collixit: quo in loco Zizimus virtute ipsius Acomathis fusus, & in Caramaniam vsque fugatus est. sed quum ne illic quidem ob insequentem hostem tutus esset, in Syriam profectus, Alcairum, Sulthano seipsum commendaturus, tandem venit. Vnde & factum est, vt paulo post ipsius Sulthani ac regis Caramaniæ adiutus auxilijs, qui & milites & pecunias subministravit, in Asiam reuersus sit. Baiazetes autē Acomathem cōtra eum misit. quo cum Zizimus iterū pugnās, quamplurimis è suis amissis, superatus est. Quamobrē fuga rebus suis consulere coactus, ad Rhodij maris litora peruenit, ibiq; spe omni destitutus Magno Rhodij Magistro seipsum tradidit, a quo postea ad Innocentiū IIII. Pont. Romanum missus

missus est. Is est Zizimus, qui à Carolo Francorum rege eius nominis octauo ex vrbe Roma Neapolim versus deductus, in itinere obiit Terracinæ, veneno (vt creditum est) ab Alexandro Papa interfectus. Huius cadauer postea Federicus rex Constantinopolim misit, vt ea liberalitate, quæ nihil ipsi constabat, Turcici principis benevolentiam contraheret. Zizimus autem vir grauis atq; excellentis ingenij fuerat, ac magna cum prudentia tum animi tranquillitate captiuitatem tolerauerat. Porro Baiazetes (vt ad eum reuertamur) tertio imperij sui anno Valachiam subegit, maximoq; & terrestri et maritimo belli apparatu, Lithostomo in Danubij ora sito, ac Moncastro erga Borysthenem fluiuium (hodie Neper vocant) posito, debellatis, Cōstantinopolim reuersus est. Vbi non ita multo post, Acomathem Bassam, quum innumera ipsius officia rependere aliter non posset, interfici iussit: testatus nimiam serui magnitudinem ac virtutem Domino timorem incutere. Is Acomathes ex Albania oriundus, antiquis ducibus virtute militari æqualis fuit, adeo vt prouinciæ omnes, quas impeteret bello, vel solum nomen ipsius pertimescerent. Cognominatus est Ghendich, quoniam dens ei vnus deesset: nam id Turcica lingua Ghendich significat. Verum tribus posteaquam hæc peracta sunt annis, Baiazetes Alcairi Sulthano, quod Zizimo fauisset, bellū inferre cōstituens, Cherseolum Bassam & Calubeium, maximis terra mariq; dispositis copijs Tharsum versus misit. Quo audito Mamaluchi statim Antiochiæ conuenerunt, atque Amanum, nunc Nigrum montem appellatum, transeuntes, Issum petiere: quo in loco Magnus Alexander olim memorabili pugna cum Dario conflixit. Ex Isso Adanam Caramanie ciuitatem cursu citato profecti, Turcas castrametates inuenerunt. ex itinere enim fessi, ac sole iam ad occasum inclinante, vires in castris reparare optabant. Erantque ipsi Turcæ numero multo plures quàm Mamaluchi, sed hi meliores equos atque arma quàm Turcæ habebant, neque ex itinere admodum fatigati esse videbantur. Ducibus igitur, quid facto opus esset in medium conferentibus, duo Itali Mamaluchi pugnam in posterum diem minimè differendam, sed eodem temporis momento Turcas impeditos, ac sub papilionibus sine ordine agentes imperendos esse pluribus adductis rationibus consuluere. quod quum omnibus placuisset, illico tubicines classicum canere iusserunt, ac plurimis in locis vno & eodem tempore Turcarum castra ex improviso adorti sunt: tantusque Mamaluchorum fortiter omnia dissipantium impetus fuit, vt Turcicorum castrorum custodiæ persistere non potuerint, quousque cæteri milites conscenderent equos. Vnde Calubeius exercitum in fugam conuersum videns, aufugit & ipse. Cherseolus vero post vulnus in manu acceptum, Alcairum ad Caitheum Sulthanū deductus fuit. Et hoc quidem dedecore, atque hac strage nullam maiorem Turcæ vnq; à quauis orbis natione perpessi sunt. Baiazetes autem in ita post eam cladem cū Sulthano pace, in Albaniam arma cōuertit, ac Dyrrhachium prope Velonam situm cepit. Quumque iam annus humanæ salutis MCCXCIII ageretur, Cadumum Bassam præstantissimum ducem in Hungariam misit, qui cum octo milibus equitum Zagabriam vsque profectus, non sine maximo populorum illorum terrore omnia deprædatus est. Quam ob rem Croatia, Sclauonia, atque Hungariæ principes, quos Banos vocant, habita, tam damni nuper illati, quàm quod in futurum inferri poterat, ratione, magnum simul exercitū

compararunt. Id quod in causa fuit, vt Cadumus vsque ad Diauoli montem, qui Croatiam à Corbauia diuidit, suos retraxerit. Cæterum Ioannes Comes cognomento Torquatus, vir prudens, armisque & consilio valens, non in patenti campo cum Turcis congregiendum, sed eos in angustioribus locis, vbi etiam montes auxilio esse possent arctandos atque impellendos censebat. Verum Bernardinus Francapanis Comes plus audaciæ in consulendis, quam virium in peragendis rebus bellicis habens, aperto Marte dimicandum suadebat. Idem Vngariæ Banus inimicos contemnens iudicabat. Quorum sententia quum præualuisset, iuxta Morauam fluuium certatum est. Cadumus tripartito exercitum diuiserat, ac primam partem Hismaelbeio Seruig Saniaco, secundam Caruiliæ Vaiuodæ commiserat, tertiam sibi ipsi seruarat. Hoc idem & Christiani suos pedites inter tres equitum alas æqua portione diuidentes effecere, primam quæ Sclauinos loca inter Drauum & Sauum fluuios incolentes continebat, Ferdinandus Berisburchus regebat; secundam Croates continentem Ioannes Torquatus ductabat; tertia sub Nicolao et Bernardino Francapanis erat. In hunc igitur modum exercitibus ordinatis, Hismaelbeius tanto impetu primas nostrorum cohortes inuasit, vt Ferdinandus è suo ordine deturbatus, non tantum cedere, sed etiam suos pedites derelinquere coactus sit. Vnde non statim in fœdam et cruentam fugam vsque ad Morauam acti, ob insequentium Turcarum timorem seipsos in fluuium præcipitarunt. Hismaelbeius vero prima hac acie deuicta, secundam aggressus est, quam etiam Coruilia eodem temporis momento inuadens, Torquati milites ad vnum trucidarunt. Torquatus autem pluribus circa se Turcis interfectis, & ipse tandem occisus est. Porro neque Cadumus occasionem insequendi Vngaros omisit: nam virtute fortis militum, quos in hoc sibi delegerat, adeo omnia dissipauit, vt in spacio propemodum vnius horæ capto principe Bano, eiusque filio interfecto, egregia victoria paucis è suis amissis potitus sit. Numerari deinde cadauera interfectorum iussit, atque in testimonium stragis Christianis illatæ, multa capita ac nasos quamplurimos ad Imperatorem suum misit. Enimvero qui occisi fuerunt, septem milium numerum excessere. Sub hæc Baiazetes anno ab orbe redempto MCCCXCVIII, bellum Venetis inferre cœpit, quod Ioannem Cerrouichium, Comitem propinquum Cataro contra Turcas defendendum suscepissent. Halis Bassa Eunuchus ex Albania oriundus, classe Turcica Iadram vsque peruenit, abductisque ex tota Dalmatia prædis, vniuersam prouinciam igne ferroque desolauit, ne videlicet Veneti milites in maritimi belli usum conscribere valerent. Cæterum Veneta classis Turcicæ propè Methonem obuia facta, eam, qua tamen longè superior erat, opprimere non tantum non tentauit, sed etiam occasionem id efficiendi in Sapientiæ (vt nunc vocant) portu opportunam dimisit. Quam ob causam Antonius Grimanus classis præfectus, apud Venetos huius rei reus actus, in vincula coniectus est, ac sic Venetias ductus. Interea Turcica classis in Corinthiacum sinum prouecta, Lepantum ciuitatem, antiquis Naupactum dictam, cepit. Verum enimvero sub id tempus Veneti Ludouico Francorum regi huius nominis duodecimo, fœdere se coniunxerunt. Vnde rex ipse in Italiam contra Ludouicum Sfortiam veniens, Mediolanensem ditionem, qua nondum potitus erat, cum Venetis diuisit. Quamobrem Mediolani Dux ab omnibus derelictus, ad Baiazetem cõfugit,

plu-

pluribusq; in medium productis causis, orauit vt sibi auxilio esse vellet, Venetis validius impetitis. Quod Baiazetes siue ob huiusmodi preces, siue ob destitutum sibi antea propositum lubens effecit. Nam Schenderum Bassam cum decem milibus equitum in Forumiulum misit, atque ea loca excursionibus infestari mandauit. Schenderus autem licet aliquantulum infirmus esset, Tiliauentum tamen ac Lifontium lata flumina vadauit, ac cæli fulgure celerior in Taurisinum vsque agrum populabundus processit. Sed enim quum eos omnes, quos captiuarat, abducere secum non valeret, in Tiliauenti ripa caput hominibus plus quater millè amputari iussit. Nec Veneti Prouisores, quos vocant, Turcas vnquam inuadere ausi sunt: id quod in causa fuit, vt ipsi Turcæ liberè, qualibebat vagantes, Venetis adeo propinqui effecti sunt, vt è montibus eminentioribus vrbis situm contemplari potuerint: id quod in mense Octobris anni superius iam dicti, M C C C X C V I I I, accidit. Verum Baiazetes eo anno qui hunc infecutus est, ad expugnandum Methonem per se ipsum est profectus: exercituque in tres partes diuiso, machinis æreis mœnia diutius impetiuit, propugnacula diruit, domosque quamplurimas in vrbe mortarijs (vt vocant) perforatas destruxit. Methonensibus igitur iam ferè extrema patientibus quatuor Venetæ triremes auxiliarijs peditibus atque alijs ad bellum necessarijs rebus onustæ aduenerunt. Quo cognito ij, qui in vrbe erant ob præfens auxilium læti, ad portum cucurrerunt, ac mœnia sine custodijs & sine defensoribus reliquere. Quod vbi Ianizari senserunt, per ipsa mœnia in urbem ingressi, Venetos pedites ad vnum trucidarunt, atque ipsa demum vrbe potiti sunt. & huiusmodi quidem clades, quo die diui Laurentij festum celebramus, facta est, anno qui à Christo nato M. D. numeratur. Turcicus autem Imperator Methonensem episcopum, aliosque complures coram se decollari præcepit. Mox inde profectus, & Iuncum & alia multa Peloponnesi loca obtinuit. Cæterùm cum Principes Christiani id ægerrimè ferrent, nauium ingentem numerum ex Gallia, ex Lusitania, atque ex reliqua Hispania in vnum contraxerunt, ac duce eo, qui magnus Capitaneus cognominatus est, vnà cū Venetis ad expugnandā Cephaleniam insulam perrexerunt. Veneti verò etiā S. Mauræ insulā postea cepere. Verum non ita multo post Andree Gritti, nunc Venetiarū clarissimi ducis opera, qui tunc Constantinopoli captiuus detinebatur, ea restituta pacē cum Turca sanxerunt quæ quidē in hodiernū vsq; diem perseuerat. Porro Baiazetes iam senex, & podagrosus effectus, omisis bellis, incumbere quieti ac philosophiæ cœpit: præsertim verò doctrinæ Auerrois, qua summo opere delectabatur: simulq; eodem tempore Constantinopolitana mœnia instaurauit, quæ terremotu maiori ex parte collapsa fuerāt: id quod rerū quæ Otomanniæ familiæ postmodum accidere, certū prodigium fuit. Enimvero dū huiusmodi pace Baiazetes frueretur, Hismael Sophus ex Vfuncassani filia progenitus, apud Persas magnus euasit. etenim Mahometanam legem nouis expositionibus interpretatus, nouam itidem religionem introduxerat, atque ea via Persiæ regnum sibi occuparat. Et fama quidem huius iuuenis, qui Oriētem iam subegerat, tanta erat, vt eius sectæ duces in Natoliam vsque procurrentes, omnia tumultibus replerent. Tumultuarium quidem Persæ exercitum, sed quotidix magis excrecentem habebant, adeo vt tandem etiam cum Cora-gue Bassa conferere manus ausi sint: ac victoriam adepti, ipsum propè Cucia

ciuitatem palo suffixerint. Post Coraguem Halis Bassa valido exercitu statim Persas insecutus est: quumque iam eos nonvt Eunuchus, sed vt fortissimus miles pugnans penè perdidisset, in ipsa victoria occubuit. Sub idem tempus minimus Baiazetis filius nomine Selymus noua moliri cœpit: nam è suo Trapezuntino Saniacatu Capham profectus cum Tartarorum principe foedus inijt, accepta in vxorem eius filia: sicque Turcarum ac Tartarorum simul exercitu comparato, prope Valachiæ Cheliam Danubium traiecit, alium Saniacatum fidei Mahometanæ inimicis viciniorem à patre se desiderare affirmans, quo virtutem propriam ostendere, seque in armis exercere cōmodius valeret: simul ne Acomathi fratri adeo vicinus foret, quo cum de Amasiæ finibus iam contendebat. Interim Adrianopolim, vbi erat pater propinquus, nuncios subinde præmittebat, qui patri indicarent, ipsum in hoc accedere, vt paternam manum oscularetur: quandoquidem patrem à pluribus annis non vidisset. Baiazetes autem astutus alioqui senex, qui ingenium filij ac naturam imperij audissimam optimè norat, Samandriæ Saniacatum Belgrado Hungariæ propinquum illico ei concessit, missisq; pecunijs, vestibus, equis, ac seruis, pulcherrimo munere filium donauit: ac respondit, non opus esse, vt tunc res erant, eum ad deosculandam manum accedere. vehementer enim timebat, ne collectis in vnum Ianizaris imperium vsurparet, sicuti fecit. Enimuerò Selymus fortis ac liberalis, & supra modum belli cupidus, pacisque inimicus Ianizaris videbatur: quibus de causis milites omnes magis eum diligebant, quam aut Acomathē, qui in Amasiæ & Cappadociæ Saniacatu voluptatibus potius quam bellis incumbibat, aut Corcuthum, qui in Magnesia Rhodio litori vicinus, philosophiæ ac Mahometanæ legis theologiæ operam dabat. quæ studia, quum in vtroque parum militibus probarentur, in causa erant, vt Selymo magis fauerent. Interea Selymus ipse vnà cum exercitu iam Adrianopoli vicinus, aiebat se omnino patrem inuisere velle: sed Baiazetes eo minimè expectato, Constantinopolim versus iter arripuit, ne videlicet ciuitas imperij totius caput à Selymo præoccuparetur. Iamq; Ciurlum, qui locus Constantinopolim atque Adrianopolim æquis ferè spatijs dirimit Baiazetes peruenerat: quum ecce Tartari atque aliæ Selymi turmæ per planiciem sparse Baiazetis impedimenta, ac milites sine ordine incedentes, adorti sunt. Quam ob causam Baiazetes è curru, quo ob podagram vehebatur, in quo filio effusis lachrymis malè precatus sese militibus commendauit, orationemque adeo luculentam habuit, vt Ianizari, quanuis Selymum summopere amarent, optarentque vt Baiazetes ipsum principem constitueret, non potuerint, quod debebant, non præstare: sicque Portæ equitibus coniuncti, Tartaros omnes subito prostrauere. Selymus autem ipse acriter pugnando vulneratus, cuiusdam equi spadicis, qui optimus erat, beneficio Varnam peruenit: vbi quum nauem conscendisset, ad Tartarum principem socerum suum tandem se contulit. Verumenimuerò Baiazetes veritus ne post mortem suam Selymus inquieti ac feri animi iuuenis, Ianizarorum fauore legitimam regni successionem impediret, Acomathi primogenito indicauit, velle se vita adhuc superstite imperium ei renunciare. Igitur Acomathes vbi Selymum fratrem suum à patre fugatum audiuit, occasionem inde Constantinopolim veniendi accepit. Iamq; Scuttarū, veteribus Calcedonem vocatum, & contra Constantinopolim situm,

eo ani-

eo animo peruenerat, ut princeps ab omnibus consalutaretur. Verum eius aduentus Ianizaris Selymo fauentibus ita displicuit, ut affirmarint se nequaquam permissuros, ut uiuente adhuc Baiazeterum alter potiretur: praesertim quum veram ac debitam imperij successionem, quotiescunque principem mori contingeret, non essent impedituri. Adhaec aiebant, fidelitatem suam omnibus iam satis esse perspectam: praeterea sua se Portę vetera priuilegia amittere nolle asserabant, quibus in principis morte Iudeos & Christianos depreddari permissum, atque huiusmodi crimina iuramento non quia principis condonari solitum erat. Ad summam, verba haec atque hi tumultus Ianizarorum tantum potuere, ut bonus senex quadam etiam dominandi usque ad mortem dulcedine ductus, miserit, qui dicerent Acomathi, nullam adesse rationem, qua princeps creari posset: debere igitur eum in Amasiam reuerti, quousque tandem melior occasio desiderij communis exequendi sese offerret. Acomathes vero tali nuncio turbatus, odium in patrem de rebus suis inconsiderate desperans, statim coepit, ac Natoliam occupare proposuit, ut post mortem patris, huius prouincię viribus adiutus, imperium accipere, atque aduersarios punire posset. Ergo exercitu coacto, quam plurima loca subiugauit. Alensciachi Baiazetis primogeniti multis ante annis defuncti filium, qui Iconium nobilissimam ciuitatem possidebat, e regno expulit. Denique tanquam patri penitus rebellis, omnibus inimicabatur, qui suis consilijs opponere se auderent. Quin quod maius est, patris etiam oratori nasum atque auriculas abscidit. Quo scelere Ianizari commoti, exclamare coeperunt, Acomathem veluti proditorem ac paritricidam esse puniendum. Sed & Baiazetes maxima in Acomathem indignatione concepta, exercitum, ut in Natoliam traiceret, parari iussit. Verum Bassae omnes, ac Belerbeij, praeterea & Ianizarorum Aga, se contra Ottomannum sanguinem ituros omnino recusabant, nisi a Principe aliquo ex eodem sanguine progenito ducerentur. Obtinebant tunc apud Baiazetem summam auctoritatem Cherseolus Bassa, Latici Ducis origine Graeci filius, Principis gener, ac Mustapha Bassa qui simul etiam Visirus erat: nimirum is qui Romam ad Innocentium Papam orator venit, ac ferrum lanceae que latus domini nostri Iesu Christi aperuit ad nos detulit. Igitur hi duo Baiazeti suaserunt, ut Selymum condonata culpa ad se vocaret, atque eum ipsum contra Acomathem mitteret, rem enim non nisi optime successuram arbitrabantur, etiam si Selymus succubisset, quando in quemcunq; euentum inclinasset fortuna, scelesti se mutuo castigassent. Placuit Baiazeti consilium, etenim quia senex atque infirmus erat, in Asiam per se traicere, Selymo in Europa relicto non audebat, illud praecipue timens, ne se ipso atque exercitu absente, Selymus imperium occuparet. Postquam igitur in eam sententiam pedibus itum est, Baiazetes manu propria ad Selymum scripsit, ut ad Portam accederet. Porro Corcuthes tertius Baiazetis filius ab amicis hac de re certior factus, eodem ipso tempore ex Phocęa Constantinopolim triremibus venit, ac patrem obnixè rogauit, ut eam sibi redderet dominationem, quam post Mahometis mortem a se liberaliter acceperat. Baiazetes autem liberè pollicitus est, se id effecturum, quum Selymus in Asiam transisset. Caeterum non ita multo post adfuit Selymus, incredibili que omnium militum fauore & gaudio exceptus est. Quin & Corcuthes ipse usque ad ciuitatis portam illi obuiam processit. Selymus ubi ad patris pedes peruenerit, per-

Selymus.



HAc iniusta & scelerosa via Selymus ad imperium peruenit anno ab humani generis instauratione M D X I I mense Aprili: nempe illis ipsis diebus, quibus Galli atque Hispani inter se Ra uennæ conflixerunt. Defuncto patri funebres pompas, ac magnificum sepulchrum apparauit, vt hac vana & simulata pietate manifestum parricidium contegeret. Quibus peractis, illico thesauros numerauit, atque amplissimum donatium Ianizaris, Portæque equitibus dedit. Stipendia militibus omnibus, vt cuiusque veteris ordinis ratio exposcebat, adauxit, adeò vt omnes sibi factum esse satis professi sint. Mox in fratrem arma mouit, illumque è Cappadocia expulit. Acomathes enim vires, quibus resisteret Selymo, non habebat. Inde Angorium nobilem ciuitatem, veteribus Ancyræ dictam, profectus, nepotes omnes ex Alensciacho, atque ex alijs suis

fratribus antea defunctis, interfici crudeliter iussit. Sub hac quum Aladinum & Amurathem Acomathis filios post paternam fugam cum exercitu, recuperandæ regionis causa, venisse Amasiam versus audisset, equitatum in eos, qui comprehensos interficeret, immittere decreuit. Id consilij Mustapham Bassam ad pietatem inflexit: iam enim eum pœnitere inceperat occasionem præbuisse, vt & Baiazetes, & tot iuuenes infantulique sanguinis Ottomanni fuissent interfecti. Quamobrem Acomathis filios adeo & secretè & celeriter admonuit, vt ante Imperatorij equitatus aduentum ad montes aufugerint. Selymus autem qui homo astutus erat, statim animaduertit Mustaphæ opera iuuenes euasisse. Vnde etiam ob eam suspicionem Mustapham Bursiæ suffocari, ac nudum cadauer in publica via canibus exponi iussit. Et talem quidem Mustapha meritorum suorum gratiam recepit, quia apud malum principem, vel minima offensuscula pluris æstimatur, quam acceptorum quamplurium officiorum obligatio. Post Mustaphæ mortem, Selymus Corcuthem quoque interficere constituit, quanquam ab ocioso & quieti dedito philosopho parū sibi timendum erat. Duæ igitur equitum turmæ in Magnesium, vbi Corcuthes residebat, in hoc excurrerunt. Verum Corcuthes à suis hac de re certior factus, inimicorum furorem euasit. seruis enim duobus comitatus, vestibisque alienis indutus, ad Smyrnæ litora se contulit, ibique in spelunca quadam delitescens, nauem aliquam expectabat, quæ Rhodum trañceret. Sed quum id nequaquam fieri posset, Bostange Bassa Selymi genero classe ea litora obseruante, ob famem ac serui perfidiam citò deprehensus captusque est: & quem admodum Selymus ordinarat, arcus neruo suffocatus. Interea Acomathes, implorato à Sophi atque Alepi principe auxilio, qui veluti capitales inimici magnitudinis Turcicorum Imperatorum rebus ipsius fauebant, adeo magnū ac potentem coegit exercitum, vt aperto Marte cum hostibus congredi valeret. Nam & equitum Persianorū validam turmā optimeq; armatam habebat, sicq; tandem ad Horminium vsq; mōtem Bursiæ proximū peruenit. Selymus autem Canolio vxoris suæ fratre cum maxima Tartarorum multitudine secū ducto, obuiam ei profectus, XVIII Kalen. Maias. anni MDXIII cum ipso conflictit, ac virtute Sinami Bassæ Eunuchi Natoliæ Belerbei, Persas fudit. Acomathes verò à Tartaris impetitus à tergo, ex ordine & ipse deturbatus est: quumque equus cui insidebat, ob nimiam crassitiem parum agilis, in terram decidisset, ab hostibus captus, iussu Selymi statim eo quo & Corcuthes modo, crudelissimè strangulatus est. Porro Aladinus & Amurathes euasere: quorū alter postmodum ad Sulthanum profectus, ibi febribus perijt: alter vero Persiam petens, apud Sophim per plures annos mansit. Selymus posteaquam cōsanguineos omnes, quos commodè habere potuit, è medio sustulisset, de his omnibus, qui Acomathi fauerant, vindictam sumere decreuit. Quoque id securius atque expeditius efficere valeret, solennes inducias cum Ladislao Hungariæ rege pactus est, ac pacem cum Venetis, quam Baiazetes eius pater constituerat, confirmauit: sicque anno à Christi natiuitate MD vnā cum ducentis hominum milibus peditibus partim, partim equitibus itinere sexaginta dierum contra Hismaelem regem profectus, non procul à ciuitate Arsengana Euphratem trāsiuit, ac prope Taurium inclytam regiamq; ciuitatem in medio maioris Armeniæ sitam peruenit. Nec tamen vnq; Sophus obuius illi est factus. Sed

id tantum curabat, ut stramina atque ea quæ ad victum pertinebant igne consumerentur, quo Turcæ fame laborare cogentur. Verum quum Selymus in magnum Calderam planitiem inter Coim et Taurium, vbi antiquitus Artaxata nobilis ciuitas extitit, peruenisset, Sophis Rex vnà cum equitatu adeo armis equisq; pulcherrimis ornatus, ut nihil supra excogitari posset, sese hostib. ostendit: nihilominus tamen neq; pedites, neq; machinas æreas habebat. Sed enim qui phaleris laminib. chalybeis, ut Azemiæ fiunt, elaboratis, sic exornabantur, ut equites ipsi Turcis inermibus defessis, ac fame laborantib. comparati, duces esse viderentur. Enimvero princeps Sophis, quum sibi pararet imperium, cum Armenis, Persis, Medis & Assyrjs suorum quatuor regnorum quæ nunc Tauris, Sumachi, Scyras & Bagadat vocant, primorib. populis sæpius pugnarat, ac semper egregiè victor euaserat. Quamobrem perpetua hac felicitate elatus, Turcas numero suis lōgè superiores, nihil faciebat: neq; quid sibi euenire posset, si æquo Marte in præliū descendisset, animo perpendebat, quemadmodū n̄ consueuerunt efficere, qui fortunam nunq̄ experti sunt contrariā. Et sanè semper cum militib. tumultuariè ac de improviso, ut bellandinecessitas cogebat, ex populis quos superius paulò memorauimus, collectis sibi res fuerat. Turcæ verò veterani milites erant bellis ac victorijs perpetuò assueti, ad quancunq; necessitatem sufferendam nati, quo certam victoriā ex quauis tentata prouincia referrent: id quod ipse forsitan minimè cogitabat. Ut ut fuerit, IX Kalen. Septembriū exercitum in duo amplissima cornua diuisit, quorū altero Vstaolo summæ authoritatis Duci commisit, alterum sibi ducendum seruauit: ac mox tubicinib. classicum canentibus, Cassanum Bassam Romanicæ Belerbeium aggressus est. Præerat is sinistro Turcarum cornu: dextrū Sinamus Bassa tenebat, mediū verò Selymus cum Ianizaris tuebatur circumdatus camelis in ordinē dispositis, ac machinarū ænearum currib. ab utroq; latere, et à tergo collocatis. Verum primo congressu Sophiani tanto impetu hostes inuasert, ut Turcæ inermes, equosq; inuálidos habentes, resistere minimè potuerint. Etenim Sophiani longiorib. et breuioribus hastis variè hostem impetentes, ensibusq; quos Cimitarras vocant, ac optimis securib. ferientes, homines atq; equos subuertebant. In hoc congressu Belerbeius vnà cum quatuor Saniachis ac militib. quamplurimis perière. Porro altera ex parte, cum Vstaolus inimicorū dextrum cornu inuasurus esset, Sinamus astute ipsum operiri, atq; æreas machinas, quas Falconettos appellant, exonerari iussit: quæ Persis antequam cominus pugnare possent, maximū & terrorem & damnū intulere. nihilominus tandē pugnatum est, licet ob fumū atq; ob puluerē pugna ipsa satis esset obscura. Vstaolus vnà cum multis è suis occisus est. Cæteri verò Sinami equitatu circumdati ac repulsi, in cornu medijs frontem, vbi Selymus cum exercitus neruis erat, impingere coacti sunt: atque ibi demum omnes æreæ machinæ, additis etiam paruulis, quas Ianizari ferebant (scopietos eas vocant) globulos suos emisere, atque in discriminatim tam Turcis quàm Sophianis nocere. Quam ob causam Sophiani ipsi priusquam ad Ianizaros peruenire potuissent, in fugam conuersi sunt. Hismael scopieti glande in scapulis vulneratus, vexilla ac plurimos egregios charosq; milites amisit. Et nisi puluis obscurissimus eripuisset visum, sine dubio, & ipse aut morti aut captiuitati obnoxius extitisset. Interea verò dum manus conferentur,

Selymus semper inter Ianizaros mansit, nullis armis præterquam triplici col lario indutus. Verum fideiiores Sphaci & Solachi maiores quosdam clypeos circa principem erectos tenebant, vt ipsum ab immisis sagittis tuerentur. Ex veridicorum hominum, qui huic pugnae interfuerunt, relatione accepi, inter cadauera interfectorum sceminas nonnullas, Persarum nimirum vxores, re- pertas fuisse. quæ more virorum armatae, maritos in quemcunq; fortunæ e- uentum sequebantur. Eas Selymus honorificè sepiliri iussit. Porro huiusce- modi victoriæ fama totam Armeniam adeo perterrefecit, vt ipse Sophis Tau- rii consistere non audens, vltius ad instaurandum exercitum progressus sit, Verum Selymus, vt optimus dux, victoriæ recens parte calore vsus, Taurium cum expeditiore equitum manu profectus est, atq; in ipsa vrbe, quam sine pu- gna deditam accepit, per aliquot dies est commoratus. Mox quum Hysmae- lem congregatis ex omnibus suis prouincijs militibus Taurium aduentare audisset, principis palatium ac mercatorum plurimorum ædes pulchrioribus & preciosioribus rebus expoliavit: præterea pecunias à ciuibus exegit, ac de- mum inde discedens, multas artificum ac nobilium familias secum abduxit. Quumque iam ad Euphratem longis itineribus peruenisset, maxima ac fortis- sima latronum Hiberorum Hismaeli subditorum turma, transuadantes Tur- cas à tergo populabunda inuasit, atque ex ipsis plurimos ex itinere defessos, & ad reliquum exercitū subsequendum tardos, interfecit. Postea verò quam flu- uium Selymus transisset, ab Aladulo principe maxima & molestia & damno affectus est. Etenim is in fluminum transitu, atque in montium angustijs Tur- cicum exercitum, præcipuè verò milites extra ordinem vagantes assiduè in- festauit, Selymo sæpius iurante se huiusmodi iniurias Vere nouo vindicatu- rum. Cæterum hæc Calderamia victoria incredibilem authoritatem Sely- mo peperit, qui itinere dierum viginti longius quam Mahometes ipsius a- uus progredi ausus esset: atque in hoc peculiariter commendabatur, quod per ipsum iam omnibus manifestè patèret, Sophianas vires non vsque ad mi- raculum excellere, quemadmodum prius fama creditum erat. Nam vt verum fateamur, ipsius Sophis exercitus, non ex militibus ordinario stipendio con- ductis constat: sed ferè omnes ad principis imperium conuenire, ac propriam tueri patriam bene armati iubentur. Id sanè verum est, centum Persas ob equo- rum atque armorum apparatus cum quadringentis Turcis posse congregi. Verum ipsi Persarum reges commoditate suscipiendarum in remotas prouin- cias expeditionum omnino carent: quoniam neque consuetudinem, neque facultatem stipendiorum, tam paci quam belli tempore soluendorum habent, sicuti Ottomannios principes habere certum est. Persæ enim stabiles atque i- doneos ad bellandum pecuniarum prouentus non possident, quum populi ab antiquis temporibus liberi ab omnibus ferè vectigalibus sint. Vnde etiam est, vt nullos peditum ordines perpetuò alant, neque multum machinarum ærearum secum ducant: quibus tamen duabus præcipuè rebus quoduis belli- cum, quanuis difficile, negocium superatur. Sed vt ad Selymum redeam, Tur- cicus exercitus eo anno in Trapezontina atq; Amasina prouincia hyemauit. Anno verò qui proximè infecutus est, nimirum M D X V. vt acceptas iniurias vindicaret, bellum contra Aladulum Principem mouit. Is Cappadociæ mon- tes illos, quem Taurum vocant, prope Euphratem incolit, ac regni sui fines ter- minat

minat cum Sulthano quidem Alepum versus, cum Sophi verò prope minorem Armeniam, cum Turca autem vrbe quadam, quam Orsam nominat, Amasię Saniacatui, atque Iconiõ opposita. Et valles sanè aliquot fructiferas, verum plures syluestres & saxosas possidet. In ijs autem Costagelus dux difficiles quosdam transitus, iter hostibus impediturus munierat. Verum labor omnis frustra insumptus est: Sinamus enim locorum angustias omnes penetravit, plurimisq; illarum gentium turmis possigatis, ac præsijs deturbatis, tandem cum Costagelo inter montes confligit, atque eum in fugam cõuertit. Sed enim Costagelus persequente Sinamo ab incolis proditus, in Selymi manus peruenit, qui eum capite puniri imperavit, atque ipsum caput Venetias in victorię signum misit. Verum enim verò cum adeo feliciterum successu Selymus suum imperium debellatis Persis atque Aladulo castigato stabilisset, quò ob audaciam inde sumptam tum ob triumphorum cupiditatem Campsoni Gauro Alcairi Sulthano bellum inferre constituit. Et Campson quidem ipse cum ingenti exercitu eodem tempore ex Ægypto in Syram venerat, Alepum concessurus, vt Caierbeium eiusdem vrbis principem subditum suis imperijs, sed parum amicum ac parum obsequentem, & principatu & vita priuaret, atque vt Turcarum finibus propinquus Selymo terrorem incuteret, ac experiretur an autoritate sua res Sophis cum ipso Turca componere valeret. Nam potentia ac felicitas Selymi reuera iam omnibus timori erat, optimeque Sulthanus ipse considerabat, Turcis, deuicto antea Caramanię rege, prostrato nuper Aladulo, ac Sophi grauius depresso, nihil amplius obstare posse, quominus Syriam cum liberet, inuaderet. Comitabantur Sulthani quatuordecim milia Mamaluchorum, ac totidem subserui armis, equis atque alijs egregijs ornamentis adeo excellentes, vt nihil omnino pulchrius videri posset. Mamaluchorum plerique genere Circassi erant, omnesq; ex eorum numero, qui Christo valedixerunt: verum homines robusti, et in pertractandis armis ac sagittis, etiam equitando eiaculandis agiles: ingenio tamen adeo elato ac superbo, vt sese omnibus hominibus præferrent, sed præcipue Turcas, quoniam eos antè prope Tarsum tam facile fugarant, veluti pecora contemnebant. Interea Selymus cum exercitu Cæsaream venerat, ex quo loco commodè vel Euphratem traicere, atque in Persiam mouere, vel Amanum montem transire, ac Syriam inuadere poterat: rumor tamen diuulgabatur, ipsum contra Persas iturum. Nihilominus quandiu Cæsareæ mansit, oratores quamplurimi, ac literæ à Sulthano ad Selymum, & e conuerso missi fuere. Porro Caierbeius Turcam subinde admonebat atque inuitabat, vt in Syriam transiret, simulque pollicebatur se à domino suo ad ipsum defecturum, quemadmodum & fecit, ac deniq; certam Turcis victoriam promittebat. Ceterum quum iam Sulthanus Amanum ciuitatem antiquitus Apamiã dictam, inter Damascum atque Alepum peruenisset, eo nimirum animo, vt Alepum statim inuaderet. Selymus tãdem Sulthani ipse aggredi decreuit: sicq; ad dextram conuersus, incredibili celeritate montem Amanum pertransiuit, Ianizaris atq; Asapis generum machinarum currus super humeros gestantibus. Quod cum Campson audisset, iam nõ Caierbeium castigare, sed seipsum à Turcis tueri, ac vindictam in aliud tempus differre statuit. Vnde etiam Caierbeium ipsum orauit, vt propè Alepum secundum paruulum fluuium à veteribus Singa vocatum, in castra concederet.

Id quod Caierbeius haud inuitus fecit, non quidem vt Sulthanum iuuaret, sed vt proderet. Inter hæc Selymus derepente hostibus sese ostendens, Mamaluchos, qui sub Sybeio Beluamo Damasci principe, ac primi nominis duce erāt, inuasit: sed Mamaluchi eo in congressu viriliter obeuntes, Turcicos equites à Mustapha paulo antè in Belerbeiū assumptos, et ab Imbracore Bassa in pugna deductos dissiparunt. Erant præterea & aliæ tres Mamaluchorum classes, quarum vnam Caierbeius ducebat, qui longo ambitu hostes circumiens, impedimenta atque homines ad bellandum minimè idoneos à tergo aggredi velle videbatur. Alteri Lambardus Gazelles veteranus ac fortissimus dux præerat, qui etiam Sinamum Bassam fortiter inuasit. Tertiam, quæ ad duomiliaria remota erat, Sulthanus ipse perse ductabat. Sed enim quum Gazellis ac Sybei turmæ vsque ad Ianizaros penetrassent, & ab ijs, & ab æreis machinis adeo egregiè repulsi sunt, vt non secus ac in Sophiano conflictu antea Persis acciderat, laxatis habenis retrocedere coacti sunt. Quamobrem Sinamus fugientes infecutus, eos in Sulthani classem impingere compulsi: qui quidem vifa suorum fuga, & Caierbei prodicione audita, nimio dolore percussus exequo inter fugiendum cecidit, equorumque non minus suorum quam hostiū pedibus attritus, vitam finiuit. Adhæc Tripolis princeps ac Sybeius, qui equitandi peritia nemini cedebat, interfecti sunt. Gazelles euasit, ac collectis in vnum, qui superfuerant, Mamaluchis, Damascum se contulit. In eo conflictu plurimi excellentes equi, nimium cum laborem tum calorem sufferre non valentes, medijs crepuere. pugnatum est enim nono Kalendarum Septembrium, sicuti duobus retro annis eodem die & simili fortuna cum Persis pugnatum fuerat. Sulthani cadauer illæsum, quod ad vulnera attinet, inuentum est. Fuerat Sulthanus ipse homo admodum pinguis, senioque iam confectus, vt qui septuagesimum sextum annum ageret: præterea herniosus, id quod illi etiam præcipua mortis causa fuit, quando ob huiusmodi impedimentum in fuga celeriter equitare non potuerit. Verum vt ad Selymum reuertamur, egregia hæc victoria Syriæ portas omnes Turcæ reserauit. Nam Alepum, Amanum, ac Damascum profectus, summo cum gaudio tanquam populorum è tyranni manibus liberator ab omnibus exceptus est. Mamaluchi verò omnes tam qui auferant, quam qui maritima loca tuebantur, Alcairi conuenerunt, ac Tomūbeium Alexandria præfectum (Armiralium nunc vocant) Circassum quidem genere, sed hominem cum egregij corporis, tum inuicti animi dotibus, regiam dignitatem præferentem, Sulthanum creauere. Is statim quicquid seruorum, quicquid Arabum inuenire potuit, simul contraxit, ac Rhodū misit, qui machinas æneas afferrent. præterea Mathabæam Alcairo vicinam exactè muniuit, relicto in Iudææ Gaza Gazelle cum militum manu non contemnenda, qui hostium transitum impedirent. Verum enim uero Selymus vbi noui Sulthani bellicum apparatus audiuit, petere omnino Alcairum constituit, sicque inter eundem Hierosolyma profectus, atque ibidem per aliquot dies commoratus, templum inuisit, monachisque eiusdem loci incolis elemosynam dedit. Sinamus autem cum viginti millibus equitum, ac plurimis Ianizaris sclopettarijs (vt vocant) Imperatorem præcedens prope Gazam cum Gazelle conflixit, ac Mamaluchos tandem post cruentam pugnam fudit. Gazelles accepto in cervice vulnere præter omnium opinionem è medijs Turcarum

turmis

turmis euasit. Porro Sinamus Mamaluchorum capita cum suis illis demissis barbīs secundum viam ad palmarum truncos affigi curauit, vt à Selymo illac transituro postmodum viderentur. Selymus vero ea victoria lætus, quamplurimas vtres parari iussit, quibus aqua per arenosa deserta ferri posset, atque exercitum Alcairum versus direxit, quo in itinere sæpius cum Alarbīs, quos vocant, pugnatum est. Tandem Selymus Matharea, vbi balsamum nascitur, ab Alcairo circiter quinque miliarijs distantem peruenit: quem locum Tomumbeius æreis machinis, fossis & apertis & occultis, maximisque propugnaculis, ne patēret hosti transitus, munierat, ibique castrametatus milites sub papilionibus esse iusserat. Cæterum quum Turcicus exercitus illuc appropinquasset, duo Mamaluchi ex Albania oriundi, meliorem fortunam quæsituri, è castris ad Turcas ipsos transfugere, Tomumbeijque consilia Sinamo conterraneo suo manifestantes, loca ostenderunt, vbi fossæ cratibus canneis coopertæ, quæ præcipites exciperent equos, latitabant. Adhæc vbi & quomodo æræ machinæ dispositæ essent, indicauerunt. Id quod proculdubio in causa fuit, vt postea Selymus victoria positus sit: magno enim circuitu ad sinistram arrepto itinere, præparatas insidias euitauit. Tomumbeius vbi rerum à se dispositarum ordinem proditione reiectum vidit, spe omni iam ferè destitutus, machinas ipsas aliò traducere conatus est. Verum quum non ex ære, sed ex ferro, vt antea fieri consueuerant, confectæ, atque in trabibus quibusdam multo ferro munitis, non super currus collocatæ essent, difficulter deduci poterant: nihilominus leniores aliquot curribus impositas secum accipiens, contra Turcas profectus est. Nullibi vnquam memoria hominum crudelius pugnatum est, quum vterque princeps vitæ, honoris atque imperij omnem spem nulla alia in re, quam in victoria posuisset. Gazelles maxima militū multitudine stipatus, Sinamum est adortus. Magnus verò Diadarus Mustaphæ cornu inuasit, Sulthanus autem ipse in Selymi ordines inuectus est. ac prius quidem ex vtraque parte machinæ æræ globulos in hostes, maximis militum acclamationibus emisere, mox ingēs Mamaluchorum numerus Turcas circumdedit, ac circum impedimenta maximum excitauit tumultum. Verum in medio maior strages est ædita, in qua etiam fortis atque egregius eunuchus Sinamus interijt. Iamque victoria ad Mamaluchos inclinare videbatur, quum Selymus Ianizaris, vt suis adessent, signum dedit. Hi verò seruato ordine progressi, quadam veluti grandine globulorum è scopiæ quos ferebant emissorum, Mamaluchos illico terga dare coegerunt. Ergo Tomumbeius vbi pugnando strenui etiam militis officio functus esset, ad Alcairi portas se contulit, vt exercitus reliquias colligeret. Idem fecit & Gazelles, sicque ambo incolumes euasere. Diadarus autem ac Bido præfecti, incredibilis fortitudinis viri, lethalibus acceptis vulneribus capti sunt: quos Selymus nō ita multo post ad expiandos Sinami manes interfici iussit, testatus se tantū è Sinami morte doloris, quantum ex parta victoria lætitiæ accepisse. Tomumbeius autē sapiētes reges imitatus, qui etiā in aduerso animo semper infracto sunt, Mamaluchos hortari cœpit, vt munire urbem, atque in singulis vicis, imò in singulis domibus contra hostē persistere vellent: præterea plusquam sex mille seruos Aethiopes manumisit, atque ad id bellum armauit. Adhæc Alcairi ciuibus persuasit, vt se à communi omnium crudelissimoque hoste tuerentur, sicque effectū est, vt summa diligentia dignioribus

urbis locis munitis, vijsque omnibus interclusis, etiam foeminae ad hanc ultimam pugnam disponderentur. Selymus vero huiusmodi apparatus optime norat, nimirum per eos seruos, qui ad ipsum transfugientes, Sulthanum deserebant: quemadmodum plerunque fit, ut aduersa domini fortuna, beneficiorum acceptorum in memoriam seruis adimat. Magna igitur sollicitudine curabat, ut exercitus quamcitissime fieri posset, vires recuperaret, ac praecipue ut vulnerati medicorum auxilijs iuuarentur. Tandem quum quarto post commissum praelium die Alcairum ingredi decreuisset. Iunus Bassa Ianizarorum cohorte, ac nonnullis equitibus, necnon & machinis aereis secum ductis, primus urbem est ingressus per eam portam, quae Bassuela vocatur, quo in loco non ita diu pugnatum est. Selymus paulo post hunc est insecutus, ac sic demum Alcairi ciuitatis egregiae loca paulatim expugnata sunt, sed adeo difficulter, ut aspera illa atque cruenta pugna per duos dies, ac totidem noctes, cum vtriusque partis ingenti strage perseuerauit. Tandem bona Mamaluchorum pars in magnam quandam Meschitam concesserunt: vbi cum pugnando defessi etiam fame laborare cepissent, vitam cum Turcis prius pacti sese dedidere. Verum Selymus promissis minime stetit: nam eos omnes Alexandriam missos in carcere decollari iussit. Tomumbeius cum Circassorum parte trans Nilum profectus ad instaurandum bellum, milites congregare, Mamaluchosque omnes ac multos Arabum duces ad se vocare. Gazelles autem prudentium virorum exempla secutus, qui posteaquam quod officij sui est praestitere, cum fortuna, ne penitus frangatur, inducias agunt, ad Selymum venit, seque illi ut dignissimo victori dedit, ac pollicitus est se Turcis eadem fidelitate inseruitorum, qua Sulthanis antea inseruierat. Selymus humaniter hominem excepit, atque inter suos duces locum ei non infimum concessit. Octauo inde Calendas Februarias anni MDXVII Alcairi arcem ingressus est, quae in colle haud admodum eminenti sita, deauratis, pictisque edificijs, fontibus, hortis ac plateis miro artificio stratis pulchrior, quam muris munitior est. etenim ipsius & portae & fenestrae preciosissimis rebus, nimirum marmore, ebore atque ebene egregie insculptis ornantur. Neque ita multo post Selymus propere Bulacum vicum e nauibus pontem supra Nilum construxit, ut commodius contra Tomumbeium flumen transfret. Quo perspecto Tomumbeius partem Turcici exercitus, quae trans pontem castrametata fuerat, de improviso adortus, tumultuarium conflictum iniit. In quo quum Iunus Bassa periclitaretur, Canolius affinis Selymi, occupato adhuc a Ianizaris, qui nondum omnes pertransierat, ponte, Nilum cum Tartarorum manu natando transgressus est, ut celerius suis adesse posset. Id quod ob Nili profunditatem immensam miraculo penes ascriptum est. Porro Tomumbeius, quum instaurata saepius maximis viribus pugna, in qua & ipse proprijs manibus egregia facinora edebat, imperum Ianizarorum ac Tartarorum diutius sustinere non posset, aduersam fortunam execratus, rebus suis fuga consuluit. Selymus autem vbi Tomumbeium cum paucis effugisse accepit, Mustapham vna cum Caierbeio & Gazelles, qui regionem optime norant, ad eum insequendum misit. Vnde infelix Tomumbeius per Principem quendam Maurum proditus, atque in palude, vbi inter cannas & iuncos pectore tenus in aqua latitabat, inuentus, ad Selymum perductus est. Selymus autem adhibitis tormentis hominem vexauit, ut quo nam in loco thesauri Campsonis

Gauri

Gauri essent, ex ipso agnosceret. Sed Tomumbeius incredibili quadam animi constantia nihil vnquam indicauit. Verum Selymus non ita multo post, vt omnem defectionis spem populis adimeret, Tomumbeium mulæ insidentem, atque annexum gutturi laqueum habentem per totam urbem duci, ac demum prope portam Bassuelam tertio idus Aprilis suspendi iussit: omnibus crudele hoc spectaculum deplorantibus, atque iniquam fortunam accusantibus, quæ ipsum Tomumbeium ob singularem virtutem ad imperiū vocauerat, ac mox regum omnium, qui vnquam miseri extitissent, miseriores effecerat. Sublatis his duobus Sulthanis, vnâ cum ferè tota Mamaluchorum superba progenie, prouinciæ omnes, etiam quæ in extrema sinus Arabici parte sitæ sunt, Turcis sese dedidère. Selymus verò post hæc Bulacum petijt, vt Nilum iucundissimè illic excrecentem videret. Inde Alexandriam profectus est, ex quo demum loco Alcairum reuersus Caierbeium administrandis paulò ante deuictis prouincijs, præfecit, vt prodicionis in Alepino conflictu factæ, id illi præmium foret. Sed enim Iunus Bassa, qui munus hoc honorificum sibi tradi vehementer exoptabat, id ægerrimè tulit. Vnde etiam id honoris Caierbeio inuidens, curauit vt Ianizari, qui Alcairum custodiebant, statim à Principis discessu in vnum collecti tumultum excitarèt, quo Caierbeius ob id malè audiret apud omnes. Verum scelus in authorè recidit. Nam Selymus cognita Iuni fraude in itinere non procul ab Alcairo capite eum puniri iussit: vt omnibus ostenderet non esse aduersus Imperatorem tumultum militari ludendum. Mox quum in Syriam venisset, eius prouinciæ administrationem Gazelli concessit, Turcis iam inter se murmurantibus, quòd princeps proditorib. fideret, ac Turcicorum Ducum officia parui æstimaret. Tandem Selymus Constantinopolim peruenit, quo in loco sub Pyrrhi Bassæ magne fidei ac singularis prudentiæ viri cura, vt reliquerat, sic inuenit: licet antea veritus (vt multi iudicarunt) ne sibi absenti Solymanus imperium adimeret, quemadmodum ipse Baiazeti patri ademerat, quum veste quadam veneno intincta dono missa filij vitæ pater insidiatus esset. Neq; ita multo post Selymus domi agens, vlcus in renibus contraxit, quod canceris in morem serpens, eam corporis dispositionem, quam complexionè vocant, paulatim turbauit, atque omnia bellandi cõsilia expulit. Post paulum etiam pestifera febris hominem inuasit, sicque iam morbi tædio sibi ipsi grauis, victorijs ac triumphis exaturatus, mortem obiit salutis nostræ anno MDXX in mense Septembri, in eodem pago Ciurlano, vbi prius cum patre conflixerat. Quod non sine manifesto Dei iudicio factum est, vt quo in loco peccatum commiserat, ibidem & pœnas solueret. Præfuit imperio annis octo, agebatque, quum obiit, ætatis annū XLVI. Verum quod ad corporis membra attinget, ventrem admodum demissum breuioribus cruribus sustentabat. Vnde etiam eques magis quam pedes commendabatur. Faciem subrotundam ac pallidam, oculos prægrandes & feritate plenos habebat. Animi verò magnitudine leonem æquabat. Nihil sibi vnquam à fortuna pertimuit. Nullum ob periculum quamuis manifestum susceptas semel expeditiones vnquam dimisit. Consilia dubia, sed spem aliquam honoris continentia, securis, sed illaudatis præferbat. Alexandrum magnum, ac dictatorem Cæsarem pluris quam alios omnes antiquos duces faciebat. Quam ob rem etiam ipsorum gesta in Turcicam linguam versa, sine intermissione legebat. Natura verò seuerus et

ratatque inexorabilis, semper cogitabundus, nunquam præceps, præsertim in exequenda crudelitate, quæ tamen sæpius inniti iustitiæ visa est. Mustaphâ interfecit, quia parum fidelem comperit. Chendemum Bassam necari iussit, quoniam sibi contra Persas eunti tot difficultates obiecerat, ut Ianizari in unum collecti transire Euphratem recusarent. Bostangi Bassæ genero suo caput amputari præcepit, quod prouincias, quibus eum præfecerat, expilasset. Iunum Bassam interficiendum curauit, ut ipsius nimiam arrogantiam cum infidelitate coniunctam puniret. Dicere consueuerat, se non nutrire prolixam barbam veluti Baiazetes pater effecerat, ne Bassæ manibus in illam iniectis, ducerent principem quò vellent, quemadmodum euenerat Baiazeti. Nimia tamen in proprium sanguinem crudelitate infamem se reddidit. Verum ipse affirmabat, nihil esse dulcius, quam sine consanguineorum timore ac suspitione regnare, seq; ob id excusatione dignum arbitrabatur. Quod si vel minimus quispiam ex Ottomannico sanguine in principem prius euassisset, sibi quoque eodem modo pereundum fuerat. Præterea eum minimè prudentem esse aiebat, qui quod proposuisset, non illico exequeretur: quoniam in mora sæpe amitteretur occasio, atque impedimentum designatę sententię contrarium oboriretur. Summa hæc est: In arte militari, atque in populorum regimine excellentissimus ac rari nominis vir extitit, quippe qui iustitiam ubique seruandam præciperet. Aloisius Mocenicus vir clarissimus vnus ex Venetis oratorib. qui Bononię apud Maiestatem tuam fuere, nobis retulit, se neminẽ vnquam hominum Selymo (nam apud ipsum quoque Alcairi oratorem egerat, diuque cum illo fuerat versatus) parem, quod ad iustitiam, humanitatem, animi magnitudinem, atque alias huiusmodi virtutes attinet, inuenisse, nullosque barbaros mores in eo fuisse, assererat, & quicquid à vulgo illi obijciebatur, egregiè refellebat. Porro consueuerat Selymus (ut ex serenissimo Gritti Venetiarum Duce accepimus) nonnunquam edere semen quoddam Turcis notum, quod rerum seriarum ac molestarum memoriam hominibus adimit, eosque liberos ac iocundos per aliquot horas facit. Id quod ipse efficiebat, ne profundius grauioribus cogitationibus inhæresceret, sed ad oblectandum animum aliquod temporis spacium haberet. Venationibus summopere delectabatur: sed mulieribus nimium dedituserat. Verum tanta in victu modestia utebatur, ut non nisi ex vno ferculo comederet, quod plerunque potius è feris venatione captis, aut eiusmodi vilioribus carnibus. quam è volatilibus sibi eligebat, quemadmodum & priuati milites efficere consueuerant. Id quod in causa erat, ut etiam inter tot labores, quos in remotissimis regionibus sub vario subinde cælo sustinebat, prospera semper valetudine vteretur.

S O L Y.

Solymanus.



Olymanus vnicus Selymi filius successus est patri eodem anno, quo tua Maiestas imperatorio diademate Aquisgrani coronata est. Nec parum Christiani Principes Selymi tam fortis ac fortunati hostis morte lætati sunt: sed præ cæteris prudentissimus Papa Leo X. tantum ex ea re concepit gaudij, quantum tristitiæ paulo antè audito Sulthani interitu acceperat. Nam eo interitu nunciato litanias ac supplicationes pulicas, in quibus homines nudatis pedibus incederent, Romæ haberi piè curauerat: legatosque per totam Europam miserat, qui id efficerent, vt Christiani in vnum coeuntes, contra Christianorum omnium hostem arma sumerent. Nihilominus quod ad Solymanum attinet, omnibus videbatur mitem agnum rabido leoni successisse, cum Solymanus ipse iuuenis rerum imperitus, ac natura (vt ferebatur) quietissimus esset: que tamen sal-

fa opinio multos atque inter eos Gazellem præcipue fefellit. Etenim is defuncto Selymo, cui se iuramento deuinxerat, veluti iam liber, Syriam sibi subijcere proposuit. Vnde & reliquias omnes Mamaluchorum excipiens, regionis simul incolas, necnon Alarbium duces ad se blanditijs alliciebat: præterea se magno Rhodi magistro insinuauit, vt machinas æreas quæque ijs necessaria sunt: insuper arma ac triremes inde acciperet. Adhæc legatum occultè Alcairum ad Caierbeiu misit, qui eum hortaretur, vt de iniurijs & sanguine Circassorum effuso vindictam sumeret: atque occisis Turcis Principem se constitueret, Sulthanicumque imperium denuo instauraret. Verum Caierbeius Gazellis veteris inimici verbis minimè fidem adhibens, aut fortasse maiorem quam pro suis viribus difficultatem in huiusmodi peragendo negotio futuram considerans, legatum interfici iussit, ac Solymanum eius rei admonuit. Solymanus Faratem Bassam cum valido exercitu statim in Syriam misit. Quod cum audisset Gazelles, licet iam Baruti ac Tripoli, alijsque in locis plura Turcarum præsidia expugnasset, terrore tamen perculsus, Damascum sese recepit, quod quidem & Farates longis itineribus tandem peruenit. Cæterum Gazelles nihil aliud suis rebus magis expedire arbitratus, quam vt fortunæ omnia committeret, quæ aut victoriam, aut mortem generoso duce dignam afferret, exercitum, quem congregarat, extra urbem duxit, ac mox cum Farate cõflictit. Sed enim in eo conflictu ipse vna cum Mamaluchis omnibus trucidatus est. Farates vero vna hac victoria & Syriam recepit, & Caierbeij totiusque Ægypti fidelitatem erga Solymanum confirmauit. Porro Solymanus eo anno, qui hanc victoriam secutus est, Pyrrhi natione Turcæ prudentissimi viri consilio, ac Ianizarorū hortatu, Belgradū, vbi quamplurima ex Turcis deuictis posita ab Hungaris trophæa cernebantur, aggredi constituit. Igitur præmissis exercitu Sophiam vsque, quæ Seruiæ ciuitas est, antè peruenit, quam Hungari ea de re aliquid resciscerent. Enimvero quod ad Hungaros attinet, per id tempus Vladislao, qui per aliquot annos absque militari gloria regnum administrarat, Ludouicus vnicus filius successerat, iuuenis haud admodum ingeniosus, atque ob ætatem adhuc rerum imperitus. Hinc regni principes atque ecclesiarū præfules auari expilandum sibi proposuerant, adeo vt nihil ipse præter regium nomen possideret: id quod in causa extitit, quominus colligi exercitus contra Turcas illico potuerit, præsertim principibus auxilia pollicentibus tantum, nihil autem re ipsa præstantibus. Hinc Solymanus nullo impediante commoditatem nactus, subterraneis cuniculis, æreis machinis atque alijs huiusmodi bellicis instrumentis, paucis è suis amissis Belgradum expugnauit: quod quidem non tantum Hungariæ, sed totius Christianitatis propugnaculum erat, quemadmodum in fortuna, quæ postea insecuta sunt, manifestè ostenderunt. Solymanus quum post eam victoriam per integrum annum quieuisset, generosa quadam animi promptitudine contra Rhodum arma sumpsit, Pyrrho ac pluribus Saniacis minimè probantibus. etenim adhuc memores erant, quam difficulter, quamq; magno cum suorum damno ac dedecore Mahometes antea id frustra tentasset: sed super omnia parum tutum Imperatori iudicabant, vt seipsum tam paruæ insulæ committeret: fieri enim posse arbitrabantur, vt classis Turcica vel aduersa tempestate, vel Christianorum nauibus impetita, ingens aliquod incommodum sustineret: id quod principem ipsum in manifestum

festum discrimen induceret. Nam illis æquum ac rationi consentaneum videbatur, ut occidentales principes Rhodijs suppetias ferrent. Verum Solymanus, qui ex patre audierat, victorias, nisi Imperatoris manu parentur, non esse omnino integras: per seipsum tandem petere insulam decreuit. Sicque anno ab orbis instauratione MDXXII, sub Iunij mensis finem cum quadringentis nauibus, ac ducentis Turcarum milibus illuc se contulit, æreasque quamplurimas machinas secum duxit, quibus deinde super duos montes dispositis, omnem defendendę vrbis cōmoditatem abstulit. Hos autem montes (quod incredibile est etiam qui viderunt, penè fuit) ipsi Turcę construxerant, terra per spacium duorum à ciuitate miliariorum ligonibus atque eius generis instrumentis contra vrbis fossas proiecta, & in eam altitudinem coaceruata. Tantaque Turcarum multitudo, earum operarum more, quibus nostri exercitus in excauandis vel implendis fossis, atque alijs huiusmodi ad bellum necessarijs exequendis vtuntur, huic operi incubuerat, ut breui ad fossas vrbis peruentum esset, in quibus iam & excauarentur cuniculi, & mœnia varijs instrumentis demolirentur. Philippus autē Villadamus Gallus Rhodiensium equitū Magister, nihil cum suis, quod ad defendendam ciuitatem pertinebat, prætermisit. Quin machinis æreis maximum etiam damnum Turcis intulit, adeoque egregie comminus pugnatum est, ut fossę vrbis Turcarum cadaueribus repletę fuerint. Neque tamē propterea Solymanus oppugnationem vnquam remisit, quamuis etiam triginta milia & eo amplius Afapporum dysenterię morbo iam perisissent. Tandem deiectis turribus, ac mœnibus demolitis per subterraneos cuniculos, Turcę vrbis extremas partes occupauerunt. Vnde paulatim semper vltius progredientes, Christianos cedere, ac nouis subinde propugnaculis, ut poterant, se tueri compellebant. Præterea machinæ quædam ærę, quas mortarios vocant, globos, qui vlnę diametrum habebant, emittentes, vrbisq; interiorē partē impetentes, tecta ac pauimenta domorum vsq; ad terram cum maximo omnium terrore perforabant. Iamque aliquot menses ab incœpta obsidione præterierant, & nihilominus Rhodijs adhuc nemo suppetias tulerat, quum tamen interim Turcis et à Farate ex Natholia, et à Caierbeio ex Alexandria auxilia quamplurima aduenissent. Nam ipse Caierbeius quadraginta naues rebus ad bellum necessarijs onustas miserat. Cæterum dum hæc apud Rhodum gererentur, Hadrianus Papa cum nonnullis nauibus ac triremibus, peditemque circiter tribus milibus ex Hispania in Italiam venit. Hunc Cardinalis Medices, qui nunc Papatui præest, atque alij quamplurimi rogarunt, ut eas naues ac pedites vnā Rhodum mitteret: futurum enim sperabant, ut validioribus Autumnij ventis adiutæ, inuita etiam Turcica classe portum ingrederentur: præsertim quum quinquaginta Venetorum triremes in Cretam tunc essent, quæ hac in re non nihil auxilij saltem sese hostibus ostentando, attulissent. Verum sanctissimus pater, qui recens Pontificatum acceperat, ipsorum consilijs tanquam suspectis minimè adherens, id gratiæ diuinitus non habuit, ut negociū hoc iuuandi Rhodios amplecteretur. Quam ob rem Rhodij ipsi spe omni destituti, Villadamo authore sese Turcæ dediderunt, cum illo tñ prius pacti, ut & viuere, & res proprias possidere, demptis æreis machinis vniciq; concederet: quas conuentiones Solymanus humanissimè ac religiosissimè seruauit. Præterea res diui Ioannis templo sacras ne attigit quidem, à quibus no-

stri milites fortasse non abstinuissent. Equidem Viladamo referente audiui, quòd quum Solymanus triginta milibus hominum comitatus Rhodum ingressus est, ne vnum quidem verbum est vnquam ex alicuius ore auditum, adeo vt milites per urbem incedentes, monachi obseruantes, quos vocant, esse viderentur. Adhæc Viladamus ipse aiebat, se quum secundo ad Solymanum, vt abeundi peteret veniam, accessisset, tam benignè fuisse exceptum, vt idem Solymanus ad Habraimum Bassam, quem summopere amabat, quemq; solum tunc secum habebat, conuersus huiusmodi verba dixerit: Profectò non possum non dolere infelicem hunc senem propria domo pulsum, adeo tristem hinc abire. In summa Solymanus maxima cum sua gloria, & Christianorum omnium summo visuperio Rhodum, quæ sibi veluti molesta sudes in oculo fuerat, sexto mense ab eo, quo ipsam oppugnare cœperat, occupauit. Porro, eodem ipso die, quo Rhodij se Turcæ dedere concluserunt, Romæ magnum Hadriano Papæ prodigium accidit. Nam quum is palatij sacellum ad solennes natalis diei Christi cæremonias peragendas ingrederetur, ianuæ illius sacelli superliminare, quod marmoreum erat, post eius ingressum illico decidit, ac nõnullos custodiæ suæ milites cum maximo ipsius timore occidit. Sed vt ad Solymani res reuertamur: post captâ Rhodum, Caierbeius statim defunctus est, cui Acomathes Bassa, quod ad administrationem attinet, successit. Verum is cum parum suo principi fidelis esset, occupare Sulthanicum imperium proposuit, sed id quidem parum consultè, quoniam in ipso pertractandæ rei huius initio à Turcis eo fidelioribus captus atq; interfectus est. Quam ob causam Solymanus Habraimum Bassam Alcairum misit, vt is res turbatas componeret: qui omnia singulari prudentia subito pacauit. Mox principis, qui eum diutius abesse sufferre non poterat amantissimis literis reuocatus, Constantino-polim redijt: ac non ita multo post Belerbeia dignitate donatus est. Sub hæc Solymanus, anno post Christum natum MDXXVI, Hungaris bellum indixit: quumque Belgradum peruenisset, Ludouicus infelix rex, omnium Christianorum principum alijs bellis impeditorum auxilio destitutus, præterquam Clementis Papæ, qui Bohemis ac Germanis peditibus nonnullis e suo stipendia exhibebat, hosti obuiam ire constituit, quadam potius fatali necessitate, quam aut belliratione, aut spe victoriæ ductus. Neq; enim securæ atq; honestæ belli protrahendæ viæ illi deerant, etiam si regni pars aliqua fuisset amittenda: etenim ex ea re minus damni accepisset, quam ex totius regni amissione postmodum accepit, præsertim quum Ioannes Vaiuoda vnâ cum quamplurimis militibus assuetis pugnare cum Turcis quotidie expectaretur. Sed Paulus Tomoreus Collocësis archiepiscopus, monachus Franciscanus, vir manib. promptus, ac ingenio nimium audaci, consilia omnia pugnæ auiditate interturbauit. Enimuero se iam posse belli ducem agere existimabat, propterea quòd semel aut iterum cum Turcis, non quidem integra acie, sed leuioribus quibusdã pugnis ac tumultuarijs incursionib. feliciter congressus fuerat. Nam post præstantiss. regis Matthiæ obitum, Hungari, quod ad bella pertractanda attinet, semper inglorij extitere. Etenim Ladislaus militarem disciplinam atq; a rege Matthia institutos militum ordines, adeo labefactari permiserat, vt Hungari qui tunc sub Ludouico militabant, nullam bellandi peritiam, sed solummodo quandam temerariã audaciam ac ferinum furorem haberent, quo se posse Tur

cas omnes in primo congressu deuorare præsumerēt. Summa verò totius Hungarici exercitus, non nisi viginti quatuor milia hominum in pedites equitesq; distinctorum continebat: qui quidem quum Mogatium ad Danubium sitū, Budamq; ac Belgradum æquis ferè spacijs dirimentem peruenissent, anteriorem Turci exercitus partem, quam Balibeus Belgradi Saniacus conducebat, haud procul abesse conspexerunt. Viginti milia equitum erant, qui planiciem importunis & molestis excursionibus ac leuibus pugnis die noctuque sine intermissione infestabāt. in quatuor enim turmas diuisi, senis horis, quo per integrum naturalem diem semper adessent alijs alijs per vices succedebant. Hungari verò inter currum septa, necessitate sic cogēte clausi, ne aquatum quidem equos ducere ad Danubium non nisi quantum sagittæ iactus est ad sinistram distantem, audere, sed puteos ad aquam eo loci, vbi continebantur, inueniendam continuè excauare. Interea Solymanus cum reliquo exercitu se suis adiunxit, ac milites ex Romania profectos Habraimo, ex Natholia verò missos Becramo Bassæ ducendos commisit. Tomoreus autem militib. omnibus in latā quādam aciem constitutis, inter peditū cohortes, equitū turmas disposuit, ne facilè à Turcis, qui multo plures numero erant, circumdari possent. Præterea pauculas illas æreas machinas, quas habebat, in locis opportunioribus collocauit, atque ad curruum custodiam eos, qui minus in bellis exercitati erant, reliquit. Rex verò ipse post aciem mansit, electosque equites circiter mille præsidij nomine seorsum constituit. In ipso autem conferendarum manuum initio Turcæ bis machinas æreas globulis in hostem eiectis exonerarunt. Verum ij qui machinis ipsis exonerandis (quos nominant bombardarios) præerant, altius quàm debuerant ferientes, vix nostrorū lanceas frustraneis ictibus attigerunt. Creditum est id consultò fuisse factum, propterea quòd Christiani sint ij, quorum opera in eare Turca vitur. Equitatus deinde Turcicus in Hungaros immissus est, quò acriter à fronte pugnante, turma itidem Turcicorum equitum currus à tergo inuasit. Quumq; ijs succurrere necesse esset, equites illi, qui in regis præsidium in omnem fortunæ euentum seruabantur, eò missi sunt. Interea verò Tomoreus multitudine pignantium Turcarum oppressus interfectus est vnà cum Strigonia & Varadino præsulibus, q̄ plurimisque nobilibus, inter quos Ambrosius Sarconus, & Gregorius Vaiuodæ frater extitè. Sed et ipse infelix Rex destinato antea præsidio destitutus euadere minimè potuit. Etenim inter fugiendū in palustrem quandā foueam descendit, ex qua cū emergere ascendendo conaretur, ab equo, qui in terga in paludem obuersa decidit, oppressus est: & quia grauioribus armis indutus erat, sub trahere sese ex equo non valuit: sicq; tandem coactus est ibidē miserrimè vitam finire. Germani autem ac Boemi pedites non nihil quidem restiterunt, sed nihilominus & ipsi demum occisione occisi sunt. Pauculi equites effugerūt. Solymanus stultitiam regis vehementer admiratus est, qui ducentis hominum milibus cum tam paruo exercitu obuius factus esset. mox Budam profectus, vrbis arcem his conditionib. se dedente, vt & homines & res priuatæ incolumes seruarentur, benignè accepit, ac firmiter conuentionibus stetit. Duas deinde statuas æreas per probatissimos olim artifices Matthie regis iussu fabrefactas Constantino-polim duci, ac super bases è marmore pulcherrimo ornatu constructas, veluti victoriæ trophæum in foro erigi curauit. Et pugna quidem hæc eodem (quem

superius memorauimus) anno MDXXVI. IIII. Cal. Septemb. pugnata est. Verum enim uero Solymanus post eam ipsam pugnam ob hyemis vicinitatem haud diu in Hungaria moratus, Constantinopolim reuersus est. Nec aliquid postea contra Christianos est molitus, nisi Viennæ oppugnationē, in quanos quidem auxilio Dei ac Germanorum virtute victoriā sine conflictu adepti, agnouimus quanto in discrimine vniuersa Christianitas extiterit. Et proculdubio dominus noster Iesus Christus eo periculo ac damno principes Christianos admonitos voluit, vt rebus suis consulant, ne eos succumbere contingat, si parum vigilantes iterum à Turcis impeterentur. Illud tibi optime Cæsar persuadere potes, Solymanum, qui natura glorię cupidus, atq; ob victorias plurimas, imperijsq; magnitudinem audax est, nihil aliud magis in animo habere, q̄ vt regna tibi subiecta tandē occupet. Etenim ex hominib. integris, quorum verbis fides haberi potest, accepi, Solymanū ipsum dicere sepius esse solitum, Romę ac totius Occidentis imperium ad se spectare, propterea quod ipse Imperatoris Constantini, qui Byzantiū imperium transtulit, legitimus successor sit. Neq; id te lateat, Solymanum res Christianorū omnes optimē atq; exactissimē callere, nec minus animi q̄ virium habere, vt plura simul bella cōficienda suscipiat. Adhęc in rebus ferē omnib. mirabili iudicio versatur. Deniq; virtutibus quam plurimis ornatus est: precipuisq; illis auaritię, crudelitatis atq; infidelitatis vitijs caret, in quibus Selymus, Baiazetes, ac Mahometes, qui ipsum præcesserūt, fuere. Sed super omnia religione ac liberalitate præditus: quę duæ res faciliè hominē in cælum subuehunt. Etenim religio iustitiā ac temperātiā parit: liberalitas verò militū animos sibi deuincit, ac certam præmiij spem in eorum omnium animis seminat, qui per virtutē ad meliorem fortunam conscendere student. Porro ñisdem virtutib. Habraimus quoq; Bassa, qui præcipua auctoritate omnia gubernat, ornatus est. Is enim in omnib. suis actionib. iustus, ac natura sobrius, castus et patiens habetur. præterea eos, qui varijs de causis ipsum accedunt, et liberrimē audit, et citissimē expedit. Hunc alij duo Bassę tanquam herū venerātur, quod ipse tam in bellicis q̄ in ciuilibus negocijs pertractandis, ac pecunijs ex prouincijs omnib. colligendis auctoritate principi ferē equalis sit. Natus verò est in Macedonię vico, quem Pargam vocāt, à Corcyra non admodū remoto: ac Schenderi Bassę seruus fuit: cuius etiam filiam postea in vxorem accepit. Cæterum ab ineūte etate cum Solymano (fortuna sic disponente) educatus, mores grauissimos atq; optimos semper seruauit, adeoq; temperatē gratia & fauore principis vsus est, vt nihil arrogantię, nihil inde superbicōtraxerit, quemadmodū plerunq; ñ facere consueuerunt, qui ex huiusmodi loco in altum conscendentes, amplitudine aspirantis fortunæ abutuntur. Tanta hinc beneuolentia Imperator ipsum prosequitur, vt multos, ob id tantum q̄ illi inuiderēt, perdidit: inter quos extitit Farates Bassa, qui q̄ tantam Habraimi sublimitatem ferre non posset, interfici iussus est. Pyrrhus quoq; & Visirio munere et aulę cōsuetudine honesto quodam exiliij genere ob eandem causam est priuatus. Mustapha autem Bassa, qui superiore anno defunctus est, ob id ipsum principis indignationē penitus incurrisset, nisi ipse princeps ei culpam condonasset, propriæ tantum sororis intuitu, quę olim quidem Bostangi, cui caput Selymus amputauit: nupserat, tunc verò ipsius Mustaphę vxor erat. Quod verò ad imperij Turcici solidos prouentus attinet, Imperator ipse, connumeratis cum prioribus suis, etiam Sulthanici regni redditibus, sexagies

centena milia aureorum singulis annis habet, ex quibus quinquies & quadragies centena millia expendit, nihilominus quoties ei belli tempore populos censere libet, ex quavis vel minima summa census extraordinarie imposita, pecunias innumerabiles corradit, adeo ut quod ad agrarium pertinet, ex bellis potius lucretur, quam in damno sit. Præterea plus gemmarum ac thesaurorum solus possidet, quam cæteri omnes orbis principes simul possideant. Adhæc tantam ærearum machinarum, ac rerum ad illas attinentium copiam, tantumque papilionum, armorum, nauium, ac triremium apparatus habet, ut quilibet, qui pauperiem nostram aliquousque norit, facile iudicet, eum pluribus simul principibus vno & eodem tempore bellum inferre posse. Et sanè quemadmodum tua Maiestas pluribus regnis præest, quam aliquis vnquam Occidentalis præfuerit Imperator, ita Solymanus potentia imperijque amplitudine Reges externos omnes, de quibus historie meminere, sine controversia superat. Quo fit, ut multi existimant, velle iam Deum, orbem vniuersum in veterem monarchiam redigere, ut maiestatem tuam vnica victoria tantæ re quam nomine Cæsarem Augustum constituat.

O R D O A C D I S C I P L I N A

Turcica militia.

Nis omnis Turcicae militiae in Portæ militibus, quos vocant, sita est: non verò homines selectissimi sunt, partim peditum, partim equitum, ordinibus adscripti. Spachi Oglani (sic enim eorum aliquot Turcæ appellant) digniorem obtinent locum. Nam non ipsi in eo, cui Clausuræ nomen est, loco educati ac literarum atque armorum disciplinis instituti, veluti Principis filij habentur. Legatorum ac commissariorum, præsertim si honorificum aliquod atque utile negocium peragendum sit, muneribus funguntur, ac Saniacatibus atque alijs huiusmodi dignitatibus præficiuntur. His præterea Clausuræ iam dictæ mulieres, nec non filie ac sorores ipsius Principis nubunt. Summa hæc est, non cæteris omnibus nobiliores, ac Principi gratiores sunt. Excellentiores equos, equorumque ornamenta pulchriora, vestes preciosioribus suffultas pellibus, seruos robustiores elegantiusque indutos, quam quodlibet aliud hominum genus inter Turcas habent. Ut autem tam egregie ornati incedant, Persicæ atque Alcairienses efficiunt prædæ. Nam antea sub Mahomete, nec preciosis pellibus, nec gemmis, nec pannis auro intertextis, nec multis holosericis vestibus utebantur. Sunt verò non numero mille, quorum vnumquemque tres aut quatuor, aut ad summum decem serui comitantur: qui quidem serui capita quibusdam, ut ipsi vocant, sarcolis limbo aureo cristaque pulcherrima exornatis obtegunt. Ipsi autem Spachi Turbantos (utendum est enim eorum vocabulis) in capite gestant, vestesque aureas varia textura pictas atque holosericas, vel tyrio, vel alio colore infectas induunt. Quum verò extra urbem equitandum est, non Principis dextrum latus claudunt. Porro sinistrum militem equites, quos Sulastros vocant, eiusdem cum Spachis educationis ac nobilitatis, non solum vestibus atque armis utentes occupant. Et non quidem bis mille equitibus honorem exhibent omnes, quemadmodum (quod exempli causa dictum sit) ducentis nobilibus illis, quos Gallorum rex apud se habet, exhiberi solitum est. Horum quamplurimi armis oculis omnium expositis induuntur, parvisque phaleris Damasceno artificio elaboratis Persarum more proprios equos ornant. Has duas equitum alas mille adhuc alij equites Vlufagi dicti subsequuntur. non

verò conflati sunt partim ex Ianizaris, qui ob aliquod egregium facinus ex pedestri ad equestrem euecti sunt ordinem, partim ex seruís, qui Bafsis ac Belerbeijs fidelem ac fortem operam in bellis nauarunt: quos Princeps defunctis eorum dominis, relatione multorum probatos assumpsit. Atque huiusmodi tres militum classes è Christianis, qui in abrenuntiaruntiam Christo, constat. Post has Carípici (ita enim à Turcis appellantur) millenarium et ipsi numerum explentes equitant. Ii verò leuis armaturæ sunt equites, eorum egregij domitores ac pugnandi arcu, lancea, scuto atq; ense, quem Cimitarram vocant, eouíque periti, vt res supra vires humanas efficere Mamaluchorum more videantur. Omnes autem ij Mahometani sunt ex varijs prouincijs, nimirum ex Persia, Turcímánia, Syria, Africa, Vlarbia, Scythia, atque etiam ex India vsque, in vnum collecti: stipendium satis amplum habent, idque priuilegij à Principe ijs conceditur, vt quandiu ipse Constantinopoli moratur, vbilibet hybernare atque æstiuare valeant. Tertia quaque hebdomada die Lunæ ad Portam (sic ipsi nominant) mittunt, qui stipendium ipsis debitum accipiant, quod quidè illis illico exhibetur. Sic Turcicus Imperator quatuor milium equitum electissimorum caterua stipatus incedit, ipsorum equitum seruís minime in hunc numerum vocatis. Nam & ij quamplurimi sunt et vestibus, armis, equisq; tam ornati, quam proprii domini, qui Principem comitantur. Sed loca deputata seorsum habent, neque ordinibus iam dictis, immiscentur.

Adhæc Ianizarorum circiter duodecim millia fortissimorum sanè peditum custodia, princeps perpetuo munitur, qui quidem & ipsi ex eorum numero sunt, qui Christum abnegarunt. Eliguntur autè ij, quum paruuli adhuc sunt, ex bellicosissimis Christianorum nationibus, atq; educantur, pars quidem in Principis clausura, pars verò apud Natholiæ Turcas: quoniam pueri omnes, siue ex tributo, siue ex bellicis excursionibus accepti, per Turcarum domos distribuuntur, atque ipsorum nomina in schedis quibusdam annotantur, vt numerus tam eorum qui emergunt, quam qui pereunt inueniri facile possit. Et vnusquisq; quidem puer aliquam mechanicam artem militiæ vtilem discit, ac simul se exercet, vt tractandorum armorum, & quibus eminus, & quibus cominus pugnatur, peritus euadat. Qui verò ex ijs ad militiam seliguntur, caput operiunt pileis quibusdam ex panno albo, sed admodum rudi in caligè similitudinem confectis, atque eos glutino vsque adeo durant, vt ictum cuiusuis gladij sustinere possint. Et qua parte huiusmodi pilei supereminet fronti, aureo limbulo precij non parui ornantur: cui inquam limbulo vaginula itidem aurea inest, quæ cristas impositas veluti conus excipit, eosque sic exornatos, Exarcolas vocant. Ensem, quem superius cimitarram appellari diximus, et pugionem Biciachum dictum, ac securiculam à cingulo post terga pendentem continue ferunt. Vtuntur præterea nominatis antea scopietis, & ijs quidem oblongis atque eos agillime pertractant. Nonnulli ex ipsis dimidiatas lanceas, atque alia huiusmodi plura bellica instrumenta portant. Et ante Selymum quidem plures eius ordinis erant, nunc autem non admodum multi sunt. Sagula quedam passim ac circunquaque densissimis filis confuta, armorum loco induunt. Faciem habent miris modis effictam: etenim barbam integram non alunt, sed eam tantum, quæ à superiore labio dependet, partem prolixè demittunt. Maior istorum pars ex Hungaris, Sclauonibus, atque Albanensibus conflatur, reliqua

liqua ex Græcis, Germanis, Polonis, Seruianis, atq; ex Occidentalibus hominibus constat. Ceterū ex integro omnium Ianizarorū ordine circiter sex milia, qui seniores sint, seliguntur, vt nō à Belerbeijs, sed ab ipso Principe immediate pendeant. Præterea circa decem milia iuuenū tyrocinium Ianizaricū exercitium varijs in locis aluntur, atq; ex ijs Ianizarorū duobus generib. in demortuorum loca suppleuntur. Porro stipendiū non omnib. æquale est, sed vnicuiq; pro meritis augetur: neque commendatione aut fauore ad hanc rem opus est: quoniā qui egregium aliquod facinus aggreditur, plurimorū oculis expositus, aut prosperā si vicerit, aut aduersam si succubuerit, fortunā experitur. Id quod in causa est, vt in viros fortissimos euadant, quemadmodū in varijs conflictib. cognoscere potuimus, Etenim post Amurathis tēpora, qui primus Ianizarorum ordines instituit, nunq̄ eos acie integra pugnantes fuisse fugatos inuenimus. Deniq; Ianizari præpositum vnū habent, quo quū sub vno & eodem papilione versantes, officia inter se distribuunt. Nam nonnulli coquing, alij verò tendendi ac colligendi papilionis curam habēt. Sunt etiam qui ipsius papilionis custodię præsent, sicq; summa in concordia quietissimè viuunt. Deinde centeni quiq; ac milleni suis præfectis parent, quousq; tandem ad Ducē vnum omnium supremū ac suprēmę authoritatis deueniatur, quem ipsi Agam appellāt. Insuper ex omnib. Ianizaris ducenti, ceteris et corpore proceriores, & sagittandi arte peritiores eliguntur, qui tensis arcubus ac sagittis neruo aptatis equitatem Principē circundant, Solachi, ij nominātur. Sagulis aliquanto cō reliqui Ianizari breuioribus vtuntur. Pileos albos in formā pyramidalem oblongos in capite gestant, quorū summitatibus cristulas aliquas plerunq; affigunt. Neque aliud omnino hic Ianizarorū ordo est, quā Macedonica phalanx, qua totum orientē Alexander Magnus debellauit. Videnturq; iam Turcę quemadmodū imperij Macedonici occupatores sunt, ita & militaris disciplinę ab antiquis Macedonię regib. institutæ, imitatores esse: quanq̄ in quibusdam à Macedonibus differant. Macedones enim longis lanceis, lorica, galea, et parma ferrea vtebantur, quæ quidem parma ab humeris pendeat, vt quoties ense cominus pugnandū erat, ipsam arripere facile valerent. His igitur equitū ac peditem generibus Principis Porta concluditur, qua (vt superius dictum est) semifugatis sæpius inter pugnandū exercitibus opem ferens, nobilissimis potitur victorijs. Omnes autem alij equitū ordines sub Belerbeijs sunt. Belerbeius verò idiōmate Turcico principē principū sonat: suntq; ij numero duo totius equitatus præcipui duces. Imperāt Saniacis, qui quidē prouinciarum præfecti sunt, ob eximiā aliquam virtutē ad id muneris assumpti. Alter autem ipsorum Belerbeiorū in Natholia moratur, atq; vrbem Galatię Cutheiam dictam inhabitat: Alter verò in Romania versatur, ac Sophiam Seruię ciuitatem incolit. Porro vterq; plurimos sub se Saniacatus continet: qui Saniacatus, licet sub Bazete non nisi duo de quinquaginta essent, nihilominus aucto postea per Selymum ac Solymanum imperio, etiam ipsorū numerus auctus est. Sub Saniacis Subasij, ac Timoriotēs sunt, qui pro numero villarū et locorū quos possidēt, equites alere, ac singulis pro stipēdio tria milia Asprorū (quę summa Turcicę monetę sexaginta ducatos efficit, annuatim exhibere tenētur. Si quis autē ex ipsis equitibus arma atque equum ei traditum non rectē curat, statim equitū numero expungitur. Cæterum Belerbeij, quoties Princeps iubet, sexa-

ginta milia equitum & eo amplius paucissimis diebus congregant. Et Natoli quidē equites pulcherrima scuta, lanceas, arcus, secures, ac cimitarras ferunt, Romaniae vero lanceis & scutis more Albanensium, sed paucissimis arcibus vtuntur: atq; ij sanē Natholiae equitib. robustiores sunt, licet illi meliores, & ornatiores equos habeant. Omnes autem eodem modo Turbantis siue capitij (vt ita eos vocem) acuminatis ex pellibus, vel ex qualibet alia materia, vt vnicuique magis arridet, confectis, capita tegunt.

Sunt praeterea quidam alij ex Turcica natione, quibus olim ab Ottomānis Principibus agri varijs victorijs acquisiti, pro singulorum meritis sic distributi sunt: vt vnusquisque pro singulo terrae iugero quod accepit, equitem vnum aut duos pedites, quoties maiora instant bella exhibere Principi teneatur: atq; ij vocantur Mosellini, ex quibus nōnunquam plus quam sex milia equitum ac peditem magnus numerus in vnum coit. Sed neque rei bellicae peritia, neque viribus admodum valent. Habent ij quosdam veluti censores a Principe constitutos, qui prouincias omnes Turcicas circumeuntes huiusmodi agrorū possessores agnoscant, ac seuerē iudicent.

Cæteri omnes Turcici exercitus equites, fortunae equites sunt absque certo stipendio militantes, appellaturq; Alcanzi. Et quidem natura ipsa maximi & crudelissimi latrones sunt: pannosi incedunt, ac pileis pelliceis capita obtegunt, Militiam non nisi spe praedae exercent. Quum aliquo eundem est, itinere vnus diei aut duorum reliquum exercitum praecedunt, igni ferroque omnia deuastantes. Nonnunquam numerum triginta milium excedunt, quibus omnibus dux vnus militari prudentia praeditus praeficitur. Enimvero ex hoc ordine extiterē ij, qui anno superiore Solymano Viennam oppugnante, trans urbem progressi, regionem Lincio adiacentem memorebili clade affecerunt, miserisque senibus crudeliter interfectis, ac locis igne consumptis, quamplurimos captiuos abduxerunt. Inter hos Alcanzos plurimi Martelossi, Valachi, et Tartari inhumanissimi alioqui homines militant.

Est adhuc aliud genus militum, qui Asapi vocantur. Sed ij pedites sunt, quos prouinciae ac Turcicae ciuitates iubente principe ad bellum mittunt, ac singulis tres aureos coronatos in singulorum mensium stipendium exhibent. Suntq; ferē omnes sagittarij. Verum genus hoc ignauum atque inerme est, ac bellis parum aptum. Vnde etiam ipse Princeps quoties nauale bellum parat ijs remigum loco vtitur. In terrestri autem bello, ipsos earum operarum vice habet, quibus (vt superius diximus) nostri exercitus in excauandis vel implendis fossis, atque alijs huiusmodi ad bellum necessarijs exequendis vtuntur, quemadmodum eos Rhodi ac Viennae habitos esse satis constat: adeoque Imperator istorum salutem parum curat, vt saepe fossas oppidorum, quae oppugnat, ipsorum corporibus impleat, quo facilius aditum ad loca expugnanda Ianizaris paret. Ducem nihilominus belladi peritia insignem semper habent. Cæterum Visiri Bassæ Imperatori a consilijs sunt: cum ijs enim de negocijs omnibus tam ad pacem, quam ad bellum pertinentibus agit. Sunt autem numero tres, aut ad summum quatuor. Nunc vt tres habent, tres tantum esse dicuntur, nimirum Habraimus, Ajax, et Cassimus, ex eorū et ipsi ordine, quib. Christus abiuratus est. Hi vero vt summam auctoritatem, sic infinitas diuitias habent. Sed huiusmodi eorum potentia, inuidiae oppugnatione non carens, multis periculis

culis exposita est. Nam pro Principis libito sæpe etiam strangulantur: sic enim Acomathes Ghendic Baiazetis, sic Mustapha & Iunus Selymi, sic Farates huius Solymani iussu periêre. Aliquando dignitatibus priuantur, vt Pyrrho ante hosce non ita multos annos euenit, qui nunc senio confectus, in villa quadam Principe concedente, priuatam vitam viuit. Verùm quod ad bella attinet, expeditiones Belerbeijs committuntur, qui sæpenumero vno & eodem tempore etiam Visiri, id est consiliarij sunt. Sicuti Habraimus Hungarico bello contra Ludouicum regem & Belerbeius & Visirus erat. & idem erat Sinamus Eunuchus, qui sub Selymo in conflictu Mathareæ habito interfectus occubuit. Porro in principis aula variarum linguarum vsus est: quarum tamen omnium cognitione, omnes ferè saltem aliquousque habent, quemadmodum etiam in tuæ Maiestatis aula Gallicè, Hispanicè, Germanicè atque Italicè loquuntur. Enimuerò lingua Turcica, qua Imperator ipse vtitur, primum sibi vendicat locum: Arabica secundum, qua Turcarū lex (Alcoranum vocāt) conscripta est, et in vniuersum Turcè literis seu characterib. Arabicis in scribendo vtuntur. Tertium locum Sclauonica lingua occupat: qua quia latissimè patet, Ianizari loquuntur. Græca quartum locum habet. ea verò Constantinopolitani ac totius Græciæ vrbiū ciues vtuntur. Verumenimuerò Turcæ disciplinam militarem tanta et iustitia et seueritate exercent, vt veteres Græcos ac Romanos facilè superent. Nulla vnquam inter eos pugna exauditur, propterea quòd vel minimum etiam delictum capite vindicetur. Tribus verò de causis Turcæ quàm milites nostri meliores sunt. Prima est, quia promptè obediunt imperantibus: quod inter nostros rarò fit. Secunda quia nullum quamuis manifestum vitæ discrimen in pugna subterfugiunt, temeraria quadam opinione sibi persuadentes, vnicuique quomodo & quando mori debeat esse constitutum. Tertia, quia absque pane & absque vino diu viuere possunt, oriza & aqua contenti. Sæpenumero etiam æquo animo carent carnibus. Quòd si contingat eos orizam quoque minimè habere, salitis carnibus minutatim contritis, ac velut in puluerem redactis vtuntur. Nam eiusmodi pulueres in quibusdam sacculis secum ferunt: cumq; opus est, immixta calida aqua, dissolutos ebibunt, atque inde nutriuntur. Præterea soliti sunt, præsertim quum nimia fame laboratur, equos phlebotomare, atque illorum sanguine vitam propriam alere. Quinetiam equinis carnibus non inuiti vescuntur. Denique multo commodius omnem inopiam ferunt, quàm nostri milites, qui nunc etiam in castris plura fercula expetunt. Vnde tuæ maiestati nihil difficilius in pertractando hoc bello se offeret, quàm vt ratio conducendorum com meatuum constet, præcipuè panis ac vini: quas tñ duas res Romani veteres nō admodū curabant, cōtenti videlicet aqua et frumento contuoso, atq; in lebetibus cocto, quod illis ordinario iure exhibebatur. Quòd si patie vescendū erat, quasdā conficiebant placentas, quas vel sub cineribus, vel sub testis quibusdā ferreis in hoc super currus post legiones cōductis, coquebāt. Etenim illud nobis persuadeamus oportet, si obuiā hosti eundū erit, Turcas in itinere non permissuros vt aliquid com meatus in nostra castra deferatur. Nam equorū multitudine maximā occupāt spacia, atq; iter ad castra circumqua; impediunt. Neque huic difficultati vlla alia ratione occurri potest, nisi vt vnusquisque miles, que ad sustentandam vitam necessaria sunt secum ferat, vtputa sacculos farinæ plenos, aut panes

recoctos, aut alimenta alia huiusmodi. Adhæc illud obseruandum, vt legiones in acie dispositæ, ac leuioribus machinis æreis circumdatæ, semper incedant, neque impedimentis pluribus onerentur. Enimvero si Dominus noster Iesus Christus id gratiæ tuæ Maiestati concesserit, vt Christianos milites Ianizaris opponat, proculdubio certissimâ adipiscetur victoriam. Et fortissimè quidem Germanorum peditū legiones primū educendę erunt, vt sustinere, ac demū etiam reñcere Turcicos equites possint, quousq; tādē ad pedites penetrare liceat. Turcicus autē peditatus, quanuis fortissimus sit, nunq̄ tamē Germanis lancearijs, præsertim Bohemis, Hispanis atq; Italis scopietarijs (vt vocāt) adiutis, par erit. Quod si Ianizari in fugā verterentur, iam greis machinis, impedimentisq; atq; adeo castrorum hostiliū omni apparatu potiri fas esset. Neq; admodum referret, etiā si omnes equites incolumes euaderent, quando experientia ipsa iam cōstat, Ianizaros Turcicarum viriū neruos esse. In huiusmodi autē euētū, etiam Christiani equites, licet pauci, commodè satis in hostem ferri possent, sicutamen vt à nostro peditatu non longius abirent, ne ab hostibus circumcludi contingeret. Nam quum tam leuis armaturæ quàm cataphracti equites optimè armati sint, securè hostes insequi, ac se subinde ad peditatum recipere valerent. Neque id inutile fuerit, si extremi peditum ordines clypeis ac parmis vtantur, quo antequam cominus in pugnam descendant, sagittas excipere absque nocumento possint: tanta enim sagittarum, veluti grando erit, vt quamplurimi vel armorum, vel aliarum rerum tegumenta desideraturi sint. Nec sanè olim Marcus Antonius sagittarijs Parthis aliter quàm militum capita clypeis tegendo restitit. Quin & posteriores Romani contra Gothos et Hunnos, qui omnes ferè sagittarij erant, testudinem clypeis itidem conficientes, quamcittissimè poterant, in hostem concurrebant: quia cominus pugnantes, facilius multo victoriam consequebantur. Summa est, vt Deum opt. max. enixè precemur, ne bellum, posteaquam inceptum fuerit, protrahatur, sed facultas illico confligendi nobis detur. Etenim Turcæ, si bellum protrahendum foret, ob eorum multitudinem ac patientiam militum, innumerasque pecuniarum myriadas, faciliè tandem superiores euadere possent. Sed si statim confligatur, verisimile est, peditatum nostrum nobis victoriam pariturum. Et quoniam si huiusmodi conflictu decernendum esset, alea totius orbis imperij iaceretur, necessarium iudicauerim, vt maximus rerum omnium militarium apparatus fieret, quemadmodum ab ijs, qui sibi timent fieri consuevit, contemptis nonnullorum vanis atque inutilibus verbis, qui Turcas antequam periculum faciant, nihili faciunt: quo vbi bellum inceptum fuerit, adeo nobis omnia bene disposita sint, vt non tantum virtute, armis, ordine, machinis æreis, atque alijs huius generis rebus, Turcis non cedamus, sed ne numero quidem militum multo illis inferiores simus. Cæterum nonnulli sunt, qui existiment, Turcam si ipse aut Austriam, aut Italiam inuaderet, in fugam verti facilius posse, quàm si Christiani in Turcicas prouincias profecti, eo loci ipsum adorirentur, vbi post longorum itinerum labores, etiam commeatus inopiam sustinere fortassis cogerentur. Et hæc quidem opinio forsā non aberraret à scopo, si principes Christiani adeo vnanimis essent, vt ad primum ipsius Turcę aduentus rumorem, validas ad resistendum vires in vnum colligerent. Sed sperare vix possumus hoc futurum. Nam nullus vnquam sibi persuadebit, Turcam aduentare,

quousq;

quousque tandem adeo propinquus extiterit, vt omnis ad resistendum apparatus ferus ac frustraneus futurus sit, quemadmodum in Rhodia, Belgradensi, ac Budensi expeditionibus contigit. Qua de causa, qui rei bellicæ peritiores sunt, arbitrantur certius ac securius inferendo hostibus, quàm in excipiendo ab eisdem bello, victoriam consistere posse, bellum enim quod nobis infertur ab alijs, vt periculosissimum est, ita Deus summopere orandus, ne huiusmodi nos inuoluet. Porro quo tempore de suscipienda in Turcas expeditione plurimus sub Leone Papa X. sermo erat, Ducum quorundam primi nominis iudicium fuit, vt ea non nisi valida ac triplex susciperetur. nimirum in hunc modum: vt Maximilianus Cæsar, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, ac Poloniæ viribus comitatus, Seruiam versus secundum Danubium iret. Franciscus vero Francorum rex, ingenti exercitu ex quacunque ad bellum disposita natione conscripto, ex Apulia in Epirum trañceret: ac fauore populorum illorum, qui Turcis alioqui infensissimi sunt, adiutus, progredereetur quò bona Fortuna iter ostendisset. Rex autem Angliæ, Lusitanis, ac totius Hispaniæ viribus, nec non Venetorum triremibus adiutus, Hellespontum versus nauigaret, castellisque, quos Dardanellos vocant, expugnatis, rectà Constantinopolim peteret. Futurum enim arbitrabantur, si res Turcica, vel in vnum tantum istorum trium laterum debilitaretur, vt Christiani postea victoriam integram adipisci facile valerent. Sed quemadmodum summæ difficultatis erat, Christianorum vires omnes, ac peculiariter ipsos etiam potentiores Principes in vnum colligere: sic Dei voluntate est actum, vt omnia tunc in nihilum redigerentur, quo huiusmodi Turcarum debelladum occasio tranquillioribus temporibus, adeoque tuæ Maiestati iam adultæ seruata, eam ad sumum fastigium veræ gloriæ, vt suis innumeris virtutibus meretur, extolleret.

F I N I S.

N O M I N A.

Antiqua		Noua.
<i>Amanus</i>	197	<i>Mons niger</i>
<i>Ancyra</i>	203	<i>Angorium</i>
<i>Apamia</i>	207	<i>Amanus ciuitas</i>
<i>Armenia</i>	205	<i>Tauris</i>
<i>Assyriorum regnum</i>	205	<i>Bagadat</i>
<i>Asia minor</i>	178	<i>Natholia</i>
<i>Boristhenes fluius</i>	197	<i>Næper</i>
<i>Calcedo</i>	200	<i>Scuttaris</i>
<i>Dionysopolis</i>	189	<i>Varna</i>
<i>Medorum regnum</i>	205	<i>Scyras</i>
<i>Naupactum</i>	193	<i>Lepantum</i>
<i>Persarum regnum</i>	205	<i>Sumachi</i>
<i>Peloponnesus</i>	190	<i>Morea</i>
<i>Sebastia</i>	179	<i>Sina</i>
<i>Scythæ</i>	178	<i>Tartari</i>

Ex Pernæ Officina,
Sumptibus D. Henrico Petri & sibi
communibus.





1950
1951
1952
1953
1954
1955
1956
1957
1958
1959
1960

N

19

2

1

